Digitized by Google

Digitized by Google

00.

<36622194410013

S

<36622194410013

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

4° H Eccl P Bucelinus
136.

Digitized by Google

In hoc Signo vinces
S. Helena Imp. aug
S. Constantinus Imp.
LACVS-POTAMICI
olim Moesij et Acronij
nec non confinium, sub
nomine
CONSTANTIAE.
Sacræ et profanæ
Descriptio.
Authore
A.R.P.F. Gabriele Bucelino
Ord: S.P. Benedicti Theologo
M.DC LXVIII
Hæmodopolis
Mesopolis
Conditor Vrbis nostræ
Constantius I. Imp. Aug. Cognomento Chlorus

H Eu P

Digitized by Google

CONSTANTIA RHENANA
LACUS MOESII OLIM, HODIE ACRONII ET POTAMICI

METROPOLIS,

SACRA ET PROFANA.

Ethruſca, Mœſia, Harudica, Alemannica, Romana, Gallica, Teutonica, Imperialis Auſtriaca

Urbis longè Antiquisſimæ & Nobilisſimæ, cum Provincia adjacente, & Epiſcopatu ejusdem Nominis Germaniæ & Europæ omnium longè ampliſſimo

DESCRIPTIO

Topo-Chrono-Stemmatographica.

AUTHORE

R.P.F. GABRIELE BUCELINO Imperialis Monaſterii Weingarttenſis Aſceta Theologo Ord. S. P. BENEDICTI Priore S. Joan. Bapt. in Oppido Rhætiæ Veldtkirchenſi.

M DC LXVII.

Cum Licentia & facultate Superiorum.

Francofurti ad Mœnum,
Sumptibus Viduæ JOANNIS GERLINI, Bibliopolæ Ulmenſis.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

DIVO
LEOPOLDO,
IMP. AUG. REGI GERM. UNG. BOHEM. &c.

COnſtantiam Tibi Tuam, Auguſte, ſiſto, hoc eſt, Conſtantinopolim Occidentis, Imperio feliciorem Tuo, quam ſuo, etſi ampliſſimo, illam Orientis; hujus æmulam nomine, gemellam origine; duo æquè inter maria ſitam, ſed dulcia & lympidiſſima, Mœſium ſcilicet vetuſtiſſimo nomine ſeu Acronium, & Venetum, ut illa inter ſalſa & amariſſima Euxinum & Mediterraneum. Tua, CÆSAR, in amplexu eſt fluviorum Cæſaris Rheni; illa in contuitu procul poſiti turbulenti Danubii. Tua invicta & felix: illa emancupatiſſima & infeliciſſima, & merito quidem ſuo, quod, uti Tua prima inter Urbes omnes Victricis Dominicæ Crucis agit ſigniferam, illa Ejusdem hoſtis eſt inimiciſſima. Tua in delitiis Regum & Auguſtorum pridem fuit, quibus & Domicilium, ut Tibi Vienna, præbuit; quæ ut tuos quoq; mereatur & demereatur oculos, dum Solares & Auguſtos tuos radios ſuperiore anno fruſtra expectavit, ipſa nunc Tibi ſeſe in hoc volumine ſiſtit, & in Rudolphi I. Alberti I. Friderici III. Maximiliani I. &c. amoribus, quibus unicè chara & familiaris extitit; ſed & in votis Ferdinandi II. Ferdinandi III. & IV. Avi, Patris & Fratris Impp. (qui ſæpe ejusdem Lacuumq; ſeu maris utriusq; contuendorum exarſerant deſiderio) ſeſe quam demiſſiſſimè inſinuans, enixè commendat. Et digniſſima omnino eſt quæ ſpectetur, à tot olim procis & rivalibus (utinam non hodie) exambita, ut Vienna ipſorum, ut Auguſta, ut Conſtantinopolis eſſet. Urbs miraculum fidelitatis, una omnibus ſemper obnixa hoſtibus, dum ſub Hunnis, Ungaris cæterisq; Imperio incumbentibus, nulla cæterarum Urbium, nec valentiſſimæ ſubſiſterent, Conſtantia ſibi conſtans ſemper, conſiſteret gloriosè, generosè reſiſteret. Et quid non ſub ſanctiſſimæ memoriæ Ferdinando III. Parente Tuo præſtitit Conſtantia, Metæ facta Fortunæ Suecicæ & comprobata? ad invidiam Metarum Urbis, adverſum Nominis ſui gloriam & Etimologiam ſuperiori ſæculo à

Digitized by Google

Gallis expugnatæ. Et quantum, quod ſola in ſolo Helvetiæ minimè Helvetica, Confœderatorum omnium & promiſſa reſpuit & minas, inſidias quoq; & arma toties eluſit, cæteris transquæ cisque Khenum non tam dantibus manus, quam ultra deſciſcentibus, Conſtantia Veterem Nominis gloriam memorabili erga Cæſares ſuos Fidei & Fidelitatis exemplo, glorioſiſſime comprobante & conſervante. quæ præter Numinis gratiam, nullam omnino, LEOPOLDE Aug. exambit niſi Tuam, in Hujus exortu Solis, & ipſa futura Conſtantinopolis Orientalis in Occidente, & Illuſtrior multo feliciorque illâ, in Occidentem paulo poſt præcipitanda Orientali. Ita DEUM rogo, ominorque

Majeſtatis Tuæ

Perenni devotione Cliens

P. F. Gabriel Bucelinus.

SENA-

Digitized by Google

SENATUI POPULOQUE CONSTANTIENSI.

CONſtantiam Vobis inſcribo, Conſtantienſes, à me pro dignitate tanti Nominis deſcriptam, Patribus Patriæ ſpartam à ſe excultam & propugnatam, Civibus (quo chariùs cuivis bono nil eſſe poſſit) Patriam, Conſtantinopolis Orientalis non tam æmulam nomine, quam gemellam origine, majorem ætate, ſitu elegantiorem, loco oportuniorem, natura munitiorem, feliciorem fortuna, Fide ſanctiorem; Conſtantiam ab Auguſtis Conditoribus, ſeu potius Reſtauratoribus (Conſtantio Chloro ejuſq; filio Conſtantino Magno Impp.) verè Auguſtam, Cæſarum tantorum conſtantius & firmius, in Occidente, quam illud in Oriente, Tyrannico jugo oppreſſiſſimæ Conſtantinopoleos, monimentum; perenne Gentilitatis ab iisdem triumphatæ in Alemannia Trophæum; ſigniferarum SS. Crucis Urbium ante Treverim, Coloniam, Genuam aliasq; hoc ipſo ſigilli uſu meritam adeptamq; Primatum & Principatum; Urbem Urbium Urbe, Româ non ſolum nova & gemella, ſed veteri multis ſæculis antiquiorem; Meſopolim ſive Mœſiopolim, à lacu Mœſio primum dicto, tùm ab Harundibus accolis incoliſq; Harudopolim, à Romanis, Ganno-Gauno-inde Vito- & Ambioduri nomine cenſam, Caſtraquenſem item, & Auguſtam Turgojorum, diverſo decurſu ſæculorum & ætatum, ſub diverſa migratione Gentium & populorum, Armeniorum, Ethruſcorum, Mœſiorum, Harudum, Alemannorum, Romanorum Gallorum & Germanorum, mutata ſæpè nomenclatura à diverſiſſimis & antiquiſſimis ſcriptoribus appellatam; ex eo autem tempore, quo Chriſti pro Inſigni meruit & accepit Crucem, Conſtantiæq; nomen, conſtantem ſibi ſemper, ſemper inſuperabilem & invictam; Conſtantiam, tot olim Regibus, Cæſaribus, ſummi Nominis Principibus, eximiè dilectam, commendatam, habitatam, ornatam; tot Comitiis Imperialibus, Conventibus Procerum frequentatam; Concilio illo memorabili univerſali, tribus de Primatu Eccleſia contendentibus, graviſſimo conſopito Schiſmate mirè illuſtratam; Cathedralis Sede Pontificatus omnium Germania non ſolùm, ſed Europæ univerſæ longè ampliſſimi famoſiſſimam, ejusdemq; non tam amplitudine maximis comparanda Regnis ſpectatiſſimam, quam Sanctorum & Sanctitatis nomine celebrium innumerabili penè multitudine beatiſſimam; illuſtrium eruditione, ſed & meritis togâ ſagoq; Clariſſimorum virorum copia incomparabilem; Talem, talem, inquam, & inſcribo Vobis; Conſtantienſes, & deſcribo, ſed & in facie Univerſi gratulor Patriam. ut quid inſuper aut à Vobis deſiderari, aut à me præſtari poſſit, haud videam, quam ut quæ modo obiter recenſui, lucidentius & diſtinctius, præſenti Opere redhibeam. Redhibebo, & taliter, ut & Veſtro Veſtraq; Urbis honori non ſolum conſultum ſentiatis, ſed & toti Romano Imperio demonſtratum, quanti referat: Collimitaneas Exteris provinciis & Regnis Urbes, toties inprimis exambitas & tentatas, ſibi tamen conſtantes ſemper (uti in tantâ defectione Urbium cùm trans, tùm Cis-Rhenanarum & priſcis & proximè Superioribus ſæculis, ſola Conſtantia) pro dignitate æſtimari, foveri & conſervari.

Veſtræ Fidei conſtantiæque

Obſervantiſſimus Cultor

P. F. Gabriel Bucelinus, &c.

PERILLUSTRI ET GENEROSISSIMO
DOMINO DOMINO

JOANNI GAUDENTIO DE ROST

in Aufhofen, Schrotvvinckel & Kelburg, Domino in Singen
Meggberg & Mülhauſen Sacræ Cæſareæ Majeſtatis
Conſiliario, Aulaico Bellico, Colonello nec
non Urbis Conſtantienſis

Gubernatori & Capitaneo meritiſſimo,

Primum hunc librum ſive Partem Conſtantiæ Topo-
Chrono-Stemmatographicæ ſingularis
Obſervantiæ ergo

D. D. D.

AUTHOR OPERIS

P. F. GABRIEL BUCELINUS Imperialis Mona-
ſterii Weingarttenſis Aſceta, &c. Prior S. Joan.
Baptiſtæ in Veldtkirch.

CONSTAN-

Digitized by Google

CONSTANTIÆ RHENANÆ SACRÆ ET PROFANÆ, &c.

PARS PRIMA.

Topographica Ejusdem & Lacus

ſive Maris utriusque nec non ſubditarum amplissimæ Diœceſi Provinciarum Deſignatio.

Authore

R. P. F. GABRIELE BUCELINO, Aſceta Imperialis Benedictini Monaſterii Weingarttenſis, Priore S. Johan. Bapt. in Veldtkirch.

CONſtantia, ſive Conſtantinopolis Occidentalis, Orientalis illius, gloriâ & ſitu non minus, quam nomine æmula, Conſtantium patrem & Conſtantinum filium, Auguſtiſſimum utrumq; Conditores, ſeu Reſtauratores habuit, ab illo nomine, ab iſto theſſerâ omnium nobiliſſimâ, prima Orbis Urbium Crucis Sacroſanctæ triumphali ſigno inſignita, quam Veteri primum ſcuto, Caſtrum repræſentanti, inter Angelicas manus, junxit, & ſolam deniq; ſufficere cenſens, conteſtandæ Civium ſanguine devotionis ſupremum clypei colore ſanguineo tinxit, & hucusque gloriosè uſurpavit. Solâ Imperij gloriâ Orientali illi cedens, cum Sedes ordinaria Cæſarum non eſſet, hoſpita tamen & diutina fuit, Regum vero Alemanniæ & Galliæ domeſtica, & diutiſſimè propria, quamdiu

Conſtantinopolis Occid.

Prima Vrbium Crucem pro inſigni habet.

Regum ſedes Regia.

Situs elegans.

quamdiu per Romanorum cæterorumq; hostium ambitionem licuisset. Situ multo elegantiore, cum illa duo inter maria Mediterraneum & Euxinum, salsedine & impetuositate aspera consideat, hæc inter dulcissima & deliciosissima Acronium & Venetum media, in amplexu præterea fluviorum Cæsaris Rheni, longè lateq; non nisi Chystallo similes lympidissimas aquas, nocte æmulas cœli, terras uberrimas, vineis utrobiq;, agris, pratis cultissimas, urbibus, castris, pagis frequentissimas, incomparabili oculorum & mentis recreatione intuetur.

Commoditas loci.

Cœlo utitur propitio admodum, ipsam quoq; inter hiemis inclementiam, aëre temperato, unde omnis generis frugum & fructuum copia incredibilis, mirifico sapore se commendans, pecoris ab vicina Helvetia insignis frequentia & præstantia, piscium, anatum, omnis generis volucrum tanta varietas, ut nemo non peregrè veniens nimiopere admiretur.

Altitudo poli.

Gradum longitudinis 31. 0. latitudinis 47. 30. assertione Clavii occupat. Dies maxima horarum 15. 46. 44. ratio umbræ æquinoctialis meridianæ 65. 9. ad gnomonem 60. in altitudine solis 42. 30.

Antiquitas,

Inter antiquissimas Germaniæ Urbes est, etsi incompertis primi Conditoris nomine & annis, Alemannicarum facile Princeps & Regia, cui ab ipsis Alemannis desertæ & spe redomuitionis de industria civibus præcisâ, quo animosius Italiam impeterent exustæ & dirutæ; Romani demum Victores, veteri abolito nomine, an corrupto, Vitodurum (sic Vetustissima in marmore inscriptio habet, inserta ab ipso Urbis Restauratore Constantio in ipso ambitu murorum) appellarunt, etsi Ganodurum Ptolomæus & Ortelius contendant.

Vitodurum olim.

Valeria.

Nec dubium esse debet, pro nomine Conditorum, seu Restauratorum alia & alia subinde nomina habuisse, uti Valeriam Romano etiam nomine, à Valerio procul dubio Duce vel Principe aliquo aliquamdiu dictam, alii Castrum Aquarum (insignia prima Urbis innuere videntur), alii Turgaiorum Augustam appellatam volunt.

Harudopalis.

Harudes, sive Harudopalim Vetustissima nomenclatura, à populis vicinis, inter Alemannos spectatissimis cognominatam Adrianus Junius aliique haud improbabiliter adstruunt, quæ omnia nomina, alio & alio tempore habuisse, ut negare non præsumimus, ita de primi atque ultimi notione nimirè ambigimus.

Constantia Nomen.

Remansit stabile deinceps Constantiæ semel impositum à Constantio Augusto nomen ab anno Christi 299. ad hoc usque præsens sæculum nostrum & annum 1666. & à memorabili Constantii, cæsis Adalgero & Alemannorum Septuaginta millibus, victoria, insigne hoc Christiani Principis Trophæum, & militaris gloriæ consurrexit monimentum Harudopalis & Vitoduri gloria, è tristi busto resuscitatâ.

Constantius Imp Urbis Restaurator.

Nec dubium, dignum Cæsare Opus erexisse Constantium, quod ipsius Majestatem nomine præseferret, cum tot cæteroquin Gentium & maximarum Urbium Domitor & Restitutor, nulli alii nomen suum imposuisse memoretur. Et merito, utpote

Digitized by Google

utpote quam ſitu non tam amœnam, quam natura munitiſſimam, ſtabiliundis Romani Imperii rebus oportuniſſimam, connexione ampliſſimarum Provinciarum, ſubvehendorum mari terraque neceſſariorum commodiſſimam, pro inſigni ſua rerum militarium cognitione pernoverat, haud minimum inde Romana ſibi Republ. gratulante, & locum deinceps lectiſſimæ notæ præſidio communiente, & magni Numinis Ducibus & Præſidibus gubernandum committente.

Conſtantia diverſa.

Dicitur autem Conſtantia Rhenana, ſive ad Rhenum, ad differentiam Conſtantiæ in Normannia ſitæ, & à filio Conſtantii noſtri Conſtantino in Normannia conditæ, quæ & Conſtantia Caſtra nominatur, ſita in Archiepiſcopatu & Parlamento Rotomagenſi, gradu long. 19. o. 49. o. Ubi altitudo ſolis 41. o. dies maxima horarum 16. o. 8. umbra æquinoctialis 69. 10. huic tamen noſtræ Conſtantinopoli, antiquitate, nobilitate & ſexcentis dotibus cultiſſimæ, minimè comparanda.

Vrbs olim ſplendida.

Maximi ſplendoris Urbem, jam ante Chriſtum natum fuiſſe latentia profundiſſimè, reperta ſubinde maximæ molis rudera produnt, ita ut longo terrarum tractu clivus ille elatior, qui à Porta Creützlingenſi, verſum Cænobii eodem nomine veteris buſtum & aream exporrigitur, mera aggeſtio ruderum, & vetuſtiſſimæ urbis reliquiarum deprehendatur. Compertiſſimum id omnibus fuit, cum anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, magnificæ illius & robuſtiſſimæ, propè portam prædictam turris (Conrado Grünenbergio viro Nobili tunc Ædilem agente) fundamenta eſſent jacienda, dum incredibili labore non ſine maxima admiratione, nullo reperto ſolidioris ſoli indicio per cruſta tantum & fruſta veterum ædificiorum, per miræ duritiei lateres, variæque ſortis immixtos cæmento duriſſimo lapides, ad maximæ demum molis, ampliſſimi pontis, longè productos fornices, inſanis ſubſtructionibus & pilis ſuſtentatos deſcenderetur; ita ut facilè omnes animadverterent, Rhenum olim vel integrum, vel partem ejusdem majorem, urbem ab Turgovia ſejunxiſſe, etſi nihilominus Veteris Galliæ (uti vetuſtiſſimi ſcriptores, & Martyrologium Rom. Eccleſiæ toto decantatum orbe. habent) Urbibus adſcriberetur, multo, ut ſupra dictum tempore, Regum præcipuis in amoribus & delicis habita, & ſplendide inhabitata. Et ſanè, niſi illo loco, cuniculos, ſeu foſſas tegendo militi, agere ſe potuiſſe, graviter ſæpe conqueſtus eſt Generalis Suecorum Hornius, cum ubicunque aliàs conaretur vix palmi ac pedis profunditate effoſsâ humo, aqua occurreret & conatus omnes impediret, millies execratus, qui ad obſidionem Conſtantiæ invitaſſent, & induxiſſent, quæ metas fortunæ Suecicæ poſuiſſe DEUM, tam manifeſto docuiſſet. Et ſanè vix audito primum obſidionis nuncio, auditus quoque magni nominis, ſed adverſæ noſtris partibus, Heros eſt; qui Urbem æque

Agger extra portam Creützlingenſem.

Profundiſſima ſubſtructiones.

Veteris Galliæ Vrbs.

Natura munitiſſima.

Digitized by Google

Hostium ambitio & propositum.

ac Sueci aliique hostes spe devoraverat: Nunc, nunc denique debellatâ hac Urbe, docendum Imperium esse, cui usui Constantia foret, paulò post ita communienda, ut minas Cæsarum Orientis insimul & Occidentis contemneret. Constitit inhiantium æmulorum nimius feruor & pruritus, sexcentis argumentis ære & pictura vulgatis, quæ amplissimis vulgata Regnis, duabus ex adverso positis tabulis, Urbis uti tunc erat, modica â vicinis & ægre tolerata munimenta; & parte alia, ut munire statuerant, qui triumphum ante Victoriam proclamarant, designationem accurratissimam præferebant, nemine non exemplar, etiam iniquiore pretio, sibi exambiente. Quod, cogendo Imperio, hostes; longè meliore sensu & usu, Belgij, ante iniquiora hæc tempora mercatore suo & publico Imperii bono sibi quoque expetierunt, dum quod illi prolatandæ ambitioni & tyrannidi, ipsi commodo cùm privato tum publico intenderent; Urbis hujus situ, & dotibus benè expensis, & quanto usui, non solum Belgio & Imperio, sed & Italiæ atque Galliæ esse possent, rite consideratis, de quo ego non semel ad Cæsares Ferdinandum III. & IV. nec non Augustissimum Leopoldum, & parte II. Germaniæ meæ Topo-Chrono-Stemmatographicæ, his ipsis verbis: *Quam admirabilem loci commoditatem, considerantes Inferioris Germaniæ mercatores, felicissimæ Recordationis Leopoldo Archiduci: siquidem liberum illic sibi Religionis exercitium annuere dignaretur, vel certè extra Urbem idem frequentare permitteret, Urbem gemellam Amstelodami facturos, cataractas tres Rheni, auro & ingenio domaturos, Constantiam imprimis, lacum dein superum inferumq; totius orbis mercibus ac thesauris impleturos, superumq; Imperium, innumerâ rerum omnium copiâ instructuros. Urbem præterea suis sumptibus, inexpugnabilem; sive, si placeat Castellum imponere, Antverpiensi longe firmius præstantiusq; condendo, in fide & obsequio Constantiam verè constantem reddituros. Sed sive à mercatorum fide, sive à tali Urbe, an æmulis metueret ac procis, tunc quidem dissimulata res fuit. Constantia Archiduci, ut ipse non semel est fassus, mirificè semper placuit, ipsamq; sibi sufficere, ita â natura provisam secum reputans, de ornanda nihilominus & exaltanda multa statuit, quem mors præmatura, magnis in conatibus intercepit.* Hucusque citato libro; Adjunximus & sequentia: Fuit insuperabilis semper Constantia, etiam cum tota Germania ab Attila, sed & multoties deinceps ab Ungaris pessundaretur. Variè sæpius tentata, restitit semper, & multa cum clade hostes repulit, nunquam infeliciori; quam cum Crucis (pro Insignitot sæculis habitæ) irreverens, Crucifixi statuas igni dedit, etsi tunc quoque cæso Hispanorum Archistratego Duce de Vives, ejusque filio, vim hostilem averteret: Crucem autem denuo amplecteretur; Domui Austriæ interea credita, nequid deinceps sive ipsa metuereret, sive ab ipsa ejusque procis esset metuendum. Magna est, & absque Suburbio trans Rhenum Petrusiano,

Mercatorum Belgii postulata.

Amstelodamensi gemella.

Archiduci chara Urbs.

Invicta Constantia.

Hostes repulsi.

Urbis idea passim exambita.

Digitized by Google

Petrusiano, & quæ secundum longitudinem excurrunt munimentis, quater mille centum & septem supra quadraginta passus Romanos complectitur, quibus ter mille minimum adjungas oportet, si illa, quæ diximus, uno complexu in numerum advoces, &c. *Magnitudo Vrbis.* Sacras ædes & Monasteria plurima habet. Illas inter Templum Cathedrale insigni mole & opere totum secto structum lapide, facile eminet, loco paulum editiore situm, cum turri magnifica, ultra centum viginti pedes in latitudinem exporrectâ, altitudine longè lateq; conspicua, olim nubibus quasi & cœlo minans, priusquam incendio, altissimo vertice subenervato & dissoluto, imminueretur. *Basilica.* Basilica Deiparæ sacra est, inde Divis Pelagio Martyri, & Conrado loci Episcopo Principi Agilofiagico. Ara summa memorabile Jacobi Fuggeri Comitis, Episcopi S. R. I. Principis monimentum, tabulam principem, puro ex argento elegantissimè elaboratam, statuas pulcherrimas eodem ex metallo habet. *Cathedrale Templum.* Sola corona aurea Deiparæ capiti imposita, & pretiosissimis exornata gemmis, multis millibus constitit, omnia plena artis egregiæ & majestatis. Vestes sacræ, cultu planè regio, pretiosissimæ & artificiosissimæ. Ara Venerabilis Sacramenti extra chorum politissimo marmore, cultissimo opere, dusuper magna mole statuam Deiparæ ære fusam habet, arte non minus quam pretio æstimatam; hinc & hinc clathra ferrea, chorum communientia perspectivo, ut vocant, opere, neminem non in admirationem rapiunt, uti & columnæ templi maximæ, singulæ unico & continuo ex lapide, ut non aliter, atque ære fusæ, absque junctura conspiciantur; organum majus amplissimum, inter Europæ præcipua memorandum. *Splendor templi.* Magno in cultu est Deiparæ, morientis in præsentia Christi Apostolorum, statua. Numine matrem mirificè honorante, & in gratiam ejusdem magnas fidelibus gratias impertiente. *Imago DEIpara.* Picturæ altarium variæ, quæ inter non paucæ non minus ab arte quam antiquitate, magnam merentur æstimationem. Redivivus nostræ ætatis Apelles Christophorus Storerus, ultimum sibi locum templi occupavit, ut exeuntes retineret, ultima primis respondere, imo prævalere ostenderet, insignis inventionis Epitaphio, quod memor ante mortem mortis R^ems. Suffraganeus Ill^mi. Principis Francisci Joannis, Dn. Sebastianus Episcopus - - - - - religiosè admodum, suis & omnium oculis atque animis præstituit. *Picturæ variæ.* Proxima magnitudine & splendore â Cathedrali est Basilica Collegiata, ut vocant Canonicorum S. Stephani, longa, ampla, alta, lucida insigniter exculta, cujus aram maximam insigni tabula Membergerus exornavit, suæ ætatis Zeuxis habitus, & qui huic prævalens, ad vivum omnia repræsentaret, qui plurima patriæ urbi, sui nominis reliquit monimenta. *Templum S. Steph.* Sed & Storerus illic sibi simile in ara Tutelaris S. Stephani condidit, cujus parens Barthlolomæus, perspectivâ arte Chori tabulatum dexterrimè pinxit, & oculos scite fefellit simul & attinuit.

Digitized by Google

Inde Collegiata S. Joannis ſimiliter Canonicorum eſt. Tum S. Pauli S. Luarentii. S. Jodoci. S. Mauritii, præter Cænobiales Eccleſias plurimas, de quibus mox dicemus.

Petruſienſe Canobium.

Inter Monaſteria Conſtantiæ facilè Princeps antiquitate & meritis, Petruſianum eſt, vulgo Petershauſen Ord. S. P. Benedicti in ſuburbio ejusdem nominis, loco exquiſitiſſimè eleganti & curioſo, ad Rheni ripam ex adverſo urbis, à S. Gebhardo Brigantino Comite, Conſtantienſi Epiſcopo fundatum, qui & illic primum, aliquot annis, Abbatem egit. Dotavit idem Cænobium liberaliſſimè ex bonis parentum hæreditate acceptis, & Romam ipſe profectus confirmari à Joanne XV. impetravit, á quo ſpecialiter dilectus Caput S. Gregorii Magni Rom. Pont. dono accepit, & perſequentibus ipſum re comperta, Romanis Padum fluvium, grandi miraculo ſiccis pedibus cum ſuis pertanſiit, territis eo prodigio, qui ſpoliare ipſum decreverant, & à perſequendo ceſſantibus. Habuit multis ſæculis theſaurum adeo pretioſum, Petri-Domus, & fortè etiamnum obtinet furori acatholicorum ſubtractum, cum illi Eccleſias omnes Conſtantiæ Sacrilegiis polluerent, & Principis Patroni S. Conradi corpus, Potamo mergerant; Aſcetis Cænobio proximis ſacrum theſaurum ſubducentibus, iis qui conſcii erant morte ſublatis, priusquam occaſio ſe præberet, ſacrum denuo theſaurum publicè proferendi & exponendi. Conditus etiam ipſe in ſuo Cænobio eſt, & â morte perennem ſe loci Patronum & Protectorem cum S. Gregorio fore ſpopondit: *Sciatis*, inquit, *pro certo, quod omnis quicunque in hoc Monaſterio voluntariè cum bono propoſito deſerviens inventus fuerit, in omni tentatione atque tribulatione, me Sanctumque Gregorium, fortes auxiliatores apud DEUM habebit, & in extremo Judicii examine ante thronum Juſti Judicis, æterna vita coronandum ipſum perducturi ſimus.* Ita pervetuſtus candidiſſimo ingenio Scriptor Vitæ S. Gebhardi, libro II. Capite IV. Habet duas Baſilicas Cænobium penè juxta ſe poſitas, quarum altera Orientem, altera Occidentem recta reſpicit, hæc Choro præcipuè frequentatur, cujus ſummæ aræ imago Storeri eſt, Chriſti in cruce pendentis, Opus dignum manu artificis, & quod nulla egens commendatione, ſeipſum commendet. Fons ſub eadem ara S. Gebhardi eſt multis infirmis & febri inprimis laborantibus, mitè ſalutaris juxta Storeri, alia quoque manus ſe prodit ſculptoris inter præcipuos Germaniæ merito referendi - - - - - - Schenckii, cujus labores, in ebore inprimis, maximi Europæ Principes ſedulo exambiunt, & Italia, peregrina cæteroquin tanti non faciens, tacens miratur. Prodit & alia ſe manus Veteris Sculptoris, in aliis utriusque Eccleſiæ altaribus, plauſibili argumento, optimas artes, juxta ſublimia

Caput S. Gregorii Magni ibidem.

S. Gebhardus ibidem ſepultus.

Æternus Protector.

Duæ Cænobii Baſilicæ.

Fons prodigioſus.

Sculpturæ inſignes.

Digitized by Google

limia ingenia, ſemper Conſtantiæ viguiſſe. Extant iſta è niveo lapide, & ingenio non minus felicem artificem celebrant, quam ſcalpello.

Creützlingenſe Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini prope cognominem portam, ac muros civitatis, celebre Cænobium, expugnandæ illi, magnam ſpem hoſtibus fecit, maximo Religioſorum incommodo & damno, cum Amici deinceps de loco ſubruendo vel inviti conſilium ſuſciperent, & mox coacto ſolvere obſidionem hoſte, tædas inferrent, ac boni publici ſtudio collachrymantibus, qui inferebant malum æque ac qui tolerabant, totum funditus diruerent. Conſurgit hodie elegantius, minus periculoſo Urbi loco, & novæ Baſilicæ Servatoris Crucifixi imago juſta hominis ſtatura illata eſt, quæ flagrantiſſimo prioris Eccleſiæ incendio, grandi prodigio illæſa manſit, ne capillo quidem, qui naturales capiti imaginis accommodati fuerant, vel obiter aduſto.

Creutzlingen. Canobium.

Crucifixi imago.

Monaſterium Patrum Ordinis Prædicatorum loco ad miraculum elegantî, ſed & natura munitiſſimo & de induſtria, ſitum eſt; Rheno circumundique affluente. Amplum eſt, eoque in mare Potamicum proſpectu, ut vix ſatiari oculus queat. Templum magnificum habet, in eoque altare Pſalterii cum Deiparæ ſtatua gratioſa, cultu piorum cultiſſimè exornata, quæ magno concurſu civium & exterorum frequentatur. In eo, alios inter ſpectatiſſimæ vitæ aſcetas vixit ſanctiſſime lucidiſſimum illud Conſtantiæ ſydus B. Henricus de Monte, aliàs Amandus Suſo, vir planè mirificus, DEO & Deiparæ unicè charus, cujus non tam ingenii monimenta, quam Divina dictata ab ipſo ſcripta paſſim extant, lapides & duriora lapidibus corda emollire valentia.

Monaſt. Ord. Pradicat.

Imago Gratioſa.

B. Henricus Suſo.

Monaſterium Patrum Franciſcanorum, verſum Occidentalem urbis partem intra ut prope mœnia ſitum, magnum occupat ſpatium, olim Religioſis frequentiſſimum, haud contemnenda Germaniæ luminaria edidit. Templum ſatis amplum & elegans habet, ſepultura Equeſtris & Patricii Ordinis hominum olim celeberrimum. Sepulturas Nobiliſſimarum familiarum plurimas quoque habet, etſi monimenta plurium cum tempore ſeu attrita ſeu corrupta & temporum injuria everſa ſint; familiæ â Rockuvil inprimis & Montpratiæ â Spiegelberg, Blarerorum â Gyrſperg & Warttenſee aliorumque; hodie Trittiorum eleganti Sacello, & Dietrichiorum â Landſee, Capellâ ſimiliter cultiſſimâ omnibusque neceſſariis ornamentis inſtructiſſima nitet, cujus aræ tabula Archiducis Leopoldi donum, plauſum in Eccleſia præcipuum meretur, â Georgio Dieterich Cathedrali Decano, Electo quondam Curienſi Epiſcopo acceptum, quòd à morte ejus mœſtiſſimus Dominus parens Wilhelmus novo quam primum condito à ſe Sacello deſtinavit, omnium ab platea occurrentium obtutibus objectum, magnum omnino.

Monaſt. PP. Franc.

Digitized by Google

omnino illicium oculorum. Extat & prope Sacellum idem, eleganti, excisa lapide tota prædicti Domini Liberorum posteritas, perspectivo, ut vocant, opere expressa, ita ut vivum repræsentari pleriq; videantur. Triclinium quoddam amplissimum habet, in quo sæpius Conventus Ordinis Generales celebrati sunt. In Ecclesia alia inter spectatur tabula Ezechielis Vaticinantis, & ossa arida resuscitantis, insigne Membergeri Opus, quod quo diutius contempleris, tanto magis afficiaris & rapiaris.

Eremitarum Ord. S. Aug. Cœnobium RR. PP. Eremitarum Ordinis S. Augustini, elegans templum habet, in eoque Deiparæ statuam tempore obsidionis Suecicæ multis gratiis illustratam & comprobatam, quam grati hucusq, cives, haud immerito, magna devotione consalutant.

Capucinorum, &c. PP. Capucinorum Conventus â Fuggero Episcopo intra munitiones extra tamen muros positus, quod periculosum & Urbi & Patribus esse posset, intra mœnia receptus est, in quo plurimis tabulis vita & resgestæ S. Francisci, Membergeri penicillo quam scitissimè expressa habentur, princeps tamen tabula Storeri & beneficio & arte, mirificum hominis erga Seraphicum Ordinem affectum & studium declarant, seræque testabuntur posteritati.

Collegium PP. Societ. Collegium RR. PP. Societatis, situ longè curiosissimo elegantissimum, totum secundum longitudinem & latitudinem prospectat mare Acranium, sed & emergentem ex illo Rhenum, relictis quibuscunq; sordibus purgatissimum ac lympidissimum, congeminatis eo loci, sereno cœlo, matutinis deliciis & illiciis, cum dupliciter Phœbus & aurora, cœlo & aquis consurgere, simulque & advolare, & adnatare videantur, sueviamque hinc, inde Helvetiam illustrare & recreare. Templum iidem Patres insigni structura habent, in eoque tabulas aliquot Membergeri, juxta S. Ignatii gesta ingenium & artem perenniter celebraturas.

Sed & Sculptoribus per totam Basilicam artis præconia, ceu vivæ loquuntur Crucifixorum plurium Martyrum justa statura statuæ, ut nihil de altaribus & reliquo templi ornatu memoremus.

S. Petri & Zofing. Monasteria Virginum duo sunt S. Petri Martyris, & Zofingense, utrumq; Ordinis Divi Dominici, in quibus sat magna Nobilium frequentia Numen Civitati magnis favoribus conciliat & insignia templorum conspiciuntur ornamenta.

Prophana ædificia. De Prophanis ædificiis, cùm publicis, tùm privatis non attinet dicere, etsi ea quoque, Capitolium, ædes Mercatoriæ amplissimæ, Armamentaria Xenodochia, dein Dominorum Canonicorum, Nobilium & Patriciorum, imo plutima Civium ampla sint admodum, nitida est probe excultа. Illud tamen præ aliarum urbium splendore est, quod etiam quæ plebejorum sunt singulari quodam studio honestatis, architecturæ quadam speciali

Digitized by Google

cialigratia, nihil uſpiam obſcuritatis habeant, nedum ſorditiei & ruſticita- *Cultus edium*
tis, quæ ipſiſſima plurimum faciunt, ad valetudinem quoq; conſervandam, & liberos ad munditiem concitandos. Sed jam Conſtantienſis ampliſſimæ Diœceſeos, limites & contenta limitibus diſpiciamus.

Regno ſimilior eſt, quam Diœceſi, & quidem Regnorum non mini- *Diœceſeos de-*
mo, ut quæ etiam Regna, nec Regnis minores provincias complectatur. *ſcriptio.*
Sueviam atque Helvetiam, quas etſi non omnino ex toto contineat, maximam tamen partem; & quantum id ſit, magnitudine non paucis Regnis amplius comprobetur. Alemanniam, proprie dictam, modiciſſima dempta parte, qua proxima Vindelitiæ eſt, totam habet, Sueviæ multo maximam *Regno ſimilli-*
portionem, & pauca ſunt quæ ad integritatem totius Helvetiæ deſideres. *ma eſt.*
Certe & Alemanni, & Suevi Reges habuere, habuiſſent & Helvetii, ſi unquam ferre Dominos potuiſſent, etſi ferrent ſemper, etiam ignorantes, dummodo abſtinerent nomine Regum & Dominorum. Enumeremus Ducatus & Provincias, quibus Epiſcopi jure paſtorali & Pontificio præſunt, quæ ſingulæ ſingulis Epiſcopis ſufficerent, omnes inſimul unum eumdemq; ſuſpiciunt & venerantur. Et quales, quam amplæ, quam uberes, quam frequentes Provinciæ ſunt, Linzgovia, Turgovia, Hegovia, Suntgovia, Briſiaca? quanta Hercinia? Quanti Veteres Ducatus Zäringenſis, Teccenſis, Urslingenſis? Quantus Veterum Sueviæ Ducum? quantus Ducum Wirttenbergenſium? & ecce hæc partim integra, partim pauciſſimis exceptis tota totaliter, Patrem & Paſtorem ſuum agnoſcunt Conſtantienſem Epiſcopum, etſi plures vocem ſequantur alienigenarum. Quid de Marchionatibus Badenſi dicemus, quid de Hochbergenſi, quid de Röttelenſi? Quid de Landtgraviatibus Barrenſi, Klettgovienſi, Stülingenſi, Nellenburgenſi? quarum ſingulæ Provinciarum, ſingulos Epiſcopos requirerent, multæ etiam plures, quin & Archiepiſcopos pro dignitate habere & alere poſſent ac deberent. Sed nunc diſtinctius amplitudinem maximi Epiſcoparus diſpiciamus.

Helvetia imprimis, cujus in fronte, tanquam monile eminet & exſplendeſcit Conſtantia, pars tantum eſt Epiſcopatus tanti, & quidem paucis exceptis, pene univerſa: Regnum plane ampliſſimum, niſi tantopere Regios titulos averſaretur & Dominatum. Terminos habet â Meridie Alpes Cottias, Longobardiam, Ducatum Mediolani Pedemontium, â Septentrione Rhenum & Sueviam, ab ortu Solis Tirolim & Rhætiam, ab occaſu Sabaudiam atque Burgundiam. Diſtinguitur in pagos præcipue 13. Tigurinum, Urſinium ſive Bernatem, Lucernatem, Urſellanum, Suicienſem ſive Suitenſem, Sylvanenſem, Tugienſem, Glaronenſem, Baſileenſem, Friburgenſem, Soloduranum, Schaffhuſianum & Abbacellenſem. Ex his ſolum Fryburgum Nuitonum, exulem ſede ſua Loſanenſem excepit Epiſcopum, cæteri pagi omnes Conſtantienſem venerantur Præſulem, parte Bernatum, & Solo-

durenſium excepta, horum nihilominus eâ quæ cis Arulam eſt, illorum quidquid in Argoviâ ampliſſima obtinent provincia, etiam ad Conſtantienſem pertinentibus. Conſtantiæ ipſi proxima eſt Turgovia pulcherrima & pinguiſſima provinciarum, quæ tota & tanta quanta eſt, ſubjacet noſtro in ſpiritalibus Pontifici, olim magna etiam ex parte eidem in temporalibus; urbi autem ex integro aliquamdiu ſubjecta. Veteres pagum Tauracum ſive Tauciacum, â Tauro fluvio, quem Durium hodie & Thuram vocant, appellarunt. Fines ab Oriente Rhætiam & Reguſcorum provinciam habet; Meride Saunetes; Septentrionem verſus â Vindelicis, Almangoniis & Suevis lacu Potamico, ac deinceps ſecundum longitudinem, lacu Veneto & Rheno â Latobrigibus, ſive Kletgovia & Hegovia diſcriminatur; verſus Occidentem Tigurinæ ditioni contermina eſt. Continet ampliſſimo ambitu, Abbacellanam imprimis Ditionem, ſitu & viris munitiſſimam, Tockenburgenſem Comitatum potentiſſimum, Provinciam Principis Sangallenſis cum Urbe elegantiſſima, Landtgraviatum Frauwenfeldenſem, Comitatum Kyburgenſem, Comitatum Winterthurenſem, Urbes & Dominia Epiſcopi Cellæ, Dieſſenhofenſe, Andelfingenſe, Arbonenſe, Tannecenſe, Bürglenſe, &c. Ex his facile Princeps Abbacellana ditio, Abbati Sangallenſi olim majorem partem ſubdita, hodie liberrimæ Reipublicæ immunitate fruitur: ſitu planè ſingularis eſt, & cœlo proxima, neque fruſtra à Magno illo Helluctiorum Apoſtolo Regii Generis viro S. Gallo receſſu & habitatione nobilitata; qui locus usque hodie prope Sintriæ fluminis fontes, Cellæ S. Galli nomen obtinet. Gratiſſima ſolitudo, ipſa etiam in frequentia populi, gratiſſimum quidpiam cœlo aſpirat, quæ & has terras proximè cœlo ſociat, easque vel ſemel vidiſſe, recordari ſæpius mirifice delectat, ita ſupra ſortem aliarum circumundique provinciarum, natura ſua ſublimior & ſejunctior videtur, aptiſſima cœleſtium contemplationi, & ab omni tumultu abſtractioni, ad Vota animi illius, qui in DEO unus ſoli vacabit, velut vacare geſtiit S. Gallus, etſi poſtea ad conſolationem multorum, inde volente Numine, ad laboresa agri Dominici, traheretur. Difficilis ab Rheno & valle Rheni, atque arduus aſcenſus eſt, unico fere inde aditu, cæteris undique jugi fere præcipitio inacceſſis, introrſum verſus alpes gratiſſimæ modeſti declives, colles amœniſſimi, limpidiſſimi fontes, ſe junctæ, uti Religioſorum Ægypti, habitationes, hæ tamen ſupra modum commodæ, & non paucæ etiam elegantes. Meditullium provinciæ pagus Abbacellanus occupat, commodus & amplus, ædificiis pulcherimis, & ſymmetria haud incongrua ſtructis, cum Baſilicâ magnificâ ripæ amnis Sintriæ colle ſublimiore impoſitâ, & ornamentis ſacris liberaliter inſtructâ, Divi Mauritii Thebææ Legionis Imperatoris nomini & honori ſacrâ, cujus ſacri Heroum fortiſſimorum agminis haud pauca illic oſſa venerationi expoſita, & multa alia mirati & vene-

Turgoviæ deſcriptio.

Amplitudo provinciæ.

Ditiones Turgoviæ.

Solitudo graviſſima.

Natura munita provincia.

Pagus Abbacellanus.

& venerati sumus. Duo Religiosorum Cœnobia habet, virorum unum, alterum Virginum, PP. Capucinorum illud, hoc Franciscanarum, utrumque magna opinionis & perfectionis laude, magno omnino exemplo, solatio & adjumento Catholici populi, qui & ipse ab insigni erga Religionem Catholicam studio deprædicatur. Pecore maximè vivit, quo ditissima uti & pascuis est. Cætera quæ desiderari possunt importantur modico sumptu, cum ex proximis undiq; collibus, non una solum Vallis seu planities, sed tractus Rheni & Potami longè diffusissimi, haud aliter appareant, atque Loth apparuerit *Jordanis Regio quæ universa irrigabatur, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor* Gen. 13. uti Rhènus quæ loca adlambit omnia haud minore ditat rerum omnium copiâ, quam Nilus vix semel toto anno effusus, sæpe etiam inferens suo impetu nimiam terris vastitatem. *Cœnobia.* *Pecore abundat.* *Vicinia uberrima.*

Sintria amnis mediam fere provinciam interluit pulcherrimo, sæpe etiam præcipiti, circum prata & colles flexu, quem â S. Gallo an discipulus eo nomine dictum volunt, ob honorem S. Trinitatis, quasi *S. un tria* hoc est *Sanctum unum Tria* dicerent, quem contractiore hodie nomenclatura, vulgo Siteram appellant. Piscibus optimis divitem, & qui demum prope Episcopi cellam in Taurum sive Durium sese infundat. Satagit rerum Abbacellensium præpotenti apud filium Patrocinio DElpara Virgo, recentibus exemplis, loco sibi singulariterâ Numine designato: nec leviter Zvvinglii sectatorum animos & rationes confundit, nostrorum accendit, quibus & S. Antonius de Padua, nova similiter ejusdem honori condita memoria, frequenter & mire opitulatur, quæ omnia populum cæteroquin ad pietatis studia pronum, ad magnum exstimulant profectum devotionis. Magna Equestris Nobilitatis frequentia, olim his locis sedem fixit, ad fluenta inprimis Sintriæ aliis cum tempore extinctis, aliis civili bello graviter offensis, & tutiora quærentibus, è quibus vetustissima origine Anvillii (vulgo de Anvveil) in Sueviam & Wirttenbergiam pleriq; excessere; Vesteinii Oberbergii, Helffenbergii, Glattburgii, Eppenbergii, Rosenbergii, Ramschvvagii, & plurimi alii, alius & aliis provinciis consedere. Cæterum potentia & auctoritate cæteris apud Abbacellanos prævaluere Comites & Barones Ramsvvagii & Barones de Trogen, vel cætera Turgoviæ Dominia obiter percurramus. Tockenburgius Comitatus, amplitudine & potentia olim Principe dignus, potentissimos semper Dominos & Comites habuit, in Aulis Cæsarum, domi & militiæ spectatissimos, ipsa tamen opulentia turgidos, & vicinis atrociter molestos, cum nimium castris suis, montibus præcipitiis & angustiis viarum confiderent; non semel tamen ipsi quoq; egregiè contusi & in extremas angustias redacti. Viris, armis, & animis valet provincia, & multis prævaleret, nisi Religionis duplicitas discordes redderet; pagos & villas plurimas habet, è quibus Wildthusium Udalrici Zvvinglii Patria, plurimum sibi gloriæ apud ejus sectæ asseclas arroget. Neslovium cultior *Sintria amnis.* *DElpara Patrocinium.* *Nobilitas Equestris.* *Renswegii Comites.* *Tockenburgi Comitatus.* *Zvvinglii Patria.*

Digitized by Google

cæteris pagus, insigni opulentia cives alit. Exsplendescit illic insigni structuræ elegantia Monasterium S. Joannis Baptistæ Vallis Duriæ, cujus Abbatem ipse Princeps Sangallensis agit, alitq; frequentem illic Religiosorum cœtum, postquam vetus Abbatia ejusdem nominis ad pedem alterum montis Campsonii tristi incendio in favillas concidit, apertiore & salubriore loco prope dictum pagum splendide exædificatum. Metropolis totius Comitatus Liechtensteiga oppidum est, haud procul ab Iberga arce, & eleganti Virginum prope Watruillam Cœnobio. Habet & alios pagos quamplures, habuitque quamplurima Nobilium castra & arces, quorum tamen pauca hodie superant, Libertati Helvetiæ suspecta & invisa, quæ bello Helvetico pleraque exusta, multa funditus subruta sunt. Præcipua mole & opere utrumq; Tockenburgium fuit, avita Comitum residentia insigne, è quorum altero, fidei conjugalis marito suspecta Sanctissima matrona Itha Tockenburgia, nata Comitissa de Kirchberg, immani damnata præcipitio, illæsa surrexit, & magnis deinceps illustrata prodigiis vitam Monachicam prope Fischingam suscepit & exegit. Post hæc Lütenspurgum, olim munitissimum, hodiè præter turrim vix nomen retinens, Kilchberga, Brunberga, Lampertsvilla, Lochenium, Mosnangium sive Mosslinga, Wildtperga, Batzenheidium, Magelsperga, & multa alia olim plurimum floruere, ipso pene nomine cum Equestri prosapia virorum extincta, qui omnes prædictis Comitibus obnoxii, militari obsequio ipsis obstrictifuere.

S. Joannis Abbatia.

Liechtensteig oppid.

S. Itha Comitissa.

Castra diversa.

Provincia Sangallensis, (etsi Tockenburgum quoque & Vallis Tauri universa Eidem Principi pareat,) longa & ampla est; continet tractus amplissimos terrarum, Montes, colles, valles ingenti numero, oppida, pagos, vicos, villas, castra, arces, parochias quamplurimas & amplissimas, de quibus omnibus referre nimis foret ab instituto nostro alienum. Ipsum sanè Helvetiæ Sanctissimum Archisterium S. Galli, summa Gentis Helveticæ gloria, promptuarium multis sæculis fuit virorum genere, eruditione, vitæ sanctitate Illustrissimorum, Pontificum meritissimorum, Christi Ecclesiæque Romanæ pugilum fortissimorum. Quod usque hodie, perditissimis etiam, universalis quasi cataclysmi per Germanias tempore, splendorem honorem & famam interconjuratos undecunque hostes, & assurgentes immani mole & impetu fluctus, non sine singulari Numinis gratia conservavit.

Sangallensis ditio.

Monasterium S. Galli.

Landgraviatus Frauwenfeldensis, potentissimos olim Landtgravios & Comites habuit, multamque iisdem subjectum Nobilitatem, quibus extinctis devolutus est ad Kyburgi cognatos Comites; ab his ad Sueviæ Duces, donec Ducatus ad Romanum Imperium devolveretur, & per Præfectos deinceps, provinciæ curarentur, primo Imperiali Præfecto Frauwenfeldensis Landgraviatus Udalrico de Ramselwag constituto. Habuit deinceps etiam suos Præfectos, postquam armis Helvetiorum subactus, & in voluntariæ servitutis libertatem assertus fuit.

Comi-

Comitatus Kyburgi & Wintherthuræ Agilolfingici Generis Principum fuit, uti & Dieſſenhofenſe Dominium, quibus incredibilis pene copia Equeſtris Ordinis Nobilium multitudo ſerviit, ita ut Aulam ſuam Regio more inſtitutam vellent; quorum demum poſſeſſiones omnes hæreditario jure ad Comites Habſpurgios eodem ſatos ſanguine, pervenere Wintenthuræ Comitum arci cum tempore ſplendidum oppidum, ex nimio concurſu Aulicæ Nobilitatis accrevit, unde mira ædium magnificentia cum atriis amplis & equorum ſtabulis, portæ etiam ædificiorum ſublimes & cultiores quibus equorum ſeſſores commode etiam præcipiti curſu inveherentur. Aulicorum præcipui, egregiis arcibus, caſtris & pagis divites fuere, Dapiferi â Dieſſenhofen, Barones de Liebenberg, ab Henckart de Wartt. Domini ab Elgkow, Hohen & Breitten-Landenberg, ab Halweil, Dapiferi de Kyburg, Equites de Schollenberg, ab Eperſperg, de Goldenberg, â Schyterberg, de Werdegk, â Wylen Langenhart, Tierliſperg, Liebeck, Töſeck, Gundiſſaw, Wildperg, Madiſchweil, Altorff, Moſsburg, Wisnang, Meſſickon, Winterberg, Ganſeren, Roſsberg, Tettnow, Firſt, Buch, Yllnow, Kemnaten, Ottickon, Showenburg, Wülflingen, Hertenberg, Hegi, Wiſsdangen, Sulz, Merſperg, Edlibach, Langenhart, Huntzickon, & plurimi alii, è quorum frequentia facilè de potentia Comitum, quibus inſervierant omneris.

Epiſcopi-Cellæ Dominium, originem â condito primum illic Benedictini Ordinis Cœnobio, originem habuit, fundatore Beatæ memoriæ Salomone de Ramſchwaag, Conſtantienſi Epiſcopo, ex Abbate S. Galli cujus familia potens admodum per has partes & tempora fuerat, Is poſſeſſiones, pagos, vicos, villas cùm hæreditate paternâ & maternâ proprias, tùm à Cæſaribus, quibus erat unicè charus, conceſſis, eo converterat, ut ſacrum illic & perennem virorum Religioſorum ſui Ordinis cœtum congregaret; in quos liberaliſſimus extitit, & *Cellam* Monachorum, *Epiſcopi* â ſe cognominari decrevit, ſub annum Chriſti 891. Opulentum admodum Monaſterium fuit, & præter pagos & Villas, Sulgovium, Sittendorff, Birglen, Bergam, Elſchlacht plurimis aliis ditatum & dotatum fuit, abundantia demum in licentiam effuſa, cum tempore Henricum IV. Eccleſiæ iniquiſſimi Cæſaris, ut plurimi paſſim Monachi abſolvi Votis peterent, & cucullum paulo poſt totum abjicerent, Canonici ſæculares facti ex Monachis, qui eo usque hodie ſecurè potiuntur, Abbatia deinceps conversâ in Præpoſituram, quæ usque nunc inter præſtantiſſimas totius Diœceſeos celebratur. Dieſſenhofenſe Dominium Kyburgi Comitibus diu, inde Auſtriacis paruit, Habſpurgi ſcilicet Comitibus, qui uti & illi ob inſignem loci amœnitatem diutius illic conſedere, ita ut illic quoque â frequentia confluentium Aulicorum oppidum elegans conſurgeret altiori Rheni ripæ impoſitum, qui illic tranquiliſſimo fluxu

amœniſſimus, inter præſtantiſſimi vini feraciſſimas vineas magno ſilentio uti profunditate præterlabitur, ripa utraque prope civitatem ponte juncta. Palatinorum præcipui Dapiferi â Dieſſenhofen cognominati, fuere, qui apud Kyburgios & Habſpurgios plurimum poterant auctoritate, & vero etiam vel maxime opibus florebant & poteſtate, vetuſtis clari imaginibus, & nobiliſſima, ipſorum quoque Comitum affinitate, quibus denique totum ferè Dominium parebat, poſt liberatum maxime, inſigni ſtratagemate, & fidelitatis exemplo Archiducem Fridericum, tempore Concilii Conſtantienſis. Cum enim optimus Princeps pro ſua humanitate ſortem miſeratus Joannis, nuper â plerisque adorati Romani Pontificis, ipſi fugæ vel author vel adjutor extitiſſet: Schiſmatis toti orbi & Eccleſiæ pernicioſiſſimi reus â Concilio & Cæſare proclamatus, conſilii inops & quo ſe verteret neſcius ab Henrico Dapifero, equo injectus & ſervili involutus pallio, cappâ ad mentum usque, ne noſceretur, detractâ, extra Conſtantiam, â perſequente ceu ſervum proprium ſcuticâ Dapifero, ejectus eſt, ſuisque & libertati redditus; faſſus ipſe & hanc ſe ipſi debuiſſe ac vitam, quem & merito deinceps multis & magnis beneficiis cumulavit. Habent ſepulturam ſuam Dapiferi illi in Nobili admodum Virginum prope Dieſſenhofen Vallis S. Catharinæ Cœnobio, magno numero tumulati quorum piiſſimis manibus, ut meritiſſimorum Majorum, merito bene precamur. Andelfingenſe Dominium, & ipſum Kyburgiis Comitibus potentiſſimis, inde Habſpurgiis paruit, â quibus poſtea Landenbergiis Toparchis, ab his Tigurinæ Reipublicæ venditum fuit; quibus etiamnum paret, uti & maximi & plurimi Comitatus. Arbonenſe Dominium, ab Arbona vetuſtiſſima ad littus maris Potamici civitate cognominatum, proprios olim Dominos & Barones habuit, è quibus Hermannus Baro de Arbona, poſt Udalricum Baronem de Caſtello, anno Chriſti 1138. Conſtantienſis Epiſcopus electus, fuit, à corporis animique dotibus præcipuè commendatus. Urbem Romani inſigniter coluêre & munière, oportuniſſimo loco ſitam, ut quæ medium lacus Majoris, Conſtantiam inter & Bringantium, occupet, quorum æternitate dignas ſtructiones etiamnum late in lacum exporrecta rudera decreſcentibus, maximè hiberno tempore aquis, obſervántibus indicant, & ſummum ampliſſimæ olim urbis fuiſſe ſplendorem comprobant. Hodie paret Epiſcopo Conſtantienſi, & per Præfectum Nobilem adminiſtratur. Veteres Arborem Felicem dixere, ejusque meminit in Itinerario ſuo Antoninus Auguſtus.

Fides erga Dominum.

Thanneckenſe Dominium Viſchingam inter & Bichelſe, proprios item eodem nomine Dominos olim habuit, poſtea in Epiſcoporum etiam Conſtantienſium manus devenit, tempore Friderici II. Imp. ab Henrico de Thann Epiſcopo emptum. Bürglenſe Dominium Comites olim & Barones habuere,

habuere, adeo præpotentes ut contra Tockenburgi potentissimos Comites bella gererent. Ut nihil de aliis Turgoviæ Dominiis quamplurimis dicamus, quorum & Nobilium aliquot familiarum solummodo Syllabum subjicimus, ut ex hoc unius hujus Provinciæ præstantia & potentia innotescat. Præter proin commemorata Comitum & Baronum Dominia, sequentes quoque Barones, sui nominis Ditiones, in Turgovia possedere.

Æwangen Comites.

Barones de Wunnenberg.		ab Asten.	de Romanshorn.	
de Trogen.	de Ramschwag.	de Klingen.		
de Güttingen.	de Castell.	ab Endt.	â Busnang.	*Baronatus.*
de Winfelden.	de Turberg.	de Margstetten.	de Wengi.	
de Margstetten.	de Matzingen.	ab Altlickon.	de Warth.	
ab Elekow.	ab Henckart.	â Fryenstein.	de Tüffen.	

Nobiles & Nobilium Castra, è multis pauca:

Lönberg.	Hattnauvv.	Lomnis. - - -	Mülheim.	
Spiegelberg.	VVellenberg.	Griessenberg.	Herderen.	
Tegersheim.	VValdeck.	Rosenberg.	Büel.	*Arces & Dynastiæ.*
Gielsperg.	Edegschvveil.	Eppenberg.	Littenheidt.	
Lutersperg.	Büren.	Sterneck.	Lindenberg.	
Tusslingen.	Burgovv.	Glotten.	Urstein.	
Reingersvveil.	Anvveil.	Sonnenberg.	Ober-Berg.	
Stettfurth.	Bichelsee.	Schvvanberg.	Ober-Castell.	
Helffenberg.	Landtsperg.	Glattburg.	Murckart.	
Münchvveil.	Yttingen.	Meldeck.	Straass.	
Schönenberg.	Hochstrass.	Oettlishausen.	Kesswyl.	
Gachnang.	Stranssberg.	Herten.	Eppenstein.	
VVyden.	Klingenberg.	Wesperspül.	Hirtzeten.	
Berg.	Eberhartsvvyler.	Hünerhausen.	Hugelhofen.	*Arces & Castra.*
Schollenberg.	Jungholtz.	Rütti.	Goldenberg.	
Ryffenberg.	Omen.	Schyterberg.	Landenberg.	
Breitē-Landenb:	Hohen-Landen-	Alt-Landenberg.	Tergernovv.	
VVolfensperg.	Tierberg. (berg.	VVerdeck.	Wyler.	
Stryffen.	Tösseck.	Liebeck.	Töss.	
Engelberg.	Singenberg.	Langenhardt.	Heldsperg.	
Liebenberg.	Hagenvvyler.	Tierlisperg.	Heydelberg.	
Eipperg.	VVartensee.	VValtisperg.	Warteck.	
Hutzikon.	Spysseck.	VVildtperg.	Sulzberg.	
Gundisauvv.	Steineck.	Madischvvyl.	Wissnang.	

Castell.

	Rockweil.	First.	Stainach.	Caſtell.
	Ober Caſtell.	Kemnaten.	Geiſsberg.	Altorff.
	Alt Salenſtein.	Neu Salenſtein.	Meſickon.	Illaw.
	Sandeck.	Ottickon.	Neuwenburg.	Ganſeren.
	Mammern.	Roſsberg.	Alt Liebenfels.	New Liebenfels.
	Winterberg.	Moſsburg.	Eſchentz.	Fruoch.
	Stamheim.	Tettnow.	Schwandeck.	Wülflingen.
	Schönauw.	Schowenberg.	Gyrſperg.	Baldeck.
	Winckels.	Schlat.	Senen.	Saas.
	Büſſingen.	Hegi.	Herblingen.	Wiſsdangen.
	Am Staad.	Merſperg.	Sultz.	Lauffen.
Arces & Caſtra.	Fulach.	Huntzikon.	Brunberg.	Langenhart.
	Lochen.	Rhynow.	Rhinſperg.	Rohrbiſs.
	Zuckenriedt.	Ort.	Pfungen.	Multberg.
	Heimenſtein.	Hettlingen.	Geilſperg.	Wagenberg.
	Blauven.	Rudenegg.	Baldiſperg.	Moſsbrunnen.
	Gravenſpühel.	Heydeck.	Hinder Tüffen.	Hohen Tüffen.
	Alt Tüffen.	Nider Tüffen.	Humlickon.	Hünicken.
	Thor.	Radeck.	Kachberg.	Im Gſang.
	Hechingen.	Zum Stäg.	Wälflickon.	Güttighauſen.
	Mülberg.	Eſchlickon.	Meyenſperg.	Mooſs.
	Adlickon.	Kefickon.	Attſchisberg.	Hundtwyl.
	Helffenberg.	Neüburg.		

Modica Dioceſeos pars.

Ut nemo miretur ſatis tot Dynaſtias & arces, in Unico Turgoviæ Comitatu reperiri, ſitque inde facillimum, de fertilitate provinciæ, quæ in tot delicata ſufficiat ora ominari. Et hæc modica Conſtantienſis Epiſcopatus portio, Conſtantiæ Orientem reſpicientis ad dextram proxime adſita lacum utrumque ſuperiorem Potamicum ſive Acronium, & inferiorem ſive Venetum continuo tractu cingit; cui proxima à tergo Zurichgovia, ſive Tigurina provincia adjacet. Hanc priusquam & reliquos Helvetiæ pagos deſcribamus, placet & Turgovicum littus, & adverſum, imo omnem, utriusque maris ſeu lacus ripam, uti Conſtantiam, pulcherrimo contextu tractus ampliſſimi circumambit, obiter contueri.

Lacus Potamici deſcriptio.

Hagnach filialis.
Honacker.
Klein-Hoghbach.

50. Decanatus Kirchaimenſis.

Kirchen.
Nydligen.
Beringen.
Nyffen.
Ovven.
Grabenſtetten.
Gruorn.
Albershuſen.
VVendlingen.
Slierbach.
VVylheim.
VVolden.

Guotten-

Guottenberg.
Underenſingen.
Under-Landingen.
Hegiſsloch.
Frickenhauſen.
Burren.
Hohen-Engen.
Hochdorff.
Schoppflech.
Blochingen.
Heginloch.
Tettingen.
Stainbach.
Kungen.
Dietizow.
Linſenhofen.
Cella.
Enſingen.
Nabern.
Pfauuenhauſen.
Sulbach.
Dunſtetten.
Richembach.
Ober-Lendingen.
Hongenloch.
Holtzmaden.
Nuttingen.
S. Calixti.
Bodelzhofen.
Hurinholz.
Uſingen.
Buſſingen.
Balberſchweyler.

51. *Decanatus Geppingenſis.*

Geppingen.
Durnow.
Bertnanck.
Rechlerghauſen.
Boll.
Turndow.
Lottenberg.
Humingen.
Ober-Weldi.
Uſingen.
Ygingen.
Eborſpach.
Stauffen.
Khummweldi.

Geppingen.

52. *Decanatus Geislingenſis.*

Geislingen.
Schalckſtetten.
Wintzingen.
Uberichingen.
Ybach.
Staberheim.
Drachenſtein.
Teggingen.
Sallach.
Bomkirch.
Milhauſen.
Altenſtaig.
Weyler.
Wyſsgoltingen.
Ottenbach.
Singen.
Waldſtetten.
Ynſtetten.
Kuchen.
Stetten.
Hoffſtetten.
Dunzdorff.
Troffelhauſen.
Durncken.
Stainenkirch.
Wyſenſteig.
Suſſim.
Schlatt.
Nammingen.
Beringen.
Tegenfeldt.
Richenbach.
Grubingen.

Geislingen.

53. *Decanatus Blauubeuranus.*

Blauubeuren.
Ringingen.
Suſſen.
Diettingen.
Burlafingen.
Leichingen.
Machteshaim.
Randelſtetten.
Nallingen.
Aſth.
Harthauſen.
Bappenloch.

Blauubeuren.

gitized by Google

Mercklingen. Ellerhach. Tunaſtetten.
Tumertingen. Barckuln. Bermeringen.
Schorenſtetten. Feldtſtetten. Ludelshauſen.
Ehrnſtein. Ennonbunen. Hornlingen.
Tiſchingen. Bollingen. Weſterheim.
Lutram. Tumertingen.

54. *Decanatus Ehingenſis.*

Ehingen.

Ehingen. Schmiechaim. Epſingen.
Grieſingen. Gundeltzhofen. Naſsgenſtatt.
Juſtingen. Groſs-Almendingen. Klein-Almendingen.
Franckenhofen. Huſen. Gretzingen.
Schelcklingen. Schwarzkirch. Stuſslingen.
Altheim. Burlingen.

55. *Decanatus Mynſingenſis.*

Mynſingen.

Mynſingen. Buttenhauſen. Murpach.
Hunderfingen. Stainbrunnen. Eſſenhauſen.
Dapfheim. Gamertingen. Gachingen.
Seeburg. Waldſtetten. Mageltzheim.
Honaſtetten. Merſtetten. Eglingen.
Tralfingen.

56. *Decanatus Munderkingenſis.*

Menderkingen.

Munderkingen. Hangen. Grunzheim.
Stadion. Steinweyler. Hunderſinger.
Granheim. Wachingen. Marchtal Monaſt.
Mundingen. Krechorn. Bichishauſen.
Sulckatt. Zoll. Ugendorff.
Huſen. Emeringen. Tugendorff.
Zwyfalten clauſtr. Zvvifalten vicus. Merſingen.
Aichenbach. Dieterskirch. Newenburg.
Rotenacker. Egelspeüren. Unlengen.
Rüttlingen. Utten-Weyler. Erbſtetten.
Achbach. Tigerfelden.

57. Deca-

Digitized by Google

57. *Decanatus Riedtlingenſis.*

Riedtlingen.
Veringen oppidum.
Ober-Wibſlingen.
Benzwangen.
Grüningen.
Inderingen.
Pflaumen.
Langen-Eſslingen.
Hermendingen.
Under-Wilfingen.
Altheim.
Tiſtetten.
Hundertſingen.
Waldſtetten.
Emerfeldt.
Heuwdorff.
Anslingen.
Andelfingen.
Fridingen.

Riedlingen.

58. *Decanatus Biberacenſis.*

Biberach.
Seekirchen.
Mittel-Buoch.
Stainhauſen.
Egoltshauſen.
Simondingen.
Stafflingen.
Albenweiler.
Ingoltingen.
Muotenſchweiler.
Mettemberg.
Ummendorff.
Mittel-Biberach.
Warthauſen.
Aſsmuſshart.
Schemerberg.
Rigſchnatt.

Biberacenſis Decanatus.

59. *Decanatus Laubheimenſis.*

Laubheim.
Ramſtetten.
Muotingen.
Berg.
Dorndorff.
Schimpfflingen.
Kirchberg.
Goglingen.
Buchſtetten.
VValdt.
Ochſenhauſen.
Rieden.
Hiltiſsheim.
Guſſin ad Kiltiſſin.
Brimmen.
Holtzhaim.
Schonburg.
Staig.
Labenhauſen.
VViezeshoſen.
Suſſen.
Achſtetten.
Tullneſingen.
Submingen.
Schwendi.
VValprechſthofen.
Ratt.
Stetten.
Buſsmanshuſen.
Maſelheim.
Bumaſshauſen.
Burren.
Burckenriedt.

Laubheim.

60. *Decanatus Diettenheimenſis.*

Dietenhaim.
Vaind.
Under-Tettingen.
Hauſen.
Balſtheim.
Eroltzheim.
Opffingen.
Tanhaim.
Kirchberg.
Roth Monachorum.
Kirchdorff.
Ober-Tettingen.
Berghaim.
Regliſchweyler.

Dieterhaim.

61. *Deca.*

Digitized by

61. Decanatus Wurzachenſis.

Decanatus Wurzach.

Wurtzach.
Reütti.
Bellemont.
Diettmans.
Eſſendorff.
Wolffeckh.
Schwarzach.
Eggmansreitt.
Zell.
Waldtſee.
Hochdorff.
Haugwartz.
Aindurnen.
Ziegelbach.
Ellwangen.
Haiterskirch.
Winden.
Bergatzreütti.
Winterſtetten.
Rotembach.
Thann.
Fyrimos.

62. Decanatus Sulgovienſi.

Sulgen.

Sulgen.
Masheim.
Ramolzvvyl.
Cappell in Buchovv.
Breünenweyler.
Betzenweyler.
Süſſen.
Buſſen.
Eberſpach.
Richenbach.
Oggerſchweyler.
Schwarzach.
Feſumskirch.
Herbentingen.
Ebenwyler.
Bombs.
Kantzach.
Ertingen.
Aulendorff.
Dirmadingen.
Haltingen.
Muttichingen.
Buchovv.
Schuſſenriedt.
Honchenberg.
Boſs.
Bolſtetten.
Offterſchwang.
Neuffra.
Durnen.
Fulgenſtatt.
Altſchauſen.
Höuudorff.
Alberſchweiler.
Heroltzkirch.

63. Decanatus Mengenſis.

Mengen.

Mengen Oppid.
Binningen.
Inhrat.
Burckvveyler.
Laverſchweyler.
Bachoppten.
Zell.
Mengen S. Martini.
Habſtall.
Fridberg.
Schura.
Magenbuch.
Hoſskirchen.
Oſtrorch.
Roſsnauw.
Diengenhofen.
Hauſen.
Waaldt.
Sigmaringen.
Krauchewyſs.
Dafertſchweylen.

64. Decanatus Ysnenſis.

Ysni.
Chriſtenhofen.
Leutkirch.
Engelhartzhofen.
Frieſenhofen.
Menoltzhofen.

Eincken-

Digitized by Google

Einckenhofen.
Diepoltzhofen.
Muottwiſshofen.
Fego.
Wengen.
Zyl.
Kruogzell.
Aasnang.
Runs.
Zum-Leupoltz.
Rechtens.
Cella Martini.
Kruggerzell.
Heroltzhofen.
Waltenhofen.
Aitrach.
Burren.
Altmuſsriedt.
Luttrach.
Sicken.
Arnach.
Buchberg.
Menholtz.
Bolſterlang.
Mergartzhofen.
Lupoltz.
Altmanhoſen.
Gebhartshofen.
Nudingzell.
Kiſslegg.
Megoltz.
Wiggisbach.
Razenriedt.
Kartſee.
Stainbach.
Urnauw.
Aichſtetten.
Yſenhartz.

Decanatus Yſenſis.

65. *Decanatus Stifenhofenſis.*

Stifenhofen.
Ymmenſtatt.
Hellengerſt.
Under-Sunthofen.
Grienenbach.
Kirchdorff.
Thall.
Weyler.
Ebrechtshofen.
Moſelſtein.
Mittelberg.
Vulter.
Meggars.
Rottenbach.
Haimenkirch.
Sigfridsberg.
Stauffer.
Blaichach.
Eckhartz.
Viſchen.
Elenhofen.
Tuffembach.
Landenberg.
Stain.
Knottenriedt.
Mulſen.
Diepolz.
Zell.
Schaitegg.
Wittnow.
Seeſtraaſs.
Offterſchvvang.
Vishen.

Stifenhofen.

66. *Decanatus Ravenſpurgenſis.*

Ravenſpurg.
Wolfertſchwendi.
Eſchach.
Amptzell.
VValdtpurg.
Fronhofen.
Altdorff.
Berg.
Gaylnhofen.
Pfertrich.
S. Joſephi Ravenſp.
Bodneck.
Grünkrautt.
S. Chriſtinæ.
Baindt.
Tettnang.

Ravenſpurg.

Digitized by Google

Præter has autem, Parochiales, aliæ, quæ curam Parochialem non habent, Diœceseos hujus sunt infinitæ ferè & innumerabiles Ecclesiæ, quas etiam ob hoc ipsum enumerare non aggredimur. Limites denique Episcopatus, à Dagoberto primum Magno definitos, cujus Bulla intercidit, à Friderico dein primo cogni Barbarossa confirmatos, Ejusdem Cæsaris verba audiamus.

BULLA FRIDERICI IMP. PRIMI, DE LIMITIBUS DIOECESIS CONSTANT.

Bulla Frid. I. Imp.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus Divina favente Clementia, Rom. Imp. Aug. Desiderium quod ad sublimationem Ecclesiarum & honorem Ecclesiasticarum personarum pertinere cognoscitur, Imperialem benevolentiam, nostra gratuita pietate decet annuere, & fidelium nostrorum petitionibus congruum impartiri suffragium. Eapropter notum sit omnibus Christi Imperiique nostri fidelibus, qualiter nos dilectissimi nostri Hermani Constantiensis Episcopi, indefessum fidelitatis obsequium, clementer animadvertentes, Ecclesiam Beatæ semper Virg. MARIÆ, cui DEO authore præsidet, tanto præ cæteris specialius diligere, & amplioribus honoribus sublimare intendimus, quanto studiosius, quantoque efficacius in Republ. nostra gubernanda, hactenus nobis cognoscitur affuisse. Decernimus ergo non solum nostris beneficiis decorare, verum etiam omnia quæ à sanctissimis & glorioſissimis Antecessoribus nostris Divæ memoriæ Regibus & Impp ab omnibus retro temporibus, usque ad Nos in possessionibus, in terminis, in immunitatibus, in mercatu & moneta, in portu, thelonio seu in cæteris Justitiis, eidem Ecclesiæ collata sunt, Nos præsentis scripti Privilegio communimus & Imperiali Autoritate corroboramus, inprimis distinguentes terminos Parochiæ inter Constantiensem Episcopatum, & cæteros adjacentes, sicut ab Antecessore nostro, felicis memoriæ Dagoberto Rege, tempore Marciani Constantiensis Episcopi distinctos invenimus, videlicet versus Orientem, inter Constantiensem & Augustensem Episcopatus, sicut Hilara fluvius cadit in Danubium, ac deinde usque Ulmam villam nostram. Versus Aquilonem vero, inter Episcopatum Wirzburgensem & Spirensem, usque ad marcam Francorum & Alemannorum: ad Occidentem vero per silvam Schvvarzvvaldt in pago Brisgouve inter Argentinensem Episcopatum usque ad fluvium Bleichacha, qui

Dagobertus Rex.

Digitized by Google

qui dirimit Mortnovv & Brisgovv. Inde per decurſum ejusdem aquæ usque ad Rhenum fluvium: inter Baſileenſem vere Epiſcopatum, ubi fluvius prædictus Bleichacha cadit in Rhenum, & ſic per ripam Rheni inter præmemoratam ſilvam Schvvarzvvaldenſem usq; ad fluvium Ara, ac deinde inter Loſanenſem Epiſcopatum, per ripam Aræ usque ad lacum Tunſeh, inde ad Alpes & per Alpes ad fines Rhætiæ Curienſis ad villam Montigel. Termini autem pagelli, qui dicitur Biſchoffshorn aliorumque circumquaque commorantium populorum: hi ſunt â Rheno fluvio inter Legenvveiler & Tribeltingen in Grauvenſtein ac dein in medium Falckmoſs, inde in ſuperius Falckmoſs, inde in ſuperiorem partem Luthemrieth, ac deinde in Sarmos, inde in Buttenrieth, inde in Forrebach & per Forrebach in Comum, & ſurſum per Comum u que ad Tutemuli, inde ad caſam Reginfridi, inde ad domum Rothardi, inde ad Haimenbach, in Wackerſchlach, ac deinde in Grauvenſtein, & inde in Mittenbrunnen, inde in Graben, inde per plateam in occidentali parte ad caſam Wolfvveini, inde ad Anneatobel, inde in Grauvenſtein, inde in lacum inter Nuheim & Monaſteriolum. Et quia hæc terra his terminis incluſa cenſualis eſt Eccleſiæ Conſtant. Nulli hominum in prædicto pagello liceat terram emere, vel ullo modo ſibi vendicare, ſine permiſſione Epiſcopi, exceptis tributariis hominibus ex eodem pagello natis. Præterea ſunt termini Foreſti Arbon ad flumen Salmaſa, inde per decurſum ejusdem aquæ ad flumen Stainaha, inde ad locum Mula, inde ad fluvium Sidronam, inde ad Alpem Sidronam, inde ad albam Sidronam, inde per decurſum ipſius aquæ usque ad montem Heimelberg, inde ad alpem Sambarinam, inde per Tirſtum usque ad Rhenum, ubi in vertice rupis ſimilitudo Lunæ, juſſu Dagoberti Regis ipſo præſente, ſculpta cernitur ad diſcernendos terminos Burgundiæ & Curienſis Rhætiæ, inde per medium Rhenum usque in lacum. Inde ad Germundas ad prædictum fluvium Salmaſa. Poſſeſſiones vero ſupradictæ Eccleſiæ, propriis duximus vocabulis exprimendas, videlicet Abbatia Peterhuſenſis, Abbatia S. Udalrici, Abbatia S. MARIÆ in Auva, Abbatia Wagenhauſen, Cœnobium in Monaſteriolo, Præpoſitura in Biſchoffeszella, Præpoſitura S. Stephani, itemq; Præpoſituræ cenſuales Bolla & Sindelfinga, quarum cenſus ad uſus Canonicos ſpectant, Præpoſitura Oningen, quam nos hæreditario jure ad Nos transmiſſam Eccleſiæ Conſtant. tradidimus, cujus Advocatiam denuo de manu Epiſcopi recipientes, ſpopondimus, quod nullius ſub Advocati diſtricta deinceps ſubjaceat curtis in Horna, curtis in Arbona cum Eccleſia Parochiali, curtis in Biſchoffzella, curtis villa Berga, cum Capella, curtis in Tegeruvila cum Eccleſia, curtis in Wiſſendanga cum Eccleſia, curtis in Winterthuna cum Eccleſia, curtis in Stadelhofen, curtis in Horna cum

Termini Epiſcopatus.

Pagellus Epiſcopi.

Arbonenſis ditio.

Abbatiæ & Præpoſituræ.

Digitized by Google

Eccleſia, curtis in Bollinga cum Eccleſia, curtis in Stuſſelinga cum Eccleſia, curtis in Louffen cum Eccleſia, curtis in Nunkirchen cum Eccleſia, Eccleſia in Sippling, curtis in Serntingen cum Cappella, curtis in Podama cum Eccleſia, curtis in Luzelchain, cum Eccleſia, curtis in Muren cum Eccleſia. Has prædictas poſſeſſiones ad Dominicalia Epiſcopi, adhuc libere pertinentes aliasque complures in beneficiatas, quas præſens pagina capere non poteſt, Privilegiis Anteceſſorum noſtrorum innotatas, ſæpe dictæ Eccleſiæ & Epiſcopo confirmamus. Specialiter autem poſſeſſiones ad uſus Canonicorum pertinentes ſubnotari fecimus: Curtim in Pfina cum Eccleſia, curtim in Wigottingen cum Eccleſia, curtim in Marſtetten cum Eccleſia, curtim in Alternouva cum Eccleſia, Eccleſiam in Richenbach longo, curtim in Richenbach Minori, curtim in Egela, curtim in Mictelo, videlicet totum, quod Eberhardus illic viſus eſt habere, in Eccleſia, Wartbuchell, præter Caſtrum, curtim in Gutting cum Eccleſia, curtim in Richaſala cum Eccleſia Capellam in Waluvys, Eccleſiam in Goldbach cum Vinea ad usque (uſus) luminariorum, curtim in Stetten cum Eccleſia, curtim in Tagedarsdorff cum Capella, curtim in Thuring cum medietate Eccleſiæ & decimarum, curtim in Sittingen cum Eccleſia, curtim in Balan cum Capella, curtim in Huſen, Eccleſiam cum decimis & curte in Sachspach. Curtim in Bugging cum Eccleſia, curtim in Ouchaim, curtim in Uringen, curtim Dominicalem cum Hoſpitali in Columbaria; in Rhætia Curienſi curtim in Flumenes, curtim in Amedes, curtim in montanis Burg cum Eccleſia. Has & alias Fratrum poſſeſſiones, tam privatas quam communes, nulli perſonæ jure Beneficii poſſidere, præter ipſos concedimus, adiicientes ut curtes Clauſtrales eorundem Canonicorum, nullus temere ingredi, vel homines, per aliquam Inſtitiam diſtringendi præter Epiſcopum poteſtatem habeat. Quod qui præſumpſerit, eidem pœnæ, quam invaſores Palatii noſtri promeruerunt, ſubjaceat. Præterea omnes Jus Foreſti, in Hori, à Proavo noſtro Imperatore Hentico, tempore Romaldi Conſtant. Epiſcopi ex conſenſu Ulrici Augiens. Abbatis, aliorumque prædia vel beneficia illic habentium, ſupradictæ Eccleſiæ collatum eſt, jure perpetuo confirmamus, ut nullus illic venandi habeat poteſtatem, ſine permiſſione Epiſcopi. Hi autem ſunt termini Foreſti: â villa Egoltingen usque ad ortum fluminis Murgæ, & flumen deorſum usque ad vadum, quod eſt in villa Ruſſelingen, & ſiniſtrorſum per plateam usque Remeshaim in fluvium Bibara, & per illam deorſum usque ad Rhenum, & per Rhenum ſurſum usque ad Lacum Augenſem, & in-

Canonicorum poſſeſſiones.

Fratrum Canonicorum Curtes Clauſtrales.

Foreſti deſignatio.

Digitized by Google

& in circuitu laci ad Villam Oningen, & inde ad Kattenhorn, inde ad Wangen, inde Hemenhofen, inde Geyenhofen, inde Horne, ac deinde per circuitum Laci usque vero, fluvius ſecus Ratobſeszellam influit in Lacum, & deinde per eundem fluvium ſurſum usque ad lacum Egelſee, ac deinde ad pontem Wallenbruck, & per fluvium ſurſum usque ad villam Stalringen, & inde ſiniſtrorſum per plateam quæ ducit Waleuviis in fluvium Simelſee & ſurſum per fluvium usque ad ſupra dictam villam Eggoltingen. Decernimus igitur, & ſub obtentu Imperialis Gratiæ noſtræ, præcipimus, ne aliquis hominum, in poſſeſſiones ſupra memoratæ Eccleſiæ Conſtantienſis, tam in Beneficiatas quam liberas, nec non ad eas, quæ ad uſus Monaſteriorum ſeu Eccleſiarum, ad Epiſcopatum pertinentium vel in homines eorum, judicandi aut diſtinguendi, præter Epiſcopum & ipſius Advocatum, aliquam poteſtatem habeat. Removentes omnino jam ſæpius abjudicatam Subadvocatorum omnium deteſtandam exactionem. Adhæc ſtatuimus, ut nec Nos, nec aliquis ſucceſſorum noſtrorum, Regum ſeu Impp. locum, Conſtan. adeat, vel ſtatuta ſervitia exigat, niſi vocatus ab Epiſcopo, vel orationis cauſa, vel itineris neceſſitate veniat, quod â prædeceſſoribus noſtris eidem loco collatum eſſe conſtat. Cæterum ſi qua perſona contra hujusmodi noſtrum Confirmationis præceptum, temere, venire, vel aliquo ingenio infringere præſumpſerit, Banno Imperiali noſtro ſubjaceat, & mille libras auri puriſſimi componat, medietatem Cameræ noſtræ, & medietatem Eccleſiæ prædictæ & Epiſcopo perſolvat. Et ut hoc ratum & inconvulſum omni ævo permaneat, præſentem inde paginam conſcribi juſſimus, & ſigillo noſtro aureo inſignivimus adhibitis idoneis teſtibus, quorum hæc ſunt nomina: Conradus Auguſtenſis Epiſc. Conradus Wormat. Epiſc. Frideloch Augienſis Abbas, Wernherus Abbas S. Galli, Adelbertus Campidon. Welfo Dux, Berchtoldus Dux Burgundiæ. Conradus Dux frater Imp. Hermannus Marchio de Baden, Rudolphus Comes de Ramesberg, Humbertus Comes de Lentzenburg, & frater ejus Comes Ulricus Eberhardus Comes de Nellenburg, Marquardus Comes de Geringen & filii ejus. Hartmannus Comes de Kugenburg (Kyburg) & frater ejus. Adelbrechtus Comes de Dilingen & alii complures. Signum Domini Friderici Romanorum Imp. Aug. ego Arnoldus Maguntinæ Sedis Archiepiſcopus & Archi-Cancellarius recognovi. Data Conſtantiæ anno Dominicæ Incarnat. milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto, Indict. IV. quinto Cal. Sept. Regnante Domino Friderico Rom. Imp. Aug. anno

Libera Iura Eccleſ.

Interminatio.

Teſtes ſubſignati.

Anno 1155.

anno Regiminis ejus quarto, Imperii vero primo; actum in Chriſto feliciter, Amen.

Sed miſſis nunc, quæ Topographicam ſpectant deſignationem Chronologiam aggrediamur.

Tibi Unico DEO Una ſalus.

PRÆ-

Digitized by Google



PRÆNOBILI STRENUOQUE VIRO
DOMINO

JOANNI FRANCISCO DIETRICH, DE LANDT-SEE IN BERG,

Hypothecario Poſſeſſori in Hohen-Gundelfingen, Dürr- & Märrſtetten &c. Sacræ Cæſareæ Majeſtati à Conſiliis, nec non

Regiminis Superiorum Partium Auſtriacarum Conſiliario, atque Urbis Conſtantienſis Vice-Gubernatori

Domino mihi multo nomine colendo

Partem hanc ſecundam Conſtantiæ Chronographicam

Tanquam ſingulari Operis promotori ex merito debitoque

D. D. D.

P. F. GABRIEL BUCELINUS,
Imperialis Monaſterii Weingarttenſis Aſceta, Prior S. Joan. Bapt. in Veldtkirch.

CON-

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTANTIÆ RHENANÆ SACRÆ ET PROFANÆ,

PARS II.

Chronologica Rerum Memoratu digniorum ejusdem Urbis & totius Diœceseos descriptio

Authore

R.P.F. GABRIELE BUCELINO Imperialis Monasterii Weingarttensis Asceta, Presbytero Theologo Benedictino Priore S. Joan. Baptistæ in Oppido Veldtkirch.

PRimævum Harudopolis sive Constantiæ nostræ, primùm conditæ & nomen & annum, casus varii, & multa, tot sæculorum, totque ætatum & annorum, cum injuria, tùm incuria inscitia atque ignorantia, inter tot diversa pacis bellique studia velut ruinas & rudera, altum sepeliere. Docet autem ipsa loci situsque ratio, undecunque à quavis orbis plaga occurrentibus, sedesque post dispersionem Gentium primam quærentibus, fluviorum & marium sive maxumorum lacuum juxta terrarum commoda rite expendentibus, aream hujus Urbis, Trevirorum atque Solodori uti longe præcellit, ita præ istis placere & probari debuisse, ac per consequens, structioni atque habitationi, præ illis, aliisque Antiquitatis honorem & primitias sibi vendicantibus, designatam, excultam atque ædificatam. Cum autem ex antiquissimis Ethrusorum constet tabulis, ipsummet Noa

Incertus V. C. annus.

Antiquitas.

igitized by Google

Noëmus & liberi. met Noa poſt Diluvium, ſuâ præſentiâ Europam & Italiam, non ſolum honoraſſe, ſed alteram Cethim primæ æmulam, Vulterram poſtea appellatam, in Ethurſia (corruptè Ethruriæ) condidiſſe, eidem vinginti annis præſtitiſſe, reſignatoque & translato in Japetum filium Imperio, quaquaverſum dimiſſis filiis ac nepotibus, Orbis conditi anno milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono, poſt egreſſum ex arca centeſimo vigeſimo ſecundo, ſolius cultui Numinis & agri ſeſe dediſſe; veroſimile eſt, conſcenſis proximis Hethruriæ Rhæticis alpibus, ut ſedes circumſpicerent, & ſuperatis, ut ulterius quærerent, plurimos Noa ſatorum, Rheni fluviorum Europæ facilè Principis ductu, felicem ſequutos ripam, cum ad ampliſſima illa collecti ejusdem in lacum, ceu mare ampliſſimum, ſpatia & alveum, amœniſſimamque circum jacentem ripam, ac dein lympidiſſimi denuo è profundo emergentis fluminis latices veniſſent, gratia loci captos, condendæ eo ipſo loco urbis conſilium cœpiſſe, & priusquam alii alio diverterent, primam illic ſtationem fixiſſe, & concordi laboris contentione, in urbis alicujus conſtructione laboraſſe, cujus tanto poſt, uti priore operis præſentis parte diximus, tantæ profunditatis rudera reperta ſunt & fundamenta. Certè uti omni ætate, fluviorum & amnium ripæ, nobiliſſimarum civitatum ſtructioni, præ aliis locis delectæ & deſignatæ ſunt, ita fluviorum Cæſaris Rheni fertiliſſimus tractus, non potuit non præ omnibus aliis diligi & deligi, eo inprimis loco, quo depuratus ab omni ſorde, ex uno mari in alterum, lympidiſſimo & curioſiſſimo ad miraculum curſu devolveretur; tanta circumundique agrorum & ſoli bonitate, aëris temperie, cœli clementia, ut poſt ſuperatos, ab aſcenſu deſcenſuque Rhæticorum Montium penè intolerabiles jumentis atque hominibus labores, aſperioresque ut propiores montibus ſemitas, iſta ſeſe quaſi alterius orbis felicitas, anxiis & fatigatis, plauſibiliter commendaret, animosque mirifice juxta corpora recrearet. Nec dubium eſſe debet, ut quisque prior tali commoditate & elegantia locum viderit, tam longo itineri & incommodis ſolatium ſibi quemq; optaſſe, nec leviter etiam utris cederet, priusquam à præcipuis expeditionis Ducibus decernetur, contendiſſe.

Japetus ſuccedit Patri.

Proſpectus ex jugis Rhaticis.

Rheno Duce profectio.

Antiquiſſimæ urbis veſtigia.

Duo maria.

Amœnitatiſſima.

Pro loco contentio.

Certum proin nobis, Urbem noſtram, utcunq; primùm appellata, & quocunq; anno condita ſit, à primis Noa ſive Nohemi poſteris, ſeu filio, aliquo ſive nepotibus exædificatam, & prius ſanè, quam reliquo Rheni decurſu, ipſo itineris ductu, poſtea primùm erectæ & cum priores multitudinem hominum non caperent, conditæ fuerunt aliæ Civitates, quarum multo plures fuiſſe, quam Treverorum Metropolim, nemo ſanæmentis dubitare debet aut poteſt, niſi qui omnem Hiſtoriam, ab invidentiſſimis alienæ gloriæ Romanis petunt, qui tamen ſibi ipſis contradicunt, cum adeo ſilveſtrem, incultam & inhabitabilem Germaniam comminiſcuntur, infinita tamen penè eorumdem recenſent nomina, & tanti faciunt ex illis ſubinde triumphum retuliſſe.

Vrbs à Noe poſteris exſtructa.

Germaniæ ſemper populo frequens.

Digitized by Google

tuliſſe. Inde eſt, quod Conſtantia noſtra, antequã ultimum hoc nomen â Reſtauratore mereretur, aliter & aliter à priſcis Scriptoribus (Primævæ defectu nomenclaturæ) non aliter atque Auguſtæ Rauranorum, Treverorum, Vindelicorum, & ipſa, nunc Turgojorum Auguſta nunc Alemannorum, &c. appelletur; Mœſopolis, Caſtellum item Aquarum, (tantos inter lacus conditum) Harudum & Harudopolis, Vitodurum, Gannodurum, Gaunodurum, &c. quæ ipſa nomina non ex opinione ſolum impoſita velim exiſtimes, ſed reapſe, alio & alio tempore urbem ſic nominatam, & quamvis Ganno & Vitoduri, à nonnullis nomina oppidis Stein & Winterthuræ aſſignentur, his poſtea primùm, cum adjectivo Inferioris ſeu Minoris fuiſſe aſſignata. *Varia Vrbis nomina.*

Cæterum urbs noſtra etſi Aſcanio aliquamdiu, (Aſcenazio, quem vulgo Tuiſconem vocant) Gomeris filio primogenito, Japeti nepoti, ac dein Manno (à quo Alemanni) paruerit, & Sacra procul dubio lingua, primo tempore uſa ſit, Manno tamen alias etiam deinceps condente Gentes, iis qui Ethruriam obtinuerant fines prolatantibus, & Rhætiam imperio adiicientibus, huic & Ethruriæ accrevit, multoq; tempore Ethruſca manſit; optimis ornata & inſtituta diſciplinis, donec hæ omnes invaleſcentibus ab ambitione odiis & præliis: humanitate in belluinam degenerante feritatem, tota paſſim Germania, & Alemannia etiam noſtra proſcriberentur, & nemo non Virtutem in viribus, fortunam in dextra ſitas crederent. Rhætiam porrò, à noſtris horrore montium deſertas, inductis colonis, primum Aruns Jani Vandimonis filius, poſt annum Orbis conditi 2170. excoluit, & à Meſappo Tyranno Ethruriæ Regno ejectus, pro Aſylo habuit. *Aſcenaz & Mannus.* *Ethruſca Vrbs.* *Aruns primus Rhætiam excolit.*

Ab hocne, deſperatis in Ethruria rebus, firmandæ non ſolum Rhætiæ intento, ſed promovendorum finium avido, perſuaſi Acronii accolæ & urbs noſtra, ſive coacti, an à ſucceſſorum aliquo, Ethruſcis primum primæ Rhætiæ indigenis, ac deinceps Ethruriæ Regibus, fidem dedere, eoque, ut videtur promptius, quo certius quoque ab Montanis auxilium, & ſi recipere ſe cogerentur, in munitioribus naturâ locis, ſubſidium & refugium reperirent. *Rhætia latius exporrigitur.*

Anno Orbis conditi 2745. Sicano tyranno Italiam & Regnum Ethruſcum invadente, ac deinceps eo pulſo Luchiis Enachiis tyrannidem centum triginta totos annos occupantibus, Hetruſci & Rhætiam & Viciniam noſtram frequentiſſimam effecere, non ingrati hoſpites, donec numero confiſi, & ambitione concitati, vicina tentarent, Alemannos & Vindelicos concitarent, non majore horum, quam proprio incomodo, de quo poſtea dicemus. *O. C. 2745.* *Multi ad partes Acronii confident.*

O. C. 3055. Jano Cambo Cogiro ad Regnum evecto, multi denuo ſive Alemannorum ſive Vindelicorum metu, in Ethruriam ſe recipiunt, quo tempore æquioribus oculis Alemanni & Urbs noſtra contueri Ethruſcos viſa, Regis illius ab Virtute fama, etiam exterorum animos ſibi demerente. *Ianus Cambus Rex.*

Digitized by Google

Indè longa aliquot ſæculorum requies, donec turbatis Rhætiæ rebus, incertum, hiſne potius, graviter ab Ethruſco dominatu offenſis, an huic addictior Urbs noſtra, vix tamen alterutri favendo parti anno O. C. 3611. 12. & 13. turbas effugeret.

Legatio ad Salomonem.

O. C. 3624. Feliciſſimo nunc Rhætiæ, Urbisque noſtræ ſtatu, cunctis alta pace gaudentibus, ſub moderatiſſimo Tuſcorum Imperio, ab his communibus Votis, ad petitionem Augurum ſolemnis Legatio ad Salomonem Hebreorum Regem decernitur, cum toto orbe ejus Sapientia deprædicaretur. De qua tabulæ Priſcæ Ethruſcorum pluribus agunt, & Legatorum mandata deſcribuntur.

O. C. annus 3625.

O. C. 3625. Fine anni reverſi ab Salomone cum muneribus Legati, magno plauſu in Volaterra veteri recipiuntur, miſſis ad concives & populares ſubdelegatis, qui pacta conventa cum Judæis & Rege prædicto referrent, & quæ Religionis ſunt curarent. Qua occaſione noſtros tota provincia minime præteritos, quivis facile ominatur.

Tumultus Rhætia & vicinorum.

O. C. 3635. Inteſtino tumultu & factionibus, Ennio Tomblejo primùm occaſionem præbente, fatigatur Ethruria & Rhætia, illo Rhætorum Jura, nimia licentia violante, & alium illi quem Rhæti veteri conſuetudine Lucumonem elegerant, obtrudente, Urbe noſtra & Vicinia, neceſſario alterutri partium favente, certè eâ concivium diſſenſione, haud minimum periclitante.

Annus O. C. 3636.

O. C. 3636. Ventum etiam ad arma, quæ tamen noſtri loco remotiores, uti nec illi qui trans Atulam & Ocellum corripuiſſe videntur, etſi Amicorum haud leviter, injuriis, ſuoq; cum tempore periculo, moverentur.

3638.

O. C. 3638. Magno omnium plauſu, dexteritate Orcii Salivici & Nuccii Atriarii, res componuntur, Rhætique & Tuſci inter ſe feliciter conciliantur.

Alemanni & Vindelici victores.

O. C. 3664. Incertum quibus ex cauſis, ſive invidentia quietis & fortunæ alienæ, ſive ſedium pro multitudine anguſtarum, partes inferiores Rhætiæ & Trans-Acronianas, magno collecto exercitu invadunt Alemanni ac Vindelici, & violenter ſubigunt, inopinato rerum caſu perterritis Ethruſcis, & tumultuariè lectis copiis fruſtra in hoſtem miſſis, magnaque ſtrage repulſis. Non conſtat autem utrum Urbs noſtra, primo impetu capta ſit, an potiùs poſtea manus dederit, ſigna ſubmiſerit, poſtquam â fortuna penitus deſertos Tuſcos animadvertit; cum hucusque in fide & devotione horum, quin & Religione quieta permanſiſſet.

Rhati deficiunt.

O. C. 3665. Rhæti inferiorum partium, ſponte jam ſua Alemannis atque Vindelicis accenſi, dum in Superiores ſigna inferunt, à Crano Rechito non ſine clade repulſi, ipſa in fuga à Conterraneis ſuis peſſimè habiti, plurimi mactati, reliqui trepide in ſua ſe recipiunt; Vindelicis & Alemannis, quo minus rem ulterius Tuſci promoverent abſterrentibus.

Quid

Digitized by Google

Quid poſt acceptam hanc â Tuſcis & Superioris Rhætiæ populis cladem in partibus noſtris factum, dubium admodum eſt, altum aliquamdiu ſilentibus Tuſcorum tabulis, ſibi tantum propiora tangentibus, videnturque Urbs noſtra & Briganium, tanquam munitiora loca cum Alemannorum tum Vindelicorum conatus eluſiſſe, dum etiam Fania (Veldtkirchium hodie) agro circumundique Vindelicis parente, in fide Tuſcorum manſerit & ſeſe contra invaſores ſtrenuè popugnaverit. *Fania hodie Veldtkirch.*

O. C. 3776. Hiſtris atque Illiricis à Tuſcorum deficientibus imperio & Vindelicos Noricosque ad turbas alia parte ciendas concitantibus, iſti denuo diverſis locis Rhætiam invadunt; Reſiſtunt fortiter Rhæti, verum fruſtra expectatis Tuſcorum auxiliis, animo fracti & viribus ſeſe in fugam vertunt; Vindelici Faniam ſive Fananiam obſidione premunt, in qua cogenda cui denique defecerint, veroſimile noſtram Urbem ſitu & præſidio magis munitam, minimè tentaſſe. *Vindelici quietem turbant.*

O. C. 3777. Miſſus cum exercitu adverſus Vindelicos Elbius Dandolius, cum his acri prælio prope Faniam congreſſus vincitur, Vindelicis victos ad Adulam usque montem hoſtiliter perſequentibus Fania tamen copioſius præſidium admittente, & contra Victores rem fortiter & conſtanter gerente. *Elbius Dandolius.*

O. C. 3778. Laborantibus inteſtina diſſenſione Tuſcis, Vulterranis rebellibus Rhætos ad ſocietatem ſceleris ſollicitantibus, hi conſtanter in fide permanent, quo irritati Vulterrani cum Nocicis & Vindelicis conjurant adverſum Rhætos, his paulo poſt manus dare coactis, noſtra deinceps urbe cum parum ſubſidii à Tuſcis ſperaret, ad Alemannos potius quam Vindelicos reſpiciente. *Vindelici partem Rhatia occupant.*

O. C. 3820. Circiter Harudopolis jam nomen uſurpaſſe, certè à priſcis appellatam urbem noſtram, ab Harudibus Alemanniæ populis probabile eſt, cum à Tuſcis, metu Vindelicorum, Rhætiam inferiorem occupantium deſerta, ad Alemannos ſemper magis, robuſtiſſimam ſibique vicinam Gentem, quam ad Vindelicos reſpiceret, neque à Tuſcis deinceps ſubſidii aliquid expectaret. *Harudopolis nomen.*

O. C. 3950. Magnum Hiſtoriæ ſilentium, ipſa Gentium diverſarum inter ſe colliſione, quibusvis ſedes ſuas dilatare, vel mutuo eiicere ſive extinguere allaborantium, Alemannis conſtantiſſime ſua tuentibus, quibus devota urbs noſtra Harudum ſive Harudopolis, in magnos tamen errores incidit, dum relicto Veri DEI cultu, â Noha ſive Vandimone & Japeto Poſteris religioſiſſimè commendato, præter ſolem & lunam, varia more vicinorum & inania Deorum ſimulacra coluit, præ aliis tamen Manni (à quo Gens ipſa Alemanna, quin & DEUS ipſe deinceps à gente Alemannus, nomen accepêre) ſummo in honore habuit, cujus Vetuſtiſſimum *Alemannorum Dii.* *Mannus ſingulariter colitur.*

Idolum ære fusum in proximâ Urbi nostræ Augiensi insula superiore sæculo repertum Maximilianus I. Imp. Oenipontem transtulit. Cui Insula illa, è regione Alemangaviæ, peculiarius fuisse videtur dedicata; quæ profligato

Augia Insula. demceps sacrilego inanium Numinum cultu, non tam serpentum omnisque generis venenatorum animalium confluxu, quam Cacodæmonum, terrifica fuit, donec à S. Pirminio lustraretur & expiaretur, singulare habitaculum factum DEI vivi & veri Electorum.

Galli vicina armis tentant. O. C. 4131. Dum Rhætiam superiorem & Tusciam Romani varie tentant, Galli non minus rem suam promovere conati Alemanniam & inferiorem Rhætiam incessunt, hoc quidem anno satis feliciter repulsi, quæ causa fuit Harudopolis nostræ sollicitius communiendæ, & præsidio firmandæ.

O. C. 4140. Majoribus viribus aggressi Rhætias Galli, nonnullis locis Vindelicos eiiciunt, Rhætos in fidem accipiunt, qui ipsorum progressus & successus haud leviter Alemannos & Harudes sollicitos reddunt.

Condolent vicinis nostri. O C. 4152. Vulterranis & Larienſibus Rhætos concives juvare conantibus, utrique haud leves clades à Gallis accipiunt, nostris cautè se habentibus, & concivium nuper suorum fortunam miseram, non sine dolore contuentibus.

O. C. 4173. Romanorum nimium invalescens potentia Rhætos non minus anxios reddit, quam Harudes & Alemannos in rem suam attentos intentosque, delectu non semel militum habito, & provisis auxiliis, quibus adversum hostes uterentur.

Marantius Dux contra Rhætos missus. O. C. 4178. & 4180. Rhætis assiduè Tuscorum opem implorantibus, missus tandem cum auxiliaribus copiis Marantius Dux, rem fortiter agit, & Gallis passim profligatis, plurimos captos in Ethruriam mittit. Altum denuo Historiæ silentium, vix tamen credibile Tuscos aliquid interea contra potentissimam Alemannorum Gentem tentasse, ita ut Harudes nostros quietè vixisse opinemur.

O. C. 4447. Nimiis Romanorum progressibus territi nostri, rebus suis ut possunt consulunt, ipsis quoq; Rhætorum plurimis fortunam & signa

Sarunetes à Rom. victi. Romanorum sequentibus, dum proximos Sarunetes Martius Consul Romanus subigeret, nostris etiam vicinos merito suspectos habentibus.

O. C. 4449. Pergunt Victoriam prosequi Romani, & Rhætos Galliæ & partibus nostris vicinos bello infectari, nostris facile conjectantibus, non se porro diutius pace & quiete fruituros.

Appius Cl. Consul. O. C. 4472. Triumphat de Rhætis Galliæ & Helvetiæ finitimis Appius Claudius Consul Romanus, Germanis proximis & maximè Alemannis, & Harudibus nostris, facile quæ sibi imminerent prospectantibus.

O. C. 4526. Rhætis immissas proxime Romanorum colonias eii-

Cn. Pompeius Strabo. cientibus, & pessimè tranctantibus, Cn. Pompeius Strabo, Pompeii Magni parens

Digitized by Google

parens urbis Consul supervenit, Rhætos reprimit, colonos reducit nostris non tam confinium oppressionem dolentibus, quam Libertati suæ metuentibus, & qualiter se ac sua tuerentur providè consultantibus.

O. C. 4557. Nova omnino rerum facies circa Harudopolim, cum Helvetii spe sedium meliorum, sua desertâ provinciâ, versus Italiam movent, Rhætis quamprimum propiora sibi, ad lacum usque Acronium occupantibus, & nostros procul dubio sibi adjungere parantibus. Verum contusi â Cæsare Helvetii, dum sua â Rhætis repetunt & armis extorquent ipsis etiam Romanis, quibus fidem dederant, juvantibus, nostri non jam minus ab Helvetiis quam Rhætis metuere coacti sunt, ut qui Socii Romanorum essent, & horum consilia conatusque fovere & juvare tenerentur. *Rhati nunc victores mox victi.*

O. C. 4572. Progressi semper ulterius Romani vix bidui itinere ab urbe nostra rerum potiti castra figunt, ipse Julius Cæsar & D. Brutus Rhætos cogunt, apud quos M. T. Cicero, pago usque hodie à se cognominato (Zicers) in hybernis agit, de quibus ipse Epistola 4 ad Brutum, libro XI: *Cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa Castella cepi, multa vastavi, &c.* Romanis jam ad caput usq, lacus Potamici Brigantinũ sinum excurrentibus, quæ res non minimũ Harudes nostros cæterosq, Alemannos turbare debuit. *Pagus Ciceronianus.*

O. C. 4575. Dum C. Julii Cæsaris morte audita animum & vires resumunt Rhæti & Romanorum jugum conantur excutere, nostris è vicinia in rei eventum intentis, paulo post Octavii, Antonii, & Lepidi Triumvirorum armis denuo subiguntur. *Mors C. Julii Cæs.*

O. C. 4600. P. Silii hoc anno in Rhætos moventis victoria, excitatus in spem totius Rhætiæ subigendæ Octavianus Cæsar Augustus, bellum illud solemniter decernit. *P. Silius.*

O. C. 4603. Insignis ab Augusto Cæsare in Rhætos exercitus Duce Claudio Druso mittitur, attonita in rem tota Germania, & vicina maximè Rhætis Alemannia. Ultro progressi obviam Rhæti, primos insultus fortiter excepere; verum superior deniq; prælio Drusus magnaq; strage fusi Rhæti, qui effugerant, non domesticos solum suos sed vicinos etiam omnes, Alemannos, Vindelicos & maxime Harudes nostros, haud leviter terruêre. *Cl. Drusus.*

O. C. 4604. Nunquam majoribus in angustiis Harudopolis nostra quam hoc ipso anno fuit, cum Romana primum signa & quidem cominus spectaret. Missus novo cum exercitu Tiberius, postea Imp. Augustus, ab Occidente adverso Rheno venit, ut venienti ab Oriente Druso, auxilio adesset. neuter tamen Alemannos irritandos duxit, & Tiberius Harudes tanquam Amicos, nisi benevolos, certe dissimulantes habuit, suos impunè navibus impositos per Rhenum & Potamum versus Briganium sive Brigantium duxit, & insulam cui à Tilia nomen occupavit, eâ deinceps optimè usus, donec una cum Druso Rhætos omnes fascibus Romanis & Imperio subiiceret, ut & Vindelicos auxiliares. *Periculum urbis nostræ.* *Lindovium occupatur.*

O. C. 4606.

Digitized by Google

Rhætia subjecta.

O. C. 4606. Romani pergunt Rhætiæ munitiora loca occupare & præsidio munire, ita ut facile adverterent Alemanni & nostri inprimis Harudes, vix deinceps spem superare, tanti hostis â cervicibus amoliendi.

Christus nascitur.

O. C. 4616. Orbe summa in pace composito, Romanis Rhætos & vicinos omni officiorum genere demerentibus, nascitur Rex Pacificus Christus JESUS, DEUS homo, matre Virgine, & anno sequenti.

Annus Christi primus.

O. C. 4617. Calendas Januarii suo sanguine octo dierum puerulus consecrat, JESU nomine appellatus; quo ipso tempore disciplina plausibili allecta Romanorum Harudopolis nostra, Municipalis facta videtur Romanorum; Augusto beneficiis potius, quam minis, quoscunque poterat demerente; Alemannis omnibus adeo miti ingenio Principem & Heroem felicissimum reverentibus, nihilque hostile molientibus.

A. C. 2. Rhætiæ Vicinæ Titus Sempronius Gracchus præficitur, qui jussu Augusti, nihil non devinciendis Alemannis & Harudibus nostris meditatur; ita ut superstite Augusto, Urbs nostra & accolæ omnes summa pace fruerentur.

A. C. 5. Affligebat tamen haud leviter, in eventus omnes fortunæ præaliis mente intentos, quod cùm in Rhætia, tùm ad Rheni ripas tanto studio Romani omnia communirent, Arbonam, Fines, Forum Tiberii aliaque loca firmissimis præsidiis armarent, in sola ferè Rauracorum prævincia, brevissimo temporis spatio, supra sexaginta arces condidissent; ita ut prudentioribus merito suspecta hæc omnia redderentur, etsi nunc quidem Augusti reverentia & timore dissimulandum arbitrarentur.

Augustus ipse vicinam & Potamum lustrat.

A. C. 9. Cum teste Suetonio nulla fere in orbe esset provincia, quam non suis ipse obiret & oculis & pedibus, Augustus, & id quidem vel maximè cum ipsius reverentia, tranquillissimo in statu, orbis compositus esset, dubium esse nemini debet, dum Rhætiam lustraret & Vindeliciam, lacum nostrum Acronium, cum sua metropoli, Augusta Turgojorum lustrasse & illustrasse, etsi certo id anno assignare nequeamus. Circa tamen hoc tempus, verosimile est, accidisse.

Præfectorum licentia.

A. C. 10. Haud multo post quam discesserat ab his partibus Augustus, sive de non redituro, ut querelas audiret, certi, sive de faciliore suo, quam exterorum aditu confisi, relicti passim Germaniæ Præsides, dum insolentius, & pro libitu atque avaritiæ agunt, paulo post Germaniam ad arma concitant, invalescente statim famâ restituendæ Germanis, junctione sociorum, libertatis, Alemannis non minus & Harudibus nostris, eodem aspirantibus (his tamen minimè Amicitiæ Romanorum renunciantibus,) Arminio præcipuo Germanorum Copiarum Duce & Imperatore electo, qui rem deinceps ita gessit, ut ipsi hostes Virtutes Ducis ad cœlum usque extollerent.

A. C. 12.

Digitized by Google

A. C. 12. Arminius ſupremus militiæ noſtræ Imperator, memorabilem ex Romanis triumphum refert, cæſis ferè eorumdem quinquaginta millibus, quos inter integræ tres Legiones inter Romanas rebus ante geſtis celeberrimæ, ipſo Quintilio Varo Romanorum Duce graviter vulnerato, & ne in manus hoſtium veniret ſemet ipſum interficiente, cujus exemplum plures alii Duces ſequuti ſunt, Auguſto Cæſare ad cladis nunciũ contabeſcente, & ſæpius congeminante: Redde Legiones redde Legiones ô Quintili, Redde Legiones.

Alemanni confœderantur.

A. C. 13. Erecti in ſpem maximam aſſerendæ denuo libertatis plurimi Germaniæ populi Arminio fœdere junguntur, quos inter Alemannos quoque fuiſſe & Harudes atque Harudopolim noſtram dubium eſſe nemini debet, etſi hujus incolæ conſervandæ pacis ſtudio, nihil hoſtile adverſum Romanos viciniores & Romanis obnoxios molirentur.

Cæſar Aug. moritur.

A. C. 16. Triſtiſſimus Alemannis non minus quam Romanis hic annus eſt, morte Octaviani Auguſti Cæſaris Principis prudentiſſimi & clementiſſimi, cujus ſtudium præcipuum erat, eos Præſides Provinciarum conſtituere, qui Romanum nomen, Æquitatis & humanitatis, pulcherrimis exemplis laudabile & amabile redderent, quod qui Rhætiæ & vicinis Harudopoli urbibus & præſidiis præerant gnaviter præſtitere.

Cl. Tiberius Nero.

A. C. 17. Solatio haud levi Rhætiæ & modo dictorum locorum Claudius Tiberius Nero ſucceſſit Cæſari Auguſto, qui haud levia coram non ſemel edidit, optimè affecti ad Harudes animi, cum à ſe ſuisque Fora Tiberii, Arbona & Finibus, quaſi clauſam & circumſeſſam Harudopolim, ut ſociam coleret, imo foveret; etſi hæc tamen caute ſemper ageret, & ſuſpectam merito haberet & potentiam & ambitionem Romanorum.

Tanfana Feſtum.

A. C. 18. Aliter erga Romanos affecti Marſi, Bructeri, Tubantes & Uſipetes morte Auguſti in ſpem libertatis erecti, dum hoſtilia parant, & Numini ſuo Tanfanæ ſolemniter litant, à Cecinna Germanici Duce inopinato opprimuntur. Inde concitati Germani cæteri, adverſum Romanos conjurant, Arminio ſive Hermanno Duce noſtro, evocatis undique auxiliis rem fortiter agente, etſi variantem ſubindè fortunam experirentur.

Arminius Dux.

A. C. 20. Magnam præclarè geſtis famam aſſequitur Dux noſter Hermannus, faventibus eidem occultè Alemannis, quod Tiberius, voluptatibus & vino plurimum deditus, noſtris delicias omnes averſantibus paulatim contemptui eſſet, & Præſides provinciarum, nimio quoq; luxu diffluerent, ſubditorum querelis Romanorum nomen peſſimè denigrantibus & infamantibus.

Idem Arminius moritur.

A. C. 22. Arminius ſive Hermannus glorioſiſſimus Teutonicæ militiæ Imperator, non ſine incredibili patriæ amantium luctu dolo Romanorum, perfidiâ domeſticorum ære conductorũ, cum non ſupra [illegible] annos rebus præfuiſſet & ſeptem ſupra triginta vitæ impleſſet interficitur. Cui monimenti & Epitaphii loco, ſequentia Taciti Hiſtoricorum Sapientiſſimi ponere placuit:

Digitized by Google

ARMINIUS.

Epitaphium. DOLO PROPINQUORUM CECIDIT LIBERATOR HAUD DUBIE GERMANIÆ, ET QUI NON PRIMORDIA POPULI ROMANI SICUT ALII REGES DUCESQUE, SED FLORENTISSIMUM IMPERIUM LACESSIERIT PRÆLIIS AMBIGUUS, BELLO NON VICTUS, SEPTEM ET TRIGINTA ANNOS VITÆ DUODECIM POTENTIÆ EXPLEVIT.

A.C. 25. Etsi nunquam non contra Germanos jugi intolerantissimos Romani susciperent, vigilantia tamen Tiberii Cæsaris factum ne quidquam molestiæ Alemanni Harudes nostri & Vindelici paterentur, quod ab his offensis Rhætiæ plurimum metueret, quam in fide conservari quam maximè Rom. Reipubl. & Italiæ interesse animadvertebat.

Harudes eximii.

A.C. 33. Christi prædicatione & vocatione Apostolorum memorabilis hic annus, confessione maxime solenni Apostolorum Principis Petri: *Tu es Christus filius Dei vivi.* qui deinceps de Urbe nostra & Diœcesi immortaliter meruit.

Vocatio Apost.

A.C. 34. Eidem Petro, post resurrectionem suam Christus Primatum tradit, commendata ipsi Ecclesia per congeminata illa: *Pasce Agnos meos, & oves meas.* ut de hoc ipso sui Apostoli Primatu Harudopolis & Constantia nostra, merito sibi plurimum gratuletur.

S. Petrus bene meretur.

A.C. 47. Sub hunc ferè annum creditur à S. Petro Sanctus Beatus ejusdem discipulus, ordinatus Episcopus, & ad partes nostras missus, qui optimi pastoris munus explens, in solitudinibus primum & speluncis habitans, inde ad prædicationem Evangelii excurrens, multas pro Christo molestias pertulit, donec apud Vindonissam conditâ primum Ecclesia oviculas congregaret.

A.C. 49. Sed & S. Barnabas Apostolus, in districtu Diœceseos nostræ prædicando aliquamdiu substitit, & ipse merito inter Tutelares Constantiæ nostræ recensendus, à quo in Rhætia etiam aliquamdiu ad montem Lucumonis considente, ille ipse mons deinceps S. Barnabæ est appellatus.

S. Barnabas nostris prædicat.

A.C. 52. Petrus Apostolorum Princeps sub hoc tempus, dum in Rhætia & Valle Drusi, Faniæ (quæ hodie Veldkirchium est) Verbi Divini verba jaceret, ad vicinos quoque Potamos & Harudes nostros claritatem suam exporrexisse dubium esse nemini debet, qui in reditu Barnabam secum abducens, primum Mediolani Pontificem ordinavit.

S. Petrus ipse excurrit.

A.C. 56. Claudius Imp. æquissimus nostris, non sine magno luctu Germanorum, Agrippinæ uxoris dolo è medio tollitur. succedente

Mors Claudii Imp.

Domi-

Domitio Nerone, qui non minus quam Claudius viciniores Rhætiæ populos demereri conatur.

A. C. 63. Sub hunc circiter annum Martyrio affectus ſcribitur S. Barnabas de provincia noſtra, quæ Conſtantienſis poſtea Diœceſis dicta eſt optimè meritus, & jure optimo inter Tutelares Diœceſeos adſcribendus. *S. Barnabas Martyr occumbit.*

A. C. 67. Exercitum Romanum, ſive ad conſulendum iis, quos ex eodem Chriſto conciliaverat, ſive ad viſitandas à diſcipulis noviter erectas Eccleſias Petrus Apoſtolorum Princeps, ejusdem revocati in Italiam occaſione, per nobiliſſimi fluminis Rheni tractum occurrens Harudopolim etiam noſtram, ſacro ſuo contuitu, ſi non ingreſſu beatam reddit, & in circumjacente provincia longè venuſtiſſima radios virtutum ſpargit, Chriſtum prædicat. *S. Petrus Harudopoli.*

A. C. 69. Memorabilis toti Chriſtiano orbi annus, Romæ inprimis atque Italiæ, inde Rhætiæ & Conſtantiæ noſtræ, glorioſo Martyrio univerſalis Paſtoris, ſpecialis harum Apoſtoli & Tutelaris Petri, cujus procul dubio, novis Chriſti plantulis & oviculis S. Beatus Epiſcopus noſter, diſcipulus Petri, Sanctitatis exempla & Primatum Pontificatus, diſertè expoſuit, & cum ad ipſum tanquam Petram Fidei firmiſſimam, tum ad Succeſſores ejusdem, ne quâ doctrinæ novitate, à Pſeudo-Apoſtolis avocaretur, reſpicere docuit. *S. Petrus Martyrio afficitur.*

A. C. 70. Non tam patricidium matre Agrippina, quam communi omnium patre Petro, interfectis dat pœnas monſtrum Cæſaris Nero, ſui ipſius, manu propria, etſi trepida, interfector, dum ad mortem undique quæreretur. etſi obcœcati tetra etiamnum errorum & impietatis caligine, tam Rhæti quam Harudes noſtri majorem partem, ſuper Tyranni morte magis, quam veri patris lugerent, cum hunc necdum agnoſcerent, illum exteris magis fidum quam domeſticis, ceu Libertatis ſuæ Patronum coluiſſent. *Perit Nero imp.*

A. C. 71. Magna rerum turbatio! Intuentur è proximo Harudes noſtri confinium ſuorum diverſiſſima ſtudia, mox jurata odia, Helvetiorum nimirum atque Rhætorum, cum Galba, qui Neroni ſucceſſerat, poſt 7. menſium Regnum interempto, illi Ottoni, hi Vitellio faverent, mox etiam correptis armis, prope Aquas-calidas Helvetiæ (Badenam hodie vocant) congreſſi, graviſſima clade Rhæti Helvetios internecione delerent; non ſine plauſu Harudopolis noſtræ ſuper victoria concivium nuper ſuorum & Amicorum, quibus ſucceſſus adeo felices animitus gratulati ſunt. *Rhæti Helvetios profligant.*

A. C. 72. Prolatant fines longè latèque per Helvetiam Rhæti, voluntate optima Romanorum, quibus fidelem navârant operam, & Generoſos ſpiritus inſigniter probaverant, Turgovia inprimis ditioni adjecta, *Rhætia dilatata.*

Digitized by Google

quos minimè iniquo oculo, & æquiore quam Romanos Arbonæ, Ad Fides & Foro Tyberii, Harudopolis noſtra contuebatur.

Veſpaſianus Rhætos conciliat.

A. C. 73. Veſpaſianus Rhætos Vitellio ſuperſtite ſibi adverſos expertus, eo ſublato cum Amicos meruiſſet, demereri omni modo aggreſſus, non tantum fines amplè dilatare permiſit, ſed quo magis ſibi obnoxios magnis beneficiis redderet, iisdem concivem ejusdem Patriæ, Præſidem, Sub-Procuratoris titulo Aruntem Maurum dedit; qua libertatis, quaſi reſtitutæ, ſpecie illecti Harudopolis cives, ſub hoc ipſum tempus, nomen dediſſe Rhætiæ veroſimile eſt, & in fidem etiam Veſpaſiani Cæſaris ultro conceſſiſſe, ita ut extunc ſat longo tempore Rhætiæ accenſeretur.

Aruns Maurus.

Harudopolis vocatio ad fidem.

A. C. 75. Præter promotam multis laboribus Chriſtianam doctrinam à S. Beato Apoſtolo noſtro, per ampliſſimam provinciam, Conſtantienſis Diœceſeos, poſtea dictam, in ipſa quoque urbe Harudopoli opera Aruntis Mauri Præſidis & Sub-Procuratoris noſtri, ac maxime S. Clementis Papæ ejusdem conſanguinei, invaluiſſe argumento eſt, perſecutio etiam deinceps ibi inſtituta.

Urbs noſtra conſtans in fide Imp.

A. C. 78. Germanis paſſim & ad inferiores maximè Rheni partes, tumultuantibus & in Romanos inſurgentibus, imperturbata nihilominus Harudopolis noſtra & Rhætia univerſa, Amicitia Cæſarum optimè uſa, mercaturæ utiliſſimum ſtudium exercuit, non Alemannis ſolum Vindelicisque Rhætiæ vicinioribus ſed & Hermanduris Sueviæ populis aliisque, negotiationis cauſa liberè admiſſis, Veſpaſiano & Tito, rem plurimum approbantibus, & Rhætiæ faventibus.

S. Linus ſit Martyr.

A. C. 80. Martyrio finit Apoſtolicos labores optime meritus de Rhætia noſtra & Harudopoli S. Linus Maurus Pont. Max. cujus vel ob jus quidem ſanguinis cum Præſide noſtro Arunte mors deplorata à multis fuit, nedum ob agnitam ejus operâ lucem Veritatis.

Moritur Veſpaſianus.

A. C. 81. Communi Romani orbis & Rhætiæ inprimis noſtræ atq; Harudopolis extinguitur glorioſiſſimus Imperator Veſpaſianus ſolo deinceps filio Tito imperante, qui per omnia patris ſimillimum erga noſtros ſe habuit, humani generis Delicium appellatus.

S. Beati prædicatio.

A. C. 82. Quiete provinciæ optimè uſus ſub Tito Clementiſſimo Principe, Præſide item Arunte Chriſtianis ſi minus adnumerato, certo addicto atque benevolo, Sanctus Beatus Epiſcopus noſter, nullam occaſionem diſſeminandæ fidei prætermittit, non tam verbi prædicatione, quam vitæ exemplo verè Apoſtolico, quo vel maximè Barbaros, ipſa inopiæ & injuriarum omnium mirabili tolerantia, in ſtuporem rapiebat.

Titus veneno tollitur.

A. C. 83. Complorante orbe univerſo, ſola Roma dolorem diſſimulare coacta, Titus optimus Cæſarum à Domitiano fratre, veneno tollitur, urbe

Digitized by Google

urbe etiam noſtra, Rhæticarum nunc facile principe, tanti Principis mortem diu & large deplorante.

A. C. 84. Cæteris Germaniæ ad Rhenum urbibus, concitante Lucio Antonio Legionum Romanarum Rheno incubantium Præfecto, contra Domitianum inſurgentibus, Harudopolis noſtra ſola quieſcit, cæteris quoque Rhætiæ populis, diſſimulantibus, quod electionem Romani Imp. ad ſe minimè pertinere arbitrarentur; levitatis notam viris & Germanis indigniſſimam, merito deteſtati. *Germania deſciſcit.*

A. C. 88. Cæſo non ſemel à Germanis L. Sabino, & immiſſis Roma adductis Legionibus, ipſe expeditionem ſuſcipit Domitianus, nullo operæ pretio, imo inſigniter contuſus, qui nihilominus Romam reverſus, conductis in ſpeciem triumphi Germanis, triumphare non erubuit. Ea expeditione ad urbem noſtram divertiſſe, & in itu ſive reditu Rhætiam luſtraſſe, & fidem laudaſſe, minimè dubitandum eſt. Cæterum anno primùm ſequenti ad urbem rediit, ſollicitus de Rhætia in fide conſervanda. *Domitianus Rhætiam luſtrat.*

A. C. 89. Felicior Domitiano Cæſare Norbanus Appius, nunc Præſidem Rhætiæ agens, qui conſcripto undique milite, robore Rhætorum & Harudum noſtrorum, in Lucium Antonium movit, ejusque inſolentiam frangens, ipſum è medio ſuſtulit, quæ res Domitianum mirifice recreavit, ejusque erga noſtros animum benevolum reddidit. *Norbanus Appius.*

A. C. 90. Quanto crudelior in Romanos Domitianus, tanto benevolentior in exteros, & maximè vicinos Italiæ Rhætos, plurima in eosdem beneficia confert, ita ut nunc pergerent impune fines ſuos dilatarent, & Harudopolis noſtra in meditullio provinciæ ſita, haud immerito Rhætiæ Metropolis cenſeri poſſet. *Domitianus noſtris favet.*

A. C. 95. Sanctus Beatus libertate & quiete Rhætiæ & Helvetiæ bene uſus, à labore, agri Dominici haud minimum fructus colligit, ipſa Vitæ ſanctitate plurimos Chriſto lucratus, ſolo corpore in terra degens, animo cœlis affixus, ſolitus, dum Sacris operaretur, extra ſe rapi, atque immobilis ſine omni ſæpe ſenſu conſiſtere, donec ſibi redderetur. *S. Beati laudes.*

A. C. 98. Interficitur Domitianus, quanto majore Romanorum plauſu, tanto Germanorum, & Rhætorum inprimis atque Harudum luctu, quorum commodis & quieti ſemper proſpectum voluit. Succeſſit Nerva Coccejus, qui Collegam Trajanum tunc in Germaniis agentem adlegendo, Germanos haud leviter demeruit, & provinciis tributum remiſit, iis quam maximè qui rebellibus ſe non admiſcuerant, quas inter præcipuè Rhætorum & Harudum noſtrorum fuêre. *Domitianus occiſus.* *Coccejus Imp.*

A. C. 99. Luxêre ſtatim hoc anno, cui vix gratulati Imperium erant optimum Principem noſtri, quos tamen Trajanus Succeſſor, pari omnino benevolentia immunes juſſit, ac benevolentiſſime deinceps *Trajanus Imp.*

habuit. qui & Coccejum ſtatim inter DEOS ſolemniter retulit, & coli præcepit.

Trajanus provinciam inſtrat.

A. C. 100. Trajanus nunc primum Romam iter ſuſcipit, poſtquam Germaniæ res compoſuit, per Rhætiam, cui Harudopolis etiamnum accenſa fuerat idem inſtituens, & ut vero ſimillimum eſt etiam Urbem noſtram ſuâ præſentiâ honorans, cunctos ſibi oblingans, & beneficiis obſtringens: cui ſe honoris gratia Rhætiæ cohortes adjunxere.

Multi Chriſtiani apud nos exules.

A. C. 101. Reſuſcitat perſequutionem in Chriſtianos Trajanus, prohibitis ſodalitiis, quæ cauſa plurimis fuit, ut in Rhætiam & partes noſtras immigrarent, quod nullo loco tutius latere ſe poſſe crederent, apud homines & Romanis plurimum addictos ac bene affectos, & quos Cæſar inquietare non præſumeret.

Viſchinga Aſylum.

A. C. 104. Superſtes etiamnum magno exulum Chriſtianorum ſolatio S. Beatus Epiſcopus & Apoſtolus noſter, profugis quibuscunque poteſt modis conſulit, cujus procul dubio conſilio, & ductu, in Diœceſi noſtra, ad montem Cornutum (vulgo Hörlin) loco, qui hodie Viſchinga dicitur, inter denſiſſima nemora, receſſu abditiſſimo plurimi conſedêre.

Trajanus in noſtros liberalis.

A. C. 108. Rapiunt Cæſarem in Orientem graviſſimi motus, qui priusquam Româ cum exercitu moveret, de Germania in officio & fide continenda ſollicitus, auro aliisque muneribus, illos inprimis ſibi obligat, quos plurimum poſſe noverat, eosque in fide conſervari, multum Rom. Reipubl. & Imperii intererat. inter quos Rhæti & Harudopolitani merito cenſebantur.

Apollo Maurus.

A. C. 109. Claret in Rhætiâ noſtrâ Apollo Maurus Aruntis Prætoris filius ſive cognatus, patruus S. Albini ſive Albani viri Apoſtolici & Martyris, cujus beneficio plurimum promotam rem Catholicam opinamur.

Moritur S. Beatus.

A. C. 112. Evocatur ad præmia æternitatis, Magnus Apoſtolus noſter & primus Epiſcopus Sanctus Beatus, Divi Petri Apoſtolorum Principis diſcipulus, vir extaticus, anno ætatis nonageſimo cujus majorem partem, in prædicatione verbi Divini laudabiliter & utiliter conſumpſit, dignus qui â tota Diœceſi ſummis honoribus celebretur.

S. Achates Apoſtolus.

A. C. 113. Chriſtianorum ſummo ſolatio ſuccedit in Apoſtolico munere, & Pontificali proculdubio etiam functione Divo Beato, lectiſſimus ejus diſcipulus, laborum & gratiæ particeps, re & nomine, verè fidus Achates, cujus inter Epiſcopos noſtros nomen reticeri plurimum miramur.

Plures diſcipuli S. Beati.

A. C. 114. Sed & alios plures S. Beati diſcipulos in diverſa Diœceſeos loca diſtributos ſuperſtitis Magiſtri juſſu indubium eſt, & dolendum vel maximè, tanta majorum noſtrorum Beneficia non diligentius adnotata, & poſteritati eſſe commendata.

A. C. 117. Sub hoc, circiter tempus, invaleſcente Chriſtianorum

cum

cum apud Montem Cornutum sive Corniculi, tum apud Vindonissam, primam Episcoporum nostrorum sedem numero Romanorum Præfectis & Præsidibus Ethnicis, Cæsaris, exemplum seu jussa sequentibus, & persequutione illorum gratiam captantibus, plurimi etiam, in Silvæ Herciniæ latebras se abdunt, loco, qui hodie illustrissimi nominis & famæ Archisterio S. Blasii, celebratur. *S. Blasii Solitudo.*

A. C. 119. Supremus hic annus Trajano fuit, quem morbo alii, nonnulli veneno extinctum volunt, mortem ejus tota Germania, atque inprimis Rhætia nostra lugente, quam ipse plurimum honoribus auxit, & Vindeliciam adjunxit, secundam, ad differentiam nostræ, quæ Prima fuit, appellatam, cujus Metropolim Augustam plurimum extulit; quo tempore primùm Harudopolim nostram hoc amisso nomine Augustam similiter primæ Rhætiæ censemus cognominatam; quam alii Rhætorum alii Turgojorum Augustam appellitarunt. *Moritur Trajanus Imp.*

A. C. 120. Hadrianus succedit Trajano, non aliter quam antecessor ad utramque Rhætiam affectus, quam & auro, & aliis muneribus devinciendam sibi censuit. *Hadrianus Imp.*

A. C. 123. Hoc, an præcedenti proximè, anno, Germaniam lustraturus Hadrianus Imp. cum Martyrio SS. Faustini & Jovitæ Brixiæ interfuisset per Rhætiam ad partes nostras descendit, insigni ex Rhætis conflato exercitu, cujus honori æquè consulens; ac suo hâc inscriptione nummos cudi curavit: *Exercitus Rhaticus.*

Ex parte anteriore — Parte altera

HADRIANUS. AUG. COS. III. PP. — EXERCITUS RÆTICUS. S. C. *Numisma Hadriani.*

Fuit tunc Rhæticæ militiæ Dux, ut Acta præfatorum Martyrum habent, Italicus, *Comes Utriusque Rhætiæ*, nominatus, quæ *Comitis* appellatio deinceps in *Ducis* nomen transiit.

A. C. 126. S. Achates S. Beati discipulus, maximis meritis totam Diœcesim nostram mirificè demeretur, insignesque manipulos in Christi horrea infert. Hadrianus Imperator Rhætiæ utrique Præsidem Aurelianum Comitem, qui non minus quam Antecessor Italicus in Christianos crudeliter sævit. *Aurelianus Præses.*

A. C. 127. Christiani Diœceseos nostræ, majorem partem in montibus & speluncis latitantes, Vischingæ & in Hercinâ, vitam quasi Monasticam instituunt, in commune vivunt & proprietatem rerum abdicantes, totos Divinis laudibus se consecrant, quorum utinam gesta ad Annales relata haberemus. quorum Sacræ corporum exuviæ, etsi æque hodie, atque olim illi latitantes, sub Divi tamen Benedicti cucullo & tectis benè curatæ, multis dein sæculis in illis quasi revixêre, ipsaque loca toti Germaniæ venerabilia reddidêre. *Vita Monachica in Diœcesi.*

A. C. 129.

Digitized by Google

Liberalitas imp.

A. C. 129. Adrianus Imp. longè positus, Orientem lustrans, de Germania nihilominus sollicitus, magna auri largitione, Germanos, eosque inter præcipuè, Rhætos nostros demeretur.

Ælia Augusta.

A. C. 130. & 131. Adrianus non minus quam Trajanus erga Rhætos affectus, Augustam Secundæ Rhætiæ Metropolim splendidè exornat, & â se cognominari *Æliam Augustam* jubet; nostrâ Augustâ inter duo sua maria, Mœsium (hodie Acronium & Potamicum) atque Venetum, longè ante Bizantio præludente, & omnes Augustorum superbos conatus, augustissimâ situs gratiâ & commodis, longè exsuperante.

Adriani lustratio.

A. C. 138. Sub hos fere annos Adrianum Cæsarem Rhætiam utramq; primam & secundam lustrasse, ut & Augustam à se restauratam, & nostram, Romæ deinceps Novæ æmulam, quin & omnes Romanorum designasse provincias & Colonias Scriptores Veteres asseverant.

Moritur Adrianus Imp.

A. C. 140. Incredibili totius Germaniæ luctu extinguitur Adrianus Imp. Sed Rhætiæ inprimis nostræ & primiæ & secundæ, quas Augustissimæ liberalitatis muneribus & immunitatibus colere, in præcipuis habuit, ipsasque plurimum amplissima ditione auxit. Successit Antoninus cognomento Pius, qui ingenti sumptu Mausolæum Adriano condidit, eoque ipso nostrorum animos statim demeruit sibique obstrinxit.

Cl. Ptolomæus.

A. C. 141. Desinunt hoc anno Observationes Claudii Ptolomæi Mathematicorum hoc tempore Principis, qui Rhætiæ nostræ, & Acronii atque Rheni commixtionem atque urbium accuratè descripsit.

Antonius Pius imp.

A. C. 143. Antonius Trajanum atque Adrianum benevolentia & liberalitate longè antegressus, Rhætiam inprimis nostram, & utramque Augustam plurimis beneficiis demeretur, uti apud Romanos *Patris Patriæ*, sic apud omnes Pii nomen consequutus, quo imperante Christiana fides per Diœcesim nostram plurimum incrementi sumpsit.

Lues pestilens.

A. C. 148. Pestilenti lue graviter laborat Rhætia nostra & Germania universa.

S. Achates Apostol.

A. C. 150. S. Achates noster, Apostolico labore plurimum proficit, Antonio Imperatore, haud indignè ferente incrementa Religionis Christianæ, qui oblatam sibi à S. Justino Philosopho Apologiam approbare est visus, dum Senatum continuit, quo minus rigidè statim in ipsum animadverteret.

Progressus Religionis.

A. C. 154. Incredibili Sanctissimi pastoris nostri Achatis & fidelium solatio Antonius Imp. solemni rescripto persequutionem inhibet, quo tempore multi ex Gentilibus partium nostrarum, Imperatoris exemplo melius sentire de re Christiana cœperunt, multi frequentius & attentius pia monita attendere, multi etiam manus Christo dare & Christiana sacra suscipere.

A. C. 157.

Digitized by Google

A. C. 157. Sub hæc ferè tempora ad Superos emigravit S. Achates S. Beati discipulus & in Apostolatu Diœceseos nostræ successor meritissimus, postquam diutissimè & utilissimè in cultura agri Dominici laboravit. De cujus discipulis & successoribus altum silentium, etsi dubium nemini esse debeat, plures suæ Virtutis & Zeli Apostolici æmulos, post se reliquisse. *Moritur S. Achates.*

A. C. 163. Maximo totius Rhætiæ, & nostræ inprimis urbis dolore, imo Germaniæ universæ & communi Gentium comploratione è vivis excedit Antonius Pius Imp. Princeps mitissimus & liberalissimus, ita ut infensissimi cæteroquin Romanis populi ipsum mirificè venerati, ultro ejus exambirent Imperium eique sese subiicerent. *Item Antonius Pius Imp.*

A. C. 164. Succedunt in Imperio M. Antonius Philosophus & L. Verus, hic tamen non multo post moritur illo solo imperante. Sub quibus, vix morte Pii Imp. inaudita turbatæ illico in Germania res, nec leve periculum Rhætiæ atque urbi inprimis nostræ à Cattis creatum Rheni littora longè lateque vastantibus, & eversos cùm Romanos volentibus, tum eos qui ipsorum Amici censerentur. *M. Anton. Philosophus.*

A. C. 165. Missus contra rebelles Aufidius Victorinus, non sine Rhætiæ nostræ subsidio, rem fortiter gerit, & cæsis non uno conflictu Cattis, provinciæ nostræ quietem reddit. *Aufidius Victorinus.*

A. C. 167. Præest nunc Rhætiæ universæ, adeoque urbi nostræ Prædis jure, Procuratoris & Prolegati titulo Quintus Cæcilius, Septicius Pica, incertum quamdiu, at non diu Lucio vero superstes, imo verius morte hunc prævertisse, cuiquinam successerit indagare nusquam potuimus. *Q. Cæcilius Præses noster.*

A. C. 169. Marcomannis nunc arma corripientibus, & Romanos omnino Germania ejectos volentibus, nostri pro his delectus habent, provinciam communiunt, & urbem inprimis nostram tanquam singulare & firmissimum Rhætiæ munimentum præsidio firmant. *Marcomanni inquieti.*

A. C. 171. Ipsi Cæsares transcensis Alpibus Rhætiæ nostræ providebant, de urbe procul dubio nostra, utpote Provinciæ totius singulari propugnaculo, specialius communienda solliciti, cum diversi Germaniæ populi in vendicandam libertatem intenti, Romanos omnibus urbibus, Rheni inprimis, eiicere, conjurassent. Collaudati à Cæsaribus Rhæti nostri & in fide confirmati, Vero dum Romam repeteret morte correpto, Antonio solo rerum potiente. *Urbs nostra Cura Cæsaribus.*

A. C. 174. Insignem operam navant Rhæti nostri Antonino Cæsari adversum Marcomannos, quo tamen bello, majorem partem iniquiore fortuna gesto, haud paucos nostrorum cæsos credibile est, cum irato Numine Cæsar pugnaret, persecutione nimirum Christianorum reassumpta. *Rhati adsunt Imp.*

Digitized by Google

Victoria mira. A. C. 176. Periclitante ſupremùm Cæſaris exercitu, efficiunt apud Numen Chriſtianorum militum preces, ut prodigiosè ab infeſtis non ſolum caſibus liberaretur, ſed & contra Marcomannos memorabil victoria triumpharet, libertate deinceps Fidei Chriſtianis per miſſa, Cæſare ipſo Chriſti Virtutem deprædicante. Cæterum nequid interea per Rhætici roboris abſentiam provincia noſtra ab aliis hoſtibus pateretur P. Ælius Pertinax, poſtea Imperator, ſubſidio ſeu potius præſidio miſſus eſt, cum primâ Legionum ut toti Rhæticæ militiæ præeſſet.

Ælius Pertinax in Rhætia.

Fides propagata. A. C. 180. Favet Chriſtianis Antoninus Philoſophus Imp. poſt præfatam victoriam, ita ut multo audentius, etiam in Rhætia noſtra ad preces convenirent, multis etiam locis publicè Chriſtum prædicarent, impietatem damnarent.

Moritur Ant. Imp. A. C. 182. Triſtiſſimo exitu vitam abrumpit Antoninus Imperator fame ſeſe conficiens & mœrore, eo quod Commodi filii ſcelera omnia prævideret & Rom. Reipubl. mirificè condoleret.

Pertinax reſtaurator urbis. A. C. 187. P. Ælius Pertinax Rhæticæ miſſitiæ Præſes, totus eſt in finibus ejusdem contutandis, qui & urbis noſtræ tanquam ſingularis Rhætiæ propugnaculi, inſignis Reſtaurator celebratur.

A. C. 190. Satis quietè apud nos habent Chriſtiani ſub Commodo Imp. qui in Principes potius Romanos ſibi ſuſpectos & Senatores graſſatur, qui plerique jurati erant hoſtes Chriſtianorum.

Pertinax revocatus. A. C. 192. Non ſine magno noſtrorum luctu Ælius Pertinax avocatus ex Rhætia, contra Britannos cum exercitu mittitur, ubi rem fortiter agit ſeque plurimum præclaris facinoribus commendat. Rhætia noſtra ſæpius defenſa, uti nunc Britannia ab rebellione vindicata, plurimum nomen Pertinacis celebrat.

S. Albanus noſter. A. C. 193. Celebratur S. Albanus cognomento Maurus, Aruntis Mauri Rhætiæ Procuratoris ex fratre Nepos (non filius, uti in Rhætiæ hiſtoria nobis excidit) inſignis Catholicæ Fidei Prolatator, qui apud urbem noſtram ſive diverſiſſe, ſive diu etiam conſediſſe merito creditur, priusquam ad inferiora Rheni deſcenderet; quod & Patruus, tanquam procurator Rhætiæ in hunc locum, tanquam ſummè neceſſarium & oculos & animi curas præcipuè intendere ex officio cogeretur.

S. Lucius Rex. Laborat plurimum in converſione Rhætiæ noſtræ S. Lucius Britanniæ Rex, qui etſi ad noſtram urbem excurriſſe non legatur, haud dubium tamen eſt, eo usque ſe etiam famam & conatus tanti Apoſtoli exporrexiſſe, noſtris vel pro communi quoque Rhætiæ tunc nomine & jure inter Patronos venerandus.

Pertinax fit Imp. A. C. 194. Incredibili Rhætorum & Urbis inprimis noſtræ plauſu interfecto Commodo P. Helvius ſive Ælius Pertinax, Pater Patriæ noſtræ

Auguſtus

Auguſtus conſalutatur, Prætorianis & Rhæticis militibus faventibus, & toto Senatu gratulante.

A. C. 195. Quanto major ſuperiore anno lætitia ab Electione, tanto major triſtitia affecit nunc Rhætos omnes, mors & cædes intempeſtiva Cæſarum Optimi, Pertinacis Auguſti, qui cum æquitatis ſtudio ſuorum licentiam coërceret, ab ipſis parricidialiter interfectus eſt, Juliani ſcelere, qui & ipſe paulo poſt ſcelus morte luit, ut & Tyranni Peſcennius Niger, & Albinus, Severo demum rerum, militis & Senatus communi voto, potiente. *Idem occiditur.*

A. C. 196. Severus Imp. minimè ignarus quanti Italiæ & Imperii referret Rhætiam in fide & obſequio contineri, auguſta liberalitate Rhætos ſibi obligat, ita ut urbi noſtræ, haud minimum ceſſiſſe lucri intelligas, quæ in fronte Rhætiæ poſita, præſidio ſemper firmiſſimo tenebatur. *Severus Imp.*

A. C. 197. Celebre apud noſtros nomen Æppii Claudii Laterani nomen, qui Severo antequam crearetur Auguſtus, impensè addictus, & Ipſum Rhætis, & hoc Cæſari plurimum obligavit, utrobique gratiſſimus, magno in noſtros fructu redundante. *S. Emeritæ patitur.*

A. C. 198. S. Lucii Magni Apoſtoli Rhætiæ noſtræ ſoror S. Emerita, Martyrio coronata hoc anno creditur, Suave-olens Holocauſtum Numini per ignem facta. *S. Lucii meritæ.*

A. C. 199. Dum præfatus S. Lucius ſcribitur arduo labore difficillima itinera pro Converſione Rhætorum ſubiiſſe, vix credibile Metropolim tunc provinciæ, urbem noſtram prætereundo neglexiſſe, Rhætiæ ſaluti totum ſe impendendo, & nullum diſcrimen vitæ fugiendo. *Pons urbis noſtræ.*

A. C. 200. Severus ſingulari erga Rhætos ſtudio & benevolentia vias & pontes, maximis impenſis, per Rhætiam reſtituit; & forte pontis illius opere & ſumptu egregii fuerit, qui Rheno, uti jam retulimus, impoſitus, urbem noſtram Turgoviæ & Helvetiæ jungebat, cujus tanto poſt rudera, & pilarum ingentium reliquiæ, profundiſſimo ſitu deliteſcentia reperta ſunt, prope turrim, quæ hodie, Creüzlingenſis appellatur. *S. Lucii Martyrium.*

A. C. 201. Sancto Lucio Regi ſuo Britanni ſupremum hunc annum volunt, aliis & aliis aliter ſentientibus, nos communi Rhætiæ noſtro Apoſtolo hoc anno Martyrii laureolam, & Apoſtolatus coronam, & Rhætiæ totius, &, tunc Rhæticæ, ſuperæ Metropolis Auguſtæ Acroniæ nomine gratulamur, & hoc anno mortuum Anglis concedimus, cæterum Curiæ Rhætorum paſſum & conditum contra Anglos affirmamus. cujus huc usque ſacri corporis exuvias plurimis miraculis comprobavit, & fidelium devotioni commendavit. *S. Albanus Maurus.*

A. C. 202. Veroſimile poſt S. Lucium rei Chriſtianæ per Rhætiam ſategiſſe S. Albanum Maurum, Aruntis Præſidis noſtri filium, etſi nulla poſt tot temporum mutationes ſuperent monimenta.

Persecutio. A. C. 204. Persecutionem generalem Christianorum indicit, re & nomine Severus Imperator, quâ Italia potissimum & vicinæ Italiæ provinciæ, quas inter Rhætia nostra, acrius impetebantur.

Continuus ordo Episc. A. C. 205. Etsi promulgata passim per Rhætiam persequutione Christianorum, plurimum incommodi & impedimenti, per Diœcesim passa sit Sacra Religio, dubium tamen nemini esse debet, continuam semper fuisse à S. Beato Episcoporum successionem, etsi sive Veterum incuria, sive temporum injuria eorumdem nomina & gesta intercíderint.

A. C. 207. Constantinus quidam à Severo urbi nostræ Præfectus mittitur & illic habitat.

Lustrat Rhætiam Imp. A. C. 209. Incertum quo anno, sub hæc tamen tempora, provincias omnes Severus Imp. lustrat, limitaneas cum primis, eisque inter Rhætiam nostram, & utramque nostram ac Vindelicorum Augustam, de utraque procul dubio sollicitus, ne nova Religio introduceretur, ita ut qui palam antea Christum confessi erant, solitudines & speluncas quærere & in illis habitare cogerentur.

Præsidiarii impositi. A. C. 212. Severus ut Imperium firmaret, & Italiæ inprimis quieti consuleret tres & triginta Legiones, per limitaneas provincias distribuit, de Rhætia maxime, atque inprimis de urbe nostra sollicitus, præsidio magno imposito, magna tamen cautela adhibita, ne quid & molestiæ & injuriæ cives & amici paterentur.

Severus moritur. A. C. 213. Amantissimus Rhætiæ nostræ Imperator Septimius Severus, summo nostrorum dolore moritur, Succedentibus in Imperium M. Aurelio Antonino Bassiano, cognomento Caracalla, & P. Septimio Antonino Geta.

Urbs nostra in fide Constans. A. C. 214. Optimæ Spei Augustus Geta, à nequissimo & crudelissimo fratre Caracalla in sinu matris occiditur. Alemanni fratricidæ Imperium detrectantes, Rhætiam hostiliter infestant urbem inprimis nostram ab Romanorum Amicitia conati avertere, etsi nunc quidem constet nihil effeciisse.

Alemanni victi. A. C. 215. Injurias Rhætorum insigniter ulciscitur repressis fortiter nostrorum opera Alemannis, cui ob id publici honores Romæ decreti, & ipse Alemannici cognomine honorari meruit.

Caracalla occisus. A. C. 219. Periclitantur haud minimum Rhæti Caracalla occiso, Alemannis metu solutis, & vim parantibus, quod tanta fide nostri Romanorum rebus studerent, & libertati Alemannicæ periculum accersérent. Succedunt Macrinus & Diadumenus.

Plurimum incommodi ab Alemannis. A. C. 220. His ipsis hoc statim anno ob nimiam crudelitatem occisis, eligitur M. Aurelius Antonius Caracallæ filius cogn. Heliogabalus, cujus in omnem effusi libidinem negligentia, haud minimum passi ab Alemannis Rhæti, sua tamen egregiè tutati sunt.

A. C. 224.

Digitized by Google

A.C. 224. Heliogabalo quoque interfecto, raptato, & in Tyberim abjecto, Senatus populique Romani, nec non totius exercitus applausu eligitur M. Aurelius Alexander, qui Rhætiæ periclitanti quamprimum subsidia misit, quin & Alemannos conciliavit. *Heliogabalus occiditur.*

A.C. 225. Respirant nonnihil Christiani Diœceseos nostræ & exantris & solitudinibus, in publicum prodeunt, nec levia etiam incrementa sunt. *Res Christiana resurgit.*

A.C. 227. Tranquillissimus totius Rhætiæ Status, Alemannis tanti reverentia Cæsaris, nil ipso regnante, contra Amicas Romanorum & socias provincias tentantibus, & Cæsaris Majestatem plurimum reverentibus. *Alta Pax sub Alexandro.*

A.C. 230. Provincias ipse lustrat optimus Imp. Alexander, nec dubium Rhætiam & Urbem nostram præ aliis lustrasse quod minimè ignoraret præcipua Romanæ & Italicæ libertatis, contra Alemannos aliosque hostes propugnacula esse, in quorum Præsides diligentius inquisivit, nequid Amici populi ab illorum avaritia & sævitia paterentur. *Cæsar lustrat provinciam.*

A.C. 234. Cæsare bellum Persicum suscipiente, occasionem nacti Alemanni veteres injurias ulciscendi, Rhætiam diversis locis graviter infestant; Urbe nostra facile conatus ridente, cæteris quæ minus munitæ naturâ & arte essent; facile expugnatis & Romanis Præsidiariis immisericorditer trucidatis, quæ edoctum de clade suorum optimum Cæsarem, pessimè habuere. *Alemanni res turbant.*

A.C. 235. Germani cæteri Alemannorum exemplo & successibus concitati, omnibus ferè urbibus ad Rhenum & Danubium expugnatis, deletisque Romanorum præsidiis, ereptis fere omnibus quæ à ducentis quinquaginta annis obtinuerant, assertores priscæ libertatis sese ipsi proclamant, solis Rhætis sua generosè propugnantibus, quo tempore urbs nostra, non tam virtute Romanorum quam Rhætorum servata creditur. *Rhati suæ tuentur.*

A.C. 236. Ipse Imperator relictâ Ducibus Orientis curâ, in Germaniam advolat, incertum an in persona propria Rhætos conveniens, certum tamen, quod per Duces & Legiones aliquot traductas; cohortes quoque Rhæticas exambiens, fide & constantiâ nostrorum mirificè captus; quibus si superstes fuisset multum sanè & debuisset & præstitisset. MStus. quidam habet hoc anno in ipso lacu Potamico Cæsarem pugnasse. *Adest Imp.*

A.C. 237. Magno Rhætorum, & nostræ inprimis urbis solatio Alexander Imp. pessimè de nostra provincia meritos, gravibus cladibus castigat Alemannos, & plerasque recipit Rheni urbes, firmiore deinceps præsidio imposito. *Alemanni castigati.*

A.C. 238. In ipso Victoriæ cursu optimus & glorioſissimus Cæsar Alexander dolo & scelere crudelissimi Maximini, incredibili nostrorum & Rom. Senatus populique luctu interimitur, parricida nequissimo Imperium invadente. *Alexander Imp. occ.*

A. C. 239. Iterum rebelles Germani, noſtros etiam ad ſocietatem armorum, ſed fruſtra invitant.

Maximinus Tyrannus. A. C. 240. Exoſiſſimum Senatui populoq; Romano nomen Maximini Tyranni cum eſſet, ab his gentes de induſtria contra ipſum concitantur, Rhætis præ aliis Senatus placita prudenter probantibus.

Gordianus Imp. A. C. 241. Diverſis Tyrannidem invadentibus, ſoli ferè Germanorum noſtri Senatum Rom. reſpiciunt, donec Gordiano electo & Romæ approbato, hujus auctoritatem agnoſcerent.

A. C. 243. Periclitanti à rebellibus Auſtriæ Boicæque, cum Vindeliciæ quoque ſive ſecundæ Rhætiæ hoſtes imminerent, noſtri arma parant, à ſociis periculum exitiumque amoliturí.

Gordiani reverentia. A. C. 244. Quietæ aliquamdiu Rhætiæ res & urbis noſtræ, Alemannis cæterisque Germaniæ populis Gordiani nomen & auctoritatem reverentibus, ipſo viciſſim optima quævis de ſe pollicente.

Philippus Imp. A. C. 246. Magna rurſum rerum turbatione Philippus Gordiano occiſo Imperium invadit, noſtris optimi Cæſaris necem plurimum lugentibus, donec Philippo quoque deinceps optimè afficerentur.

Noſtri Philippo militant. A. C. 248. Eximio amore Germanos Rhætosque Philippus amplectitur, & militari eorumdem generoſitate, & animi ſinceritate tantopere captus, quorum multa millia ad ſigna ſua invitat, & conſcribi curat, plurimis noſtrorum certatim ſe offerentibus, & inſigniter deinceps ſeſe Cæſari probantibus.

Res Chriſtiana. A. C. 249. Philippis imperantibus per Diœceſim noſtram, totamq; Rhætiam reſpirant Chriſtiani multis Gentilium manus & nomina Religioni dantibus.

T. Varius Clemens. A. C. 250. Præſidem noſtrum totiusque Rhætiæ agit T Varius Clemens, cujus variis locis inſcriptiones reperiuntur, quas in Rhætiæ noſtræ Chronologia poſuimus.

Perſecutio Decii. A. C. 253. Viventibus etiamnum Philippis, Macrinus, & paulo poſt Decius invadunt tyrannidem, iisque occiſis hic plenè rerum potitur, juratiſſimus Chriſti nominis hoſtis, qui ſæviſſimam quamprimum in Ejusdem ſectatores perſecutionem proclamari jubet, Rhætiæ noſtræ Eccleſia, vaſa colligente, plerisque ſeſe in loca montibus altiſſimis inacceſſa, inque cavernas & ſpeluncas ſeſe recipientibus.

Peſtis. A. C. 254. Ulciſcitur ſuorum ſanguinem optimum Numen, & Decius anno ſecundo Imperii opera Vibii Treboniani Galli è medio tollitur, hoc & filio Voluſiano Imperium arripientibus. Peſtilens lues tota Europa graſſatur.

Valerianus Imp. A. C. 255. Gallo quoque & Voluſiano Chriſtianos perſequentibus, Alpinus in Rhætia noſtra exercitus Valerianum Auguſtum acclamat, hoc filium

Digitized by Google

filium Gallienum Imperii Collegam adſciſcente. his deinceps Rhætiæ plurimum faventibus, & fortunam ſuam Rhætorum favori aſſignantibus.

A. C. 256. Subſiſtit uterque Auguſtus in Rhætia, nec vero abſimile, quod nunc in primæ, nunc ſecundæ Rhætiæ Auguſta, donec res ſuas firmarent & Senatum ſibi conciliarent, plurimum confiſi, in Rhætici roboris generoſitate. *Imperatores in Rhatia morantur.*

A. C. 258. Plena gaudio Rhætia tota & urbs noſtra pro præſentia ſuorum tam charorum ſibi Cæſarum, hoc anno tota exilit præ jubilo, dum exercitus qui pro Gallo & Voluſiano ſteterat intellecta Valeriani electione per noſtros facta unanimiter hunc etiam Auguſtum proclamavit, & Æmilianum quem illis occiſis ſalutaverat ſimiliter interfecit. Refloruit mirificè ſub Valeriano per Rhætiam res Chriſtiana, cum ille, etſi Gentilis Chriſtianos amantiſſimè foveret & magni faceret. *Floret res Chriſtiana.*

A. C. 259. Conſuluit quantum potuit Rhætis de ſe optimè meritis Valerianus & fidiſſimos ſui corporis cuſtodes elegit, florentibus, ſi unquam antea Rhætiæ rebus, his fidem & generoſitatē ſuam omni occaſione prodentibus & probantibus, & hos Auguſtos tanquam concives ſuos diligentibus. *Cuſtodes Corporis Regii.*

A. C. 260. Mago quodam Ægyptio Valerianum ſeducente & adverſum Chriſtianos concitante, Imperator eousque feliciſſimus & omnibus chariſſimus, repente in hoſtem mutatur, magna clade etiam apud nos, Rei Chriſtianæ, cum optimos quosque, ipſe, & quidem familiariter pernoviſſet; Fidelibus denuo latebras quærentibus, etſi ipſe in Rhætos nil triſte decerneret, metuens amiciſſimos ſibi populos ab amore avertere. *Valerianus ſeductus.*

A. C. 262. Obſtinatior in malo Valerianus, hoc anno proditione Macciani Ducis Sapori Perſarum Regi proditur & deditur, pro ſuppedaneo huic equum aſcenſuro inſervire coactus, & dorſum calcanti præbere donec excoriatus deniq; & ſale conditus, ſui infortunii miſerabile exemplar in oculis omnium exponeretur, noſtris amiciſſimi Principis caſum diu, ſed fruſtra lugentibus. *Capitur Valerianus.*

A. C. 263. Gallienus exemplo Patris ſui territus, pacem Eccleſiæ reddit, magno Chriſtianorū apud nos plauſu. cæterum ipſe vitam vivit obſcœniſſimā, ut Rhætos tœderet puderetq; apud ſe non melioris notæ electum fuiſſe Imp. *Pax Eccleſiæ*

A. C. 265. Unus ex alio Tyrannus affectat Imperium, ſtultiſſimo Gallieno, ſecure voluptatibus ſerviente, pro quo tamen noſtri fideliter excubant, DEO juxta ipſi gratiam in hâc vita faciente, quod edicta Patris contra Chriſtianos ſuſtulerit. Fulvius Bojus Procuratorem nunc Rhætiæ noſtræ agit. *Fulvius Bojus.*

A. C. 267. Urbem noſtram varie tentant Alemanni, his æquè non inimicam tanquam ſuæ originis & nationis, atque Romanis Amicam, evincit tamen honeſti amor, ne fidem frangerent, Alemannis frendentibus & vicina omnia populantibus, Arbonam, Fines, Forum Tyberii vaſtantibus, præſidiarios trucidantibus. *Vrbs noſtra tentata.*

A. C. 268.

Digitized by Google

Aureolus Dux Rhæt.

A. C. 268. Pertæſus ignaviam Gallieni M. Aurelius Flavius Claudius Heros bello fortiſſimus, de Imperio arripiendo conſilium ſuſcipit, dum interea Aureolus Rhætiæ noſtræ Dux, Rhæticæ militiæ Imperator provinciam hanc ſuam facit contra Gallienum.

Idem occiditur.

A. C. 269. Haud minimam cladem noſtri accipiunt, Aureolum extra Rhætiam, ſequuti Mediolanum, ubi ipſum æmulus Claudius antevertens hoſtiliter excepit & opera Cecropii Ducis profligavit, ſed & Gallienum cum fratre & liberis è medio ſuſtulit.

Periculum Rhætiæ.

A. C. 270. Male conſcii noſtri, quod Gallieno Aureoloque contra Claudium faviſſent, Alemannis tranſitum ſponte annuiſſe videntur Claudium hoſtiliter petentibus, haud leviter territi, cum eorumdem Claudius ad 40. milla acie viciſſet, ac pene internecione deleſſet, quos inter procul dubio non pauci è noſtris militarunt.

Aurelianus Imp.

A. C. 271. Verſi à luctu in gaudium noſtri, quod inimicum ſibi Claudium lues peſtilens ſuſtuliſſet. Quintilio etiam fratre ſucceſſore à militibus interempto, paulo poſt Valerium Aurelianum Cæſarem ſalutatum intelligunt, quem quod Claudio militaſſet, haud æquis primum auribus audierunt.

Alemanni repreſſi.

A. C. 272. Aurelianus ipſe, præter ſpem omnem Rhætorum amicitiam exambit, quod fide non minus præſtare noſſet quam robore. eos proin ſibi obligandos cenſens, moleſtos illis Alemannos ut averteret & repelleret nihil intentatum reliquit.

Turbulentus annus.

A. C. 273. Luctoſiſſimus Rhætiæ noſtræ annus, urbi noſtræ periculoſus cum ſubitum Marcomanni, innumerabili pene exercitu Potamo affuſi, tranſitum in Italiam, ſive importune peterent, ſive violenter extorquerent, noſtrorum injurias inſigniter ulciſcente Cæſare, qui etſi non ſine maximo vitæ periculo ipſos in agro Papienſi profligavit, iis qui cladem effugerant, in Rhætia parum amicè exceptis, & magnam quoque partem trucidatis.

Rhæti adſunt Imp.

A. C. 274. Aurelianus moturus in Orientem contra Zenobiam, Rhætica expetit auxilia, & meretur, quod plurimum eorum & generoſitati deferret & fidem haberet inter extrema etiam pericula exploratam & comprobatam.

Donantur.

A. C. 275. Victam vinctamque in Triumphum Romam adducit Zenobiam Auguſtus noſter, & Rhætos pro ſtrenuè navata opera publicè laudat & regia magnificentia remuneratur.

Urbs noſtra munita.

A. C. 276. & 277. Iterum Germani fortunam ſuam adverſus Romanos tentant, Rhætis, ne ſubito obruerentur ſedulo advigilantibus, & urbem inprimis noſtram forti præſidio munientibus, quibus maturè Aurelianus præſto fuit, ipſiſq; una connitentibus multa Alemannorum millia profligavit.

A. C. 278.

Digitized by Google

A. C. 278. Aurelianus rigidius sæviens in Christianos, impietatis Numini dependit hoc anno pœnas, inter Bizantium & Heracheam cum iter faceret denso agmine stipatus, casu fulminis consternatus paulo post à suis occiditur, nostris optimè erga se affecti Principis mortem plurimum dolentibus. *Aurelianus perit.*

A. C. 279. M. Claudius Tacitus Opt. Imp post sex Imperii menses extinguitur, succedente fratre ejus Floriano, qui tamen paulo post salutato ab Romanis Valerio Probo interficitur. *Tacitus Imp.*

A. C. 280. Probus vix adito Imperio Rhætos sibi plurimum devinxit, molestissimosque eidem Alemannos armis compescuit, atque sic compositis Rhætiæ rebus Romam contendit. *Probus Imp.*

A. C. 282. Tyranni varii invadunt Imperium, quos feliciter Probus reprimit, quos inter Bonosus Rhæticæ militiæ sub Aureliano Dux, cujus tamen conatus nostri probare non sunt visi, vinolentos Duces semper execrati, qualis Bonasus erat, de quo sæpe Aurelianus: *Non ut viveret, sed ut biberet natum esse.* *Bonosus Tyrannus.*

A. C. 283. Probo in Illyrico per insidias interempto M. Aurelius Carus à militibus sufficitur, qui statim filios Carinum & Numerianum Cæsares dicit, & Collegas adsciscit; his quamprimum acriter in Christianos sævientibus, Numeriano inprimis, quem pater Occidenti præfecit. *M. Aurel. Carus.*

A. C. 284. Præsidem Rhætiæ nunc agit Evilasius, qui in urbe nostra & castello ejusdem inferiori (Niderburg deinceps dicto) insula nimirum elegantissima Rheni, quam Patres Dominicani hodie occupant, residens, dum in Christianos acrius sæviret, à S. Pelagio egregiæ indolis Juvene, generosè corréptus, indignissime tulit, & mox sancta monentem, colaphis cædi, vinculis adstringi & in tenebricosum detrudi carcerem præcepit, qui cœlesti lumine illustratus est. *Evilasius Præses.*

Triduo post ad Præsidem deductus, cum in fidei confessione constans persisteret, plagis graviter contusum, suspendi postea, ferreisque uncis lacerari oleoque ferventi perfundi jussit. Inde in acutis testulis, vitri fragmentis & carbonibus ardentibus, diu volutatum, extra castellum gladio decollari præcepit, hoc ipso anno 28. Augusti, quem Uranius Presbyter ejusque à puero Institutor, honorificè sepelivit, cæterisque cum fidelibus plurimum deplanxit. Fuit Ungarus natione, nobilibus & opulentis parentibus, Pelusio & Hilaria Christianis, Emmonæ editus. æternum urbis nostræ ornamentum, solatio singulari cæteris fidelibus procul missus, fugiens in patria persequutionem, hic sponte se offerens, juvenis 25 annorum, cujus glorioso triumpho, cæteri Christiani plurimum animati sunt. Numeriano extincto salutatur Augustus Valerius Diocletianus. *S. Pelagius captus.* *Occiditur.* *Egregius Martyr.*

A. C. 285. Ulciscente Numine, Urbis nostræ Castellique huic imposi-

igitized by Google

Vrbs noſtra deſtruit. poſitæ poſſeſſione Romani excidunt, oppreſſi repente ab Alemannis & trucidati, una cum Rhætis urbis præſidiaris, nec invitis civibus, quod lanienâ illâ Chriſtianorum, & recenti tam egregii juvenis Pelagii, haud parum offenſi eſſent, argumento inſigni, rei Chriſtianæ jam plurimum in civitate noſtra, promotæ & florentis, quam plurimi ante Pelagium Martyres, ſuo ſanguine conſecraverant.

S. Vranius Presbyter. A. C. 286. Subſtitiſſe apud Sacras dilectiſſimi diſcipuli Pelagii corporis exuvias Uranium presbyterum, & ſponte propria, & à fidelibus exoratum, probabile eſt, Alemannosq; rerum potitos, in conterraneos & quos in armis non repererant, minimè ſæviiſſe, ſed & aliis quoque locis Romanos ejeciſſe; Urbe deinceps noſtrâ Rhætisæque atque Romanis ereptâ atque Alemanniæ reſtitutâ.

A. C. 287. Alemannis Rhætiam multis jam partibus acciſam nimiam infeſtantibus, ſollicitus Maximianus, ne Alpium etiam ſuprema, & anguſtas verſum Italiam fauces occuparent, magnumq; Reipubl. Romanæ negotium faceſſerent, lectiſſimas legiones ſubſidio mittit. quarum ope nonnihil hoſtium repreſſa eſt violentia.

Quadi rurſus turbant. A. C. 288. Alemannis vix paululum à vi inferenda repulſis, Quadi & Marcomanni Rheni oras infeſtant, & Romanorum paſſim præſidia contrucidant; quorum ſucceſſibus animati Alemanni arma reſumunt, & Rhætis plurimum negotii faceſſunt.

Rhæti Vindelicis adſunt. A. C. 290. Periclitatur plurimum Rhætia, Rhætorum nimium diſtractis viribus, dum Vindelicæ juxta opem ferre, & ſua tueri coguntur, Saxonibus, Herulis, Suevis, Wandalis Rhætiam ſecundam ſeu Vindeliciam prementibus, dum Alemanni primam incurſionibus fatigant, & plurima loca occupant.

Rhætia auctа. A. C. 291. Africano bello occupatus ſuperiore anno Maximianus Rhætiæ modo nimium preſſæ ab Alemannis auxilia mittit, ſed & damna ipſis illata reſarcire cupiens, Algoviam, Linzgoviam Hegoviam Ditioni eorundem adiicit, haud diu duratura donatione, cum ea nimium apertè expoſita hoſtibus paterent, & Dominatum Rhætiæ odioſſimum redderent.

Vrbs noſtra diruta. A. C. 295. Miſſo in Germaniam Galerio, dum hic res ad Danubium componere ſatagit, Alemanni ad Rhenum late graſſati, Civitatem noſtram (Vitodurum, ſive Amtodurum tunc appellatam) cum caſtro Romanorum, ſive vi, ſive fraude occupatam, penitus diruunt, quod loco rurſus ab Romanis occupato & munito, omnibus circumjacentibus Provinciis plurimũ timerent.

Conſtantius Victus. A. C. 296. Thuringi pluresq; alii Germaniæ populi Alemannis juncti dum magna paſſim Romanis faceſſunt negotia, immiſſus in illos cum exercitu lectiſſimo Conſtantius Clorus, Claudii Imp. ex filia nepos, magnam ab illis cladem accipit.

A. C. 297.

A. C. 297. Invicto animo Heros Conſtantius, recollectis viribus, prope urbis noſtræ rudera, proximis Rheno atque Acronio campis, memorabili prælio congreditur, & feliciſſimis auſpiciis, cœlo favente, victoria potitus, hoſtium ſexaginta (ſive ut nonnulli volunt ſeptuaginta) millia, immani cæde profligat; occupatis quamprimum urbis noſtræ ruinis, & prout fieri poterat extemporaneo opere munitis magnoque præſidio firmatis. *Victor.*

A. C. 298. Conſiderata mira ſitus oportunitate & amœnitate Conſtantius, de condendo etiam pro tantæ Victoriæ magnitudine monimento, & ſtatuendo Trophæo cogitans, rudera urbis noſtræ, convelli, & magna molitione, non tam reſtaurari, quam à fundamentis, novam urbem conſtrui curat; quam ad æviternam rei memoriam à ſe cognominari *Conſtantiam* jubet. veteri nihilominus Titulo, muris Novæ Civitatis inſerto: *Condit Conſtantiam noſtram Conſtantius.*

IMP. CÆS. AUREL. VAL. DIOCLETIAN.
SARM. PERMAX. X. TRIB. POT. ET L.
IMP. CÆS. M. AURE. VAL. MAX. ET IMP.
[illegible]. MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X.
IMP. VIII. COS. [illegible] VAL. CONSTANTIUS
ET CAL. VAL. MURU[illegible]
AMTUDURENSEM AE. AURE [illegible]
[illegible] DO. PROCULO VI. PER.

Inſcriptio antiqua.

Extat hodie in Eccleſia S. Mauritii, in chori latere eadem inſerta inſcriptio, muris priore loco dirutis, huc translata.

A. C. 299. Conſtantius Conſtantiam ſive Conſtantinopolim ſuam, non ſatis habens, maximis impenſis, incredibili operis contentione & acceleratione ſplendidè ſtruxiſſe, & operibus ac præſidio muniiſſe, Nobiliſſima Romanorum inducta colonia, planè Romanam, dignamq; ſuo nomine reddit. Nulla deinceps occaſione prætermittens, digniſſimum tanto Cæſare monimentum, perficere, ſua præſentia honorare, & honorabilem cunctis efficere. *Colonia Romanorum inducta.*

Ipſo anno Provinciam noſtram illuſtri admodum Martyrio nobilitant SS. Urſus & Victor cum ſexaginta ſociis, Thebææ legionis, S. Mauritio Duce, lectiſſimis militibus. qui Maximiani Imp. crudelitatem in Chriſtianos deteſtati, relicto exercitu è Valeſia ad partes noſtras delati, apud Solodorum comprehenſi, cum ſacrificare inanibus Diis renuiſſent, poſt varia tormenta, ad ignes damnati, eo prodigioſè extincto, liberati, in Arulæ demum ponte decollati & in flumen abjecti, ex eo mire in pedes erecti, capitibus ſuamet manu reſumptis, & in Victoriæ ſignum prælatis, loco demum à DEO præelecto, genu flexi, capita ſeq; humi in Domino quieturi depoſuere. Quibus quidem miraculis, plurimi cùm Soloduri, tum in vicinis provinciis ad Chriſti fidem converſi ſunt. *SS. Martyres Vrſus & Victor.* *Capita ſua tollunt.*

Claret S. Verena. A. C. 300. Illustrat admirabili vitæ sanctitate Provinciam & Diœcesim nostram egregia Virgo S. Verena, S. Mauritii, Legionis Thebæorum illustrissimi & generosissimi Ducis, consanguinea, quæ Soloduri ab Hirtaco *Præsidem curat.* Præside tenta & in carcerem conjecta, cum non minus SS. Ursus ac Victor Hirtaci jussu interfecti, Martyrii flagraret desiderio, maxima autem celebraretur miraculorum gratia à præfato Præside graviter ægrotante, evocata è carcere, & pro valetudine exorata, ipsum prodigiosè juvit, atque ob idipsum liberè dimissa, & pro solatio fidelium aliquamdiu Soloduri subsistens, inde postea ad Confluentiam Araris ab Rheni, nec multo post Zurzachium se contulit, ubique à Numine magnis prodigiis commendata.

Constantius Constantia. A. C. 301. Constantius magnus Constantinopoleos nostræ Conditor ad motus Britanniæ componendos profecturus, urbem sibi cognominem lustrat & ornat, atque inde lecta Rheni lectissima ripa, ejusque urbibus curatis, in Britaniam enavigat.

Persecutio. A. C. 302. Absente Constantio, Diocletianus & Maximianus Augusti, crudelissima contra Christianos edicta, toto Romano orbe promulgari imperant. quæ per Alemanniam æque ac Helvetiam magnum terrorem plurimis ad fidem aspirantibus iniiciunt, multos in exilium eiiciunt.

SS. Felix & Regula. A. C. 303. Iterum nova & desideratissima cœlis triumphi festivitate Cœlites recreat Provincia nostra, insigni Martyrum Christi SS. Felicis, Regulæ & Exuperantii Illustrissimo apud Tigurum certamine, qui apud Glaronenses primum, Christum verbo & opere celebrantes Tygurum postea delati, sub Decio Præside, gravibus suppliciis affecti, virgis, & ferramentis crudeliter concisi, ferventi oleo injecti, plumbo ardenti & bitumine perfusi, ad rotas acutis præfixas gladiis damnati, sed prodigio illæsi, decapitati denique, capita manibus propriis sustulerunt, & in collem proximum requiei suæ à Numine destinatum detulerunt.

Constantio cedit Occidens. A. C. 304. Maxumo Christianorum tota provincia nostra plausu, juratissimi Christi hostes Diocletianus & Maximianus, ille sponte memorabili exemplo, hic invitus, in gratiam tamen alterius, Imperio se abdicant, succedentibus Maximiano Galerio, & Constantio Chloro, illi Oriens, huic Conditori urbis nostræ Occidens obtingit, qui statim incredibili nostrorum plausu, persecutionem sustulit; & creditis sibi populis omni modo, ut verus Patriæ Pater consuluit.

Christiana res floret. A. C. 305. Emergunt passim è latebris, S. Blasii, Fischingæ aliisque locis diutissime latitantes Christiani, & palam Christi fidem confessi, verbo & exemplo plurimos ad sua sacra perducunt, Constantiæ inprimis suæ consulit Constantius; nec dubium quin ipse clam de industria submiserit, prædicatores, qui sese in Gentilium insinuarent Amicitiam, & dextre viam Domino præpararent.

A. C. 306.

A. C. 306. Incredibili dolore atque inconsolabili Christianorum luctu extinguitur optimus & Christianissimus Imperator noster, & Fundator Constantiæ nostræ Constantius, filio Constantino Commendans Imperium, & Constantiam inprimis suam & rem Christianam. Saragit quamprimum rerum Constantinus, dignus tanto Patre filius, qui & patris reverentia & amore, urbem nostram, paterni nominis & gloriæ Trophæum & immortale monimentum, in singularem protectionem suscepit, amplificavit, & pro virili deinceps adornavit. MS. Chronicon asserit Constantium Constantiæ tumulatum. de cujus corporis translatione nihil reperimus. *Constantia Constantino commendata.*

A. C. 307. Maximianus nuper Augustus, ægrè admodum vitam privatam vivens, frustra Diocletianum sollicitat ad reassumendum Imperium, quod dum ipse affectat & Constantino nostro struit insidias, manifestus sceleris, & pejora metuens, ipse sibi laqueo, pridem merito, vitam intercludit. *Maximianus perit.*

A. C. 308. Constantinus etsi necdum Christianus, Patris tamen extincti reverentia & supremis monitis, benevolè erga Christianos affectus non tantum Constantiæ & totâ provinciâ nostrâ libenter eos tolerat, sed & multos amantissimè fovet & complectitur, Sancta matre Helena, dies noctesque Numen pro filii illuminatione sollicitante.

A. C. 309. S. Verena Cerciaci, vulgo Zurzach, pio alicui Presbytero serviens, magnis miraculis, cum ipsi, tum plebi Christianæ commendatur. fitque satis manifestum ex Virginis vita, hoc statim tempore, celeberrimum tunc locum, à Romanis forum Tyberii dictum; mangnam, nisi & maximam partem, palam Christum confessum fuisse, suoque munere & Episcopos & Presbyteros præclare functos, plurimos passim manipulos, ad Christi horrea congregasse. *S. Verena floret.*

A. C. 310. Constantinus commendatæ sibi à patre Constantio Spartæ, Constantiæ sui & paterni nominis gratiosè æmulæ benè memor, ipsi consulere non prætermittit, ut indigna sui Patris, suæque Majestatis urbs appareret, ex qua tanquam nexu Alemanniæ Helvetiæ atque Rhætiæ, diversissimos ingenio populos in officio contineret. *Constantia ornata.*

A. C. 311. Magno metu liberatur, Illustrator urbis nostræ, pessimo æmulo Maximiano Galerio, quem assequuta hoc anno Numinis vindicta ob tantum sanguinis Christi fusum, dirissimis corporis cruciatibus è medio sustulit, cum frustra demum, preces Christianorum imploraret. *Galerius perit.*

A. C. 312. Maxentium Tyrannum omnes conditiones pacis respuentem, solique sibi Orientis Occidentisque Imperium arrogantem, memorabili prælio triumphat Constantinus noster, monitionum pientissimi Parentis sui, & sanctissimæ Matris Helenæ, optimè memor, cum periculo maximo perurgeretur, & despectis inanibus Diis, unum verum DEUM sibi colendum proponeret, *Maxentius victus.*

poneret, siquidem ejus ope de hostium superbissimo trium pharet. Illi proin sese devovens, mox in procinctu itineris, Crucis lucidissimæ signum in cœlo intuetur, cum hisce verbis: *In hoc vince.* toto id insimul spectante exercitu & admirante. Nec dubium ex descriptione itineris & expeditionis, dum dicitur, partem exercitus ad Rheni curam dimisisse, & mox contra Maxentium Romam contendisse, signum illud in partibus nostris, & fortè ex ipsâ novâ suâ Spartâ, & cognomine sibi patrique Constantiâ, contuitum esse, atque inde insignia urbis Crucem designasse, ita prima urbium, tam glorioso signo notaretur, hoc multo felicius, quam Conditoris nomine, insignita.

Insignia urbis nostra.

A. C. 313. Periclitatur non minimum statim à discessu Constantini Constantia, dum compertis Maxentii potentia & viribus de triumphando Constantino non dubitarent Germani, & proximas Rheno civitates quamprimum armis invaderent, etsi Triumpho Constantini inaudito haud leviter territi, mox subsidiario misso milite, pessimè luerent; Constantia nostra de tanti Principis sui gloria, mirifice exultante.

Periculum Constantiæ.

A. C. 314. Occasione componendarum in Germania rerum revertisse per Rhætiam Constantiam Cæsarem, verosimile est, atque inde primum cætera ad Rhenum Romanorum præsidia lustrasse atque auxisse.

Cæsar Constantiæ.

A. C. 315. Decennalia sua, verum more Christiano, solemniter celebrat Augustus noster Constantinus, quæ & Rhætia tota solemniter peragit, & vel maximè Constantia nostra, Romanorum Illustrissima Colonia; quæ præ aliis merito, de tanti Principis sui gloria sibi gratulabatur.

A. C. 316. Diocletianus, accusatus Maxentio favisse & favere Maximino, iram Constantini metuens, & mortis ludibria, sive mœrore extinguitur, sive, quod multi volunt, hausto veneno. omnibus toto orbe Christianis laudem DEO, ob tantam sublatam pestem, dantibus, & sibi gratulantibus.

Decennalia Constant.

A. C. 317. Sub hoc ferè tempus cœlos felicissimo ingressu lætificat, Sanctissima & Nobilissima Virgo Verena S. Mauritii Thebæorum Legionis Generosissimi Ducis consanguinea, à DEIpara Virgine, ad cœlestes triumphos invitata, æternum Constantiensis Diœceseos ornamentum, cum quindecim circiter annos Cerciaci (Foro Tyberii) sanctissimæ vitæ exemplo fidelibus præluxisset, non minus à morte quam in vita, magna miraculorum gloria à Numine illustrata.

S. Verena moritur.

A. C. 318. Iterum Crucis subsidio nequissimum Tyrannum Licinium terrestri & navali in Thracia prælio triumphat Constantinus, quem sollicitæ Christianorum preces eousque consequutæ sunt, & Orientali Occidentaliq; Imperio solus potitus, Monarcha efficitur, Constantia inprimis nostra, de hâc sui Parentis fortunâ & gloriâ plurimum gaudente & sibi gratulante. Alii longe post referunt.

Licinius victus.

A. C. 319.

Digitized by Google

A. C. 319. Delectata ſummopere pulcherrimo Rheni fluviorum Germaniæ verè Cæſaris tractu, pluribus annis adhabitans, pulcherrimum Mariti Filiique Auguſtorum monimentum, inſpicere, & ſuâ non honorare præſentiâ non potuit, illic indubiè aliquamdiu commorata, ſecum quaquaverſum viros Apoſtolicos conducens, & Gynæcei Auguſti miracula, viraginesque Angelicæ puritatis. ita ut nuſpiam ſine multiplici fructu Evangelii & Sancti exempli verſaretur. *S Helena Conſtantia.*

A. C. 320. Miſſis quaqua verſum Præſidibus, ſin minus Catholicis, ſaltem erga Chriſtianos benevolis, urbem ſibi, parentibus & liberis propriam, Conſtantiam ſcilicet noſtram, præ aliis conſideraſſe nemini ſanæ mentis, non videbitur; & certum eſt eo non minus ipſum, quam Helenam matrem, omnes conatus convertiſſe, ne tam ſui nominis & Patris honori conſuluiſſe, quam Numinis videretur. *Præfecti Catholicis Amici.*

A. C. 324. Inexplicabili Chriſtianorum, Conſtantiæ inprimis noſtræ ſed & Helenæ Matris plauſu, Conſtantinus huc usque Cathechumenus, ſolemni ritu à S. Sylveſtro Papa Romæ baptizatur. Inde edictum ad omnes provincias miſit, ſuſceptæ à ſe Religionis prædicans Veritatem, ad quam capeſſendam omnes hortatus. *Conſtantinus baptizatur.*

A. C. 325. Inſigniores Romani Imperii Præfecturas, idem in Chriſtianos partitur, quos inter optimus Conſtantiæ noſter, & Numinis cultui deditiſſimus fuiſſe videtur. Vicennalia Ejusdem Auguſti, & à nemine hilarius, quam à Chriſtianis & Conſtantia noſtra celebrata ſunt. *Præfecti Chriſtiani.*

A. C. 327. Moritur S. Helena optima urbis noſtræ mater, certa deinceps Tutelaris. *Mors S. Helenæ.*

A. C. 329. Accommodaſſe ſeſe ante omnes alias urbes Principis & Auguſti ſui voluntati & exemplo Conſtantia merito creditur, & viros Apoſtolicos, cum à Cæſare, tum Cæſaris matre Helena miſſos, inſigni affectus demonſtratione complexa.

A. C. 330. Alteram Romam & alteram Conſtantinopolim, noſtrâ Juniorem, etſi multo potentiorem, inter duo ſimiliter, ſalſa tamen, maria condit, & hoc anno abſolvit, ac ſolemniter dedicat Conſtantinus Magnus. *Conſtantinopolis Orient.*

A. C. 333. Ne Conſtantinopoli Orientis fundata, Occidentalis obſolitus videretur Magnus Conſtantinus, in hujus quoque amplificatione occupatur, atque Chriſtianæ inprimis conſulens religioni, præter S. Stephani jam ſtructam, aliam Collegiatam (ut MStum. pervetus Chronicon habet) condit Eccleſiam. *Eccleſia Conſtant.*

A. C. 335. S. Valentinus Paſſavienſis ad Danubium Epiſcopus, ab Arianis ſede ſua pulſus, delatus in Rhætiam noſtram plurimum in *S. Valentinus Epiſ.*

propaga-

propagatione Religionis Christianæ fatigatur, Constantiæ procul dubio consulens, quo etiam perveniſſe S. Athanasius creditur, dum simili ex causa exul orbem pervagatus est.

Moritur Constantinus M.

A.C. 337. Emigrat ad Regnum feliciſſimæ æternitatis Sanctus Imperator & Parens urbis noſtræ optimus, Magnus Constantinus æterno in terris relicto nomine, suique desiderio, à quo insigne sanè præter innumera alia beneficia monimentum paternæ pietatis urbs noſtra, ipsa sua Crucis habet insignia, solidum signum fundatæ firmiter apud se ejus diligenti cura, Christianæ Religionis. Merito gloriatur de tantis Fundatoribus suis & Patribus patriæ urbs illustriſſima, & ab his multo magis, quam veteri suo nomine verè Augusta & Mesia & Acronia, quorum imagines seu statuæ, ut & Insignia urbis manu præferens Helena, nulla non in porta Civitatis, fronte & frontiſpicio, Sacrarum & publicarum ædium deberent apparere, ad perennem memoriam tantorum Fundatorum seu Reſtauratorum in fidelium mentibus excitandam & piè confovendam.

Ornamenta Constantia.

Magna rerum turbatio.

A.C. 339. Exacuit triſtitiam urbis & provinciæ noſtræ, obitu optimi parentis Divi Constantini, conceptam, filiorum super hæreditate graviter colliſorum, ambitio, dum Constantinus Junior, & Constans, in seſe mutuo hoſtilia moliuntur. Constanti Catholico Principi noſtro in partitione Regnorum, alia inter Rhætia noſtra obtigit & Constantia, ut nunquam satis miremur, affirmaſſe nonnullos ab Constantino Juniore urbem ampliatam & muris latius productis munitam, cum ad ipsum urbis hujus cura nunquam pertinuerit.

Constantinus Junior &c.

A.C. 340. Magna Catholicorum conſternatione Constantinus Hæreticus Princeps Cæsaris noſtri Provincias armis repetit, verum generoſitate Constantis statim reprimitur, & priusquam ad partes noſtras penetraret, grandi prælio apud Aquilejam profligatur, & ipse equo cadens, incognitus miserè perimitur.

Constans Imp.

A.C. 341 Toto nunc Occidente magno rei Catholicæ incremento & emolumento Constans potitur, sub cujus Imperio Constantia noſtra quiete & Religione plurimum floruit, & magna gloriæ incrementa accepit. ut ad hunc potius referendum sit, quidquid alii à Constantino Juniore Constantiæ noſtræ obveniſſe, sibi perſuaſere.

Magnentius Præses noſter.

A.C. 345. Flavius Magnentius Rhætiæ Præsidem adeoque urbis noſtræ agit, vir militari quidem celebris gloria, verum ingenio vario & ambitioſo.

A.C. 348. Etsi toto paſſim invaleſceret orbe Ariana peſtis Constantia tamen noſtra, constans semper in fide sub Constante Catholico Cæsare plurimum floruiſſe, & nunquam nutaſſe legitur.

A.C. 349.

A. C. 349. Constans Imperator noster cum fratre Hæretico Constantio ob Religionem graviter collisus, arma in sceleratum parat, quæ res haud minimum urbem nostram totamque concutit & turbat Rhætiam. *Fratres Impp. collisi.*

A. C. 350. Acerbissimo Constantiæ nostræ omniumque Catholicorum luctu Constans Princeps Optimus, Catholicæ Ecclesiæ propugnator acerrimus, Augustoduni in Gallia à Magnentio Lenato parricidialiter è medio tollitur, juvenis etiamnum ætatis annorum vinginti septem dignus & ipse, cujus Imago inter præcipuos urbis nostræ conditores referatur. *Constans occiditur.*

A. C. 351. Una ex altera rerum turbatio, dum Constantius nequissimus Hæreticus, solus primùm rerum potitur, mox à Tyrannis appetitur, Magnentio Præside nostro, Decentio & Desiderio Tyrannis contra Constantium fidem & manum præbente. quæ in maximam pernitiem urbis & totius provinciæ vergere videbantur. *Turbata res.*

A. C. 352. Bello fervet totus Occidens, Rhætis quoque procul dubio nostris contra legitimum Imperii hæredem arma induere coactis, etsi urbs nostra (non frustra postea Constantio singulariter chara) prætexens magnum à Vicinis Alemannis periculum excusasse se videatur, & sua mœnia servasse, bene memor à Constantii etli Hæretici majoribus se conditam, Constantiæ quoque nomen reapse debere comprobare. *Constantia sibi constans.*

A. C. 353. Vindictam exposcente de parricida Numine extremo apud Mursum Pannoniæ prælio, profligatus à Constantio Magnentius interficitur, sive, ut alii volunt, rebus desperatis semetipsum gladio confecit, Decentio laqueo vitam finiente. *Magnentius occisus.*

A. C. 354. Vertit victricia in Alemannos, interea Rhætiam nostram tentantes, signa Constantius, qui territi pacem efflagitant, & facile impetrant, dum ille quoque suis & labore & numero per superiora bella exhaustis, non immerito à recentibus metueret. Proin Rhætiam lustrans, hoc primum anno Constantiam nostram, invisisse, laudasse pro meritis, atque deinceps insigniter & coluisse & muniviſſe creditur. *Constantius Iunior Constantia agit.*

A. C. 355. Vix in Hyberna Mediolanum se receperat Cæsar, cum Lentienses, vicini Constantiæ & Acronii accolæ, sive innato in Romanos odio, sive spe lucri & prædæ, Rhætiam denuo nostram magnis viribus tentant, urbe nostra eminus suorum calamitatem spectante, intactâ tamen ab hoste, quod hic nihil se effecturum speraret. Commonuit acribus litteris inquietos Constantius, cumque nihil proficeret, ipsus cum exercitu Mediolano occurrit, & prope Curiam castra locavit. Præmissus cum parte copiarum Arbetio, insigni cum Romanorum strage exceptus, internecione deletus fuisset, nisi nox fugientes texisset. Verum cum Lentienses demum, contemptim agerent, & jam castris Rom. imminerent ab Arintheo Seniancho & Pappo, insigniter contusi, & in effusissimam fugam conjecti sunt. *Lentiensium bellum.* *Victi Romani.* *Victores.*

Digitized by Google

Cæſar Conſtantio.

A.C. 356. Sarmatis Quadisque res Romanas turbantibus, Conſtantius per Tridentum in Illyricum advolat, compoſitisq; feliciter omnibus dum Alemanni denuo noſtræ provinciæ hoſtiliter incubant, juxta Rheni aſcendens littora, alterâ vice Conſtantiam ſuam inviſit indeq; in Alemannos movens, adeo ſua præſentia ipſos terruit, ut mox arma abiicerent manus darent.

Arbetius Præſes.

A.C. 357. Arbetius communiendæ & tuendæ Rhætiæ cum parte copiarum relictus, Conſtantiæ noſtræ plurimum invigilavit, nequid ab Alemannis non tam arma, quam artes tentantibus pateretur.

Nova bella.

A.C. 358. Proxima urbi noſtræ rurſum ardent omnia, Juthungis Rhætiam maxima vi invadentibus, urbes etiam munitas tentantibus, ita ut caute admodum rebus ſuis attendere Conſtantienſes cogerentur. Hoſtes tamen Barbatius repreſſit.

Julianus Conſtantio.

A.C. 359. Periclitante aſſiduo Rhætiâ, & Romana ad Rhenum præſidia tentantibus Alemannis miſſus à Conſtantio Julianus, poſtea Imperator, Conſtantiam inprimis noſtram ipſe inviſens & ſex inſuper alias ad Rhenum urbes, cum operibus, tum forti præſidio munit, quæ cauſa nonnullis fuit, ut Conſtantium Juniorem alterum urbis Conditorem vellent, qui Oppreſſor potius fuit, & præſidiariis cives oneravit, qui ſua tueri ipſi noverant ſuæ & dextræ virtute freti, & ipſa loci commoditate.

Julianus fit Aug.

A.C. 360. Julianus ob rem fortiter adverſum Alemanniæ Reges geſtam, his pacem petere coactis, Pariſiis ab exercitu Auguſtus acclamatur. Quod cum Conſtantio doleret plurimum, ipſos nunc Alemannos concitat adverſum Romanos, periclitante haud leviter Conſtantia, incerta cuinam Præſidiarii Romani, urbem ceſſuri eſſent, vel ſaltem quæ ſecum tentaturi?

A.C. 361. Vadomarius Alemannorum Rex planiora Rhætiæ igni ferroque vaſtat, contra quem miſſi Juliani Duces, infeliciter pugnant, verum aſtu rem aggreſſus Julianus, Vadomarium intercipit, quo Regis caſu territi, Alemanni fidem promittunt Juliano Conſtantienſibus quo ſe verterent ignaris, donec hoc ipſo anno Conſtantium mortuum intelligerent, ſibi de Juliano gratulati, qui eousque Catholiciſſimum ſe ſimulaverat, & lupum pelle ovina texerat.

Conſtantius imp. obiit.

Julianus Apoſtata.

A.C. 362. Maximo dolore Catholicorum omnium, maximè urbis noſtræ quæ de morte Hæretici Imperatoris non ita triſtabatur, quam de Catholici exaltatione ſibi gratulabatur, Julianus Sacra noſtra publicè ejurat, & Gentilem ſeu Ethnicum ſe profitetur, iniquiſſimum ſe Catholicis illico reapſe conteſtatus.

A.C. 363. Ingemiſcentibus ad impia edicta Apoſtatæ Imperatoris Juliani Chriſtianis, dum Gentiles etiam Præſides, urbibus & provinciis obtruderet, nullum tamen urbi noſtræ neque Rhætiæ dediſſe legitur, fortè

Digitized by Google

fortè quod defectionem ad Alemannos metueret; trepidantibus nihilominus vel solo quidem audito ejus nomine optimis quibusque, præter spem omnium, impius impietatis dat pœnas, à S. Mercurio Martyre cœlis descendente, hastâ transfixus, inter blasphemas voces, excepto volâ sanguine & in cœlum ejecto, vicisti, vicisti Gallilæe misere exspirans. Succedit Jovianus Catholicus Princeps, etsi brevi admodum Imperio superstes. *Iulianus Imp. occiditur.*

A. C. 364. Joviano mortuo succedit communi exercitus calculo Valentianus, ab egregia pietate non minus quam generositate militari Constantiæ nostræ & Rhætiæ pridem commendatissimus, cum sub Constantio & Juliano rem fortiter semper contra Alemannos hostes gessisset. qui statim Valentem fratrem collegam adscivit. *Ioviano succedit Valentinianus.*

A. C. 365. Pro suo in Provinciam nostram sincero affectu Valentinianus optimum, & amicissimum bonis præsidem hoc anno destinat, Mamertinum. qui Constantiæ plurimum moratus videtur, ut Alemannorum conatibus invigilaret, & maturè obsisteret. *Mamertinus Præses.*

A. C. 366. Iterum suo more Alemanni partes vicinas Constantiæ vastant, & apertiora quævis loca hostiliter tractant, vix tamen impunè, præsidiariis subinde in palantes incautos excurrentibus, & spolia sua facientibus. *Alemanni inquieti.*

A. C. 367. Proficit plurimum res Christiana sub Valentiniano in partibus nostris, qui hoc anno Gratianum filium Augustum creat.

A. C. 368. Alemannis denuo Rheno imposita Romanorum præsidia & obnoxiam iisdem Rhætiam hostiliter prementibus, occurrit ipse cum filio Gratiano Valentinianus Augustus, & difficillimo prælio illos susperat. qua occasione haud improbabile est, urbem nostram & Præsidia Rheno imposita lustrasse Cæsares, & auxisse. *Iidem cæsi ab Impp.*

A. C. 369. Valentinianus suspectam habens ferociam Alemannorum, etsi grandi strage profligatorum, nequid denuo per absentiam suam attentarent, omnia omnino loca Romanis obnoxia à fontibus Rheni ad usque Oceanum, adeoque singulariter etiam Constantiam nostram, firmioribus munimentis & præsidiis communiens, Rhætiæ nostræ Galliæque securitati consulit. *Constantia magis munita.*

A. C. 370. Burgundos adversum Alemannos concitat Valentinianus, magno urbis nostræ commodo, dum securiores deinceps vicini agros suos colerent, & necessaria vili pretio urbi inferrent. *Burgundi contra Alemannos.*

A. C. 371. Alemanni Burgundorum injuriis concitati, recollectis viribus & illos & Rhætos immani furore ad extrema penè adigunt, donec Romani roboris subsidio à Theodosio Equitum Magisto, strenuè contusi, nequid denuo auderent disjuncti sunt, & magna pars jubente Valentiniano in Italiam translata sedes & agros juxta Padum suscepit. *Alemanni sejuncti.*

A.C. 373. Valentianus Imp. in provinciæ noſtræ pericula avertenda intentiſſimus, & ſuſpectum habens Alemannorum ingenium, hos armis cogendos deſperans, beneficiis obligandos & demerendos aggreditur, optimo conſilio, alios in Aulam accerſens, alios militaribus honoribus attollens, quo facto quieti urbis noſtræ & viciniæ egregiè conſultum fuit, & agri circumundique inſigniter exculti.

Quies patria.

Noſtri ſublimati.

A.C. 374. Ne inviderent Alemannis noſtri, plurimos ſimiliter in Aulam accivit, & militaribus honoribus extulit, è quibus præ aliis nobiliores urbis noſtræ, plerique origine Romani promoti creduntur.

Valentinianus Sen. obiit.

A.C. 375. Maximo civium noſtrorum luctu, amantiſſimus eorumdem Auguſtus in procinctu contra Quados, extinguitur, Gratiano filio ſuccedente.

Valentinianus Iunior.

A.C. 376. Acclamatione exercitus Valentinianus Junior fratri ſuo Gratiano Collega Imperii adjungitur, & partitione Regnorum facta, Juniori urbs noſtra & Rhætia, juxta alias provincias aſſignata.

Lentienſes tumultuantur.

A.C. 377. Pueri Cæſaris contemptu Lentienſes aliique Alemanni, Gratiano in Oriente occupato, Rheno ſuperato, vicinas Conſtantiæ provincias, Rhæticas Gallicasque, & Romanorum paſſim præſidia invadunt, nihil contra Conſtantiam auſi natura, arte, civibus & præſidio munitiſſimam.

Clades Alemannica.

A.C. 378. Turbantibus denuo Germaniam Alemannis, contra eosdem omnes colligens vires Gratianus memorabili victoria potitur, ex quadraginta, ſive ut alii volunt, ſeptuaginta hoſtium millibus, vix millibus quinque ſtragem evadentibus. Inde victor magno plauſu, apud Rauracos, Forum Tiberii & Conſtantiæ excipitur, apud Arborem Felicem, vulgo Arbonam caſtra metatus, inde per ſuperam Rhætiam in Italiam reverſus.

Solus rerum potitur Gratianus.

A.C. 379. Solus nunc rerum potitur Gratianus, Valente Hæretico Orientis Cæſare, à Gotthis cæſo, & in casâ quâdam ruſticâ, quo confugerat, ignibus exuſto. Ille conſiderato Orientis periculo Magnum Theodoſium collegam adſciſcit, ipſe contra Alemannos, Orientis periculo audaciores, per Rhætiam & partes noſtras denuo contendit.

Periculum provinciæ.

A.C. 380. Periclitantur extremè Rhætia, & lacus Acronii loca, etſi Conſtantia ſibi perpetuo conſtaret. Extant de periculo Gratiani ipſius & Theodoſii reſcripta, quibus omnis excuſatio immunitatis nulla eſſe jubetur, verum omnes, coguntur & commeatu & armis Rhætiæ ſuccurrere.

Sterilitas.

A.C. 381. Præter incommodo alia & pericula, Rhætia gravi aliquot annorum ſterilitate vexata, nunc extrema patitur, nec dubium Conſtantiam noſtram, forti, juxta cives munitam præſidio multum anguſtiæ è panis inopia paſſam.

A.C. 383. Feliciſſimus urbi noſtræ totique Rhætiæ hic annos, poſt multos

Digitized by Google

multos ſteriles fertiliſſimus. ne tamen nimium geſtirent, à Juthungis bello vexantur; Conſtantia omnes conatus hoſtilium facile eludente, ut nec tentare quidem præſumerent.

Ipſo anno Tyrannidem invadit Maximus, qui mox in Gallias tranſiens, ab infenſis Gratiano Legionibus, Auguſtus ſalutatur. *Maximus Tyrannus.*

A. C. 384. Conſtans in fide Conſtantia & Rhætia dum à Maximo fruſtra ad defectionem concitatur, hic Alemannos adverſus eas concitat, exprobrante poſtea ipſi, S. Ambroſio: *Tu feciſti incurſare Rhætias, &c.* ut facile advertas res urbis noſtræ valdè auguſtas fuiſſe, commeatu procul dubio undique intercepto, niſi qua Rheno & Acronio invehebatur. *Conſtantia conſtans.*

A. C. 385. Magno dolore noſtrorum Rhætia ſecunda ſive Vindelicia, incertum vine an dolo à Maximo ſubigitur, & quod tanto magis doluit, adulari Tyranno viſa, in gratiam filii ejusdem (extantibus usque hodie plurimis) Flavii victoris Numismata cudit. *Vindelicia deficit.*

A. C. 386. Sancta Regina Urſula cum undecim Virginum millibus ſuo adventu provinciam noſtram beat, Colonia, Baſileam, atque hinc Curiam Rhætorum contendens, adeoque Conſtantiam certò delata, etſi fortè non intromiſſa, quod magno etiam numero virorum ſtipata eſſet, & tot inſimul peregrinorum ſuſpectus adventus eſſet. *S. Vrſula peregrinatio.*

A. C. 387. Eodem itinere reverſa Urſula, & Coloniam devecta ibidem cum omnibus ſuis glorioſo Martyrio coronatur. *Martyrium.*

A. C. 388. Reſtituit magno noſtrorum plauſu profugum ad ſe aliquamdiu metu Maximi Cæſarem noſtrum Valentinianum Juniorem Theodoſius, Tyranno cum fratre & filiis cæſo atque interempto. qui Theodoſius Magnus ſæpius Conſtantiam non ſolum occurriſſe dum Rhæticæ militiæ, ante Imperium, Magiſter & Præſes eſſet, ſed & diutius ibidem commoratus videtur; quod nullo è loco commodius hoſti frontem obverteret. *Maximus cæſus.*

A. C. 390. Congeminant Imperatores edictum, de non valitura cujusquam immunitate ſive eximietate, quo minus commeatu aliisque neceſſariis Rhætiæ noſtræ providere cogeretur; ita ut videas magna etiamnum pericula imminuiſſe, ut nulli loco magis conſulendum quam Conſtantiæ eſſet, quæ hoc etiamnum tempore princeps Rhætiæ propugnaculum exiſteret. *Conſtantia propugnaculum Rhætiæ.*

A. C. 392. Ingenti urbis totiusque provinciæ luctu Arbogaſtis Comitis ſcelere interficitur Auguſtus noſter Valentinianus Junior, & Eugenius Tyrannus obtruditur, quem, conſalutante toto cætero Occidente, ſola Rhætia noſtra deteſtatur, tanquam ſceleſtiſſimum inanium Numinum cultorem. *Occiditur Valentinianus Imp*

A. C. 393. Honorium filium Theodoſius Occidentis Auguſtum creat, quem noſtri ſummo plauſu excipiunt, omnemq; contra Eugenium Tyrannum opem pollicentur. *Honorius Imp.*

Stilico Dux. A. C. 395. Incredibili totius orbis Christiani, & Constantiæ nostræ comploratione, vitam mortalem immortali commutat Augustissimus Cæsar Theodosius, adjuncto Tutore Principi nostro Stilicone, cujus arma Barbari plurimum metuebant.

S. Gaudentius Episc. A. C. 396. Plurimum celebratur in Rhætia Vitæ sanctitate & magnis meritis S. Gaudentius, qui Constantiam quoque nostram Rhætiæ etiamnum accensam, singulariter curæ creditur habuisse & longè lateque provinciam nostram demeruisse, quem Numen maximis miraculis commendavit, & celebrem voluit.

Alemanni. A. C. 398. Iterum inquieti Alemanni, partes vicinas urbi nostri, & quæ circa Rhenum & Acronium vastant, urbe nostra eminus è sua securitate contuente, quæ Amici paterentur.

Cæsar fœdera quærit. A. C. 400. Stilico jussu Honorii difficillima legatione functus, cum Rhætiæ & hujus atque Romanorum ad Rhenum atque Acronium urbibus & præsidiis aliter consuli non posset, cum Alemannis fœdera contrahit, nec dubium nobis, sive Constantiæ cum ipsis pactum esse, sive inde ad eosdem excurrisse.

Gothi se recipiunt. A. C. 402. Alarico Gotthorum Rege validè Italiam invadente, idem Stilico Rhætiæ nostræ opem implorat & impetrat, magno omnino ad victoriam momento, ita ut desperatis rebus in Italia, ulcisci de Rhætis se statueret, & robore militum destitutam, atque inde cæteras Rheni partes invadere, coactus, à reliquiis Rhætorum domesticis, consilium mutare, & Illyricum reverti.

Stiliconis perfidia. A. C. 406. Periclitatur plurimum urbs nostra, incognitâ etiamnum sibi perfidia Stiliconis, qui Wandalos, Alanos, Suevos Alemannos in Romanos concitabat, omniaq; erepta Romanis cupiebat. & facillimum fuisset, nisi præsidiarii, an cives ipsi suspecta paulatim ejus consilia habuissent.

Ejus fraudes. A. C. 407. Visigothos etiam, à quinque ac viginti annis Romanis fidos Stilico ad defectionem trahit, quæ prius penè nostri, ipsum ubique ad prælia sequuti advertere visi sunt quam Honorius, etsi virum ob res fortiter gestas plurimum revererentur.

Ipsius & filii interitus. A. C. 408. Nunc demum compertis ejus fraudibus ipsum cum filio è medio tollit, Genevido Ethnico quidem sed modestissimo juxta ac fortissimo Principi Rhætiæ & vicinarum provinciarum cura demandata.

S. Paternus Episc. A. C. 409. Insigni meritorum copia se commendat, S. Paternus Vindonissæ Veteris, & Provinciæ nostræ Episcopus, magna miraculorum gloria à Numine celebratus. cujus acta interciisse per tot hostium incursus, merito dolendum est.

Roma obsessa. A. C. 410. Nutant plurimum Romanorum res Alarici Gotthorum Regis successibus, qui hoc anno Romam obsedit ac facile expugnavit,

Digitized by Google

vit, noſtris plurimum metuentibus, ne per Alpes Rhæticas ad nos viam tentaret.

A. C. 411. Supremus hic annus S. Paterno noſtro Epiſcopo Vindoniſſæ fuit, viro ſanctiſſimo & egregiis meritis conſpicuo, qui juxta nominis Etimologiam, vere paternè ſeſe erga Chriſti oviculas habuit, & nomen Patris Patriæ meruit, cujus ſacri obitus dies tabulis Eccleſiaſticis ad Viceſimum tertium Septembris refertur, & anniverſaria memoria religioſe colitur. *Moritur S. Paternus.*

A. C. 412. Gothis, incertum quâ viâ, hoſtiliter jam Galliæ illapſis, & Trans-Rhenana vaſtantibus, Conſtantiæ noſtræ haud minimum periculi fuit, veritis civibus, ne contrario itinere ſibi atque Rhætiæ immineret, quod plurimum ſua intereſſet Alpes occupare, atque inde in Italiam excurrere. *Periculum Conſtantiæ.*

A. C. 415. Sanctus Laudo, dignus omni laude Præſul, poſt Sanctum Paternum Vindoniſſæ & toti noſtræ Provinciæ, vitæ ſanctitate non minus quam prædicatione ſua conſulit. *S. Laudo Epiſc.*

A. C. 418. Hoſtibus trans Rhenum in Gallia omnia peſſundantibus, Conſtantienſe & alia ad Rhenum præſidia, nihil non ſuſpectum habent, noſtris tamen egregia ſe erga Romanos fide ſtrenuè commendantibus.

A. C. 420. Novo metu percellitur Conſtantia noſtra & Rhætia, Francis paulatim Rhenanis Romanorum præſidiis, inſidias, minas, & vim intentantibus. *Franci invaleſcunt.*

A. C. 423. Magno Provinciæ noſtræ luctu Hanorius Imperator vitâ defungitur, invadit Tyrannidem Joannes quidem, quem noſtri agnoſcere prorſus recuſarunt. Moritur S. Laudo Epiſcopus noſter. *Moritur Honorius Imp.*

A. C. 425. Cæſo Tyranno, Occidenti noſtro Imperatorem deſtinat Magnus Theodoſius, Valentinianum III. ſuum ex filia Placidia Nepotem, qui ſtatim Arianis Occidentem quoque fallere ſatagentibus ſeſe generosè oppoſuit. *Valentinianus III. Imp.*

A. C. 426. Pharamundus Francorum Rex, à magnis commendatus facinoribus, & ſumma inprimis animi æquitate, hoc ſuperiore anno Leges Salicas condens, omnium rapit animos, & Conſtantienſium inprimis; Romanorũ avaritiâ & faſtu, plurimum integritati civium noſtrorum faſtidium creantibus. *Pharamundus Rex claret.*

A. C. 428. Superſtes etiamnum Theodoſius, ejuſq; amor & reverentia noſtros in officio continent, quo minus ad Francos reſpicerent, quorum quotidiè res cum decremento Romanæ fortunæ, in immenſum ſuccreſcebant. *Theodoſii reſpectus.*

A. C. 430. Moritur Pharamundus Rex Francorum potentiſſimus, non minore dolore noſtrorum quam ſuorum, qui ejus robore & ſucceſſibus confiſi, emergere denique ab oppreſſione Romanorum ſperaverant, etſi luctum omni modo diſſimulare cogerentur. *Obiit Pharamundus.*

A. C. 431.

Clodius Rex. A.C. 431. Clodius Pharamundi filius & in Regno ſucceſſor minimè degener dum Romano non minus Nomini quam parens infenſos maximum cogit exercitum, Romani rebus intenti ſuis, Rhenana plurimum augent præſidia, & Conſtantienſium cæteroquin minus contentorum, animos exulcerant, dum in homines liberos licentioſius exactionibus aliisque oneribus, ceu Imperatoris juſſu graſſantur.

Rerum turbatio. A.C. 434. Intenti in fortunam Romanorum Francorumque Conſtantienſes, attoniti hærent, Francis vicina Rheno, Viſigothis circa Ligerim, Burgundis omnia prope Rhodanum occupantibus.

Aetii gloria. A.C. 435. Sola Aetii virtute atque fortuna retinentur in fide & obſequio noſtri, qui Francis ſeſe viriliter opponit, & ſua inſuper egregia pietate omnium amorem meretur.

A.C. 437. Valentiniani Cæſaris ſui incuriâ ſeu ſgnaviâ graviter offenſi cives noſtri, dum ille in Orientem ſponſæ Eudoxiæ occurrit, magis ac magis animo avertuntur.

Littorius profligatur. A.C. 439. Littorius Romani exercitus in Galliis Dux, memorabili ſtrage penè internecione deletur, Francis impune ad Rhenum rem ſuam promoventibus.

Genſericus Rex. A.C. 440. Genſerico Carthagine capta totam Africam Cæſari eripiente, & Italiam ac Siciliam invadente, magna ubique trepidatio, Conſtantienſibus, nequid per has turbas Alemanni contra ſe attentarent cautè invigilantibus.

A.C. 441. Clodius ſive Clogio, tempore & occaſione uſus, propior ſemper Conſtantiæ fit, plurimis ad Rhenum urbibus occupatis.

Alemanni invaleſcunt. A.C. 443. Fervente præliis Oriente & Occidente, uſi occaſione Alemanni Rhætos pro viribus infeſtant, & magna parte provinciarum exuunt, iis maximè quæ circa lacum Acronium poſſedere, Conſtantia ſola honorem ſuum tuente, Romano præſidio deſperatis rebus, ſive ultro ſeſe inde propipiente, ſive à civibus ejecto.

A.C. 445. Clodius ſive Clogio Romanorum calamitatibus felix, Imperii ſui fines longe lateque extendit, Burgundia, Aquitania, Lotharingia Regno adjectis, urbe noſtra ejus felicitate ſuam quoque metiente.

Clodius Rex moritur. A.C. 448. Meroveus filius extincto ſub hoc tempus Parente Clodio, facta ejusdem æquat, juvenili robore & gratia omnium animos & maxime Conſtantienſium rapiente, ſolis nunc Alemannorum progreſſibus impedientibus, quo minus illius Amicitiam exambirent.

Subitus Attila adventus. A.C. 449. Attonita ſtupet Germania adventu ſubito Attilæ Hunnorum Regis, Flagelli, ut ſe vocabat, DEI, ex Oriente in Occidentem repente advolantis, & Iſenaci prius Comitia cogenti quam adveniſſe omni

Germaniæ

Digitized by Google

Germaniæ innoteſceret. Cæterum Germanis optimè affectus, eadem ſeſe origine gloriatus, eorundem auxilia exambiit & meruit.

A. C. 450. Conſtantiæ nunquam magis profuit, quam nec Romanam neque Francicam modo fuiſſe, dum Attila, quidquid utrarumque partium erat, nobiliſſimas urbium Rheno adſitarum, Argentoratum, Spiram, Wormatiam, Baſileam immenſa exercitus vi opprimeret atque everteret, Conſtantiæ tanquam verè Germanæ nihil inferre auſus nocumenti, quod in Germanorum ſubſidio plurimum confideret. Moritur ipſo anno Theodoſius Imperator, cujus morte Romanum deinceps Imperium ſupremum diſcrimen adiit, à plerisque eo usque fidis deſertum. *Conſtantia noſtra fortuna.* *Theodoſius obiit.*

A. C. 451. Attila totis viribus in Gallias effuſo, impendentibus tanto Regno malis motus Merovæus, ſocia arma contra Attilam cum Aetio jungit. Triumphatum de hoſte memorabili victoria, cæſis utrinque 160. ſive ut alii contendunt 190. millibus, frendente Attila & in tutiora ſe recipiente. *Attila clades.*

A. C. 452. Romani Merovæo Regi ob ſtrenuam ſibi navatam operam, multa per Galliam & ad Rhenum, nuper ab ipſo belli jure occupata ultra cedunt & concedunt, Conſtantienſibus ejus Amicitiam & gratiam exambientibus, quin & merentibus, donec poſt annos circiter viginti, ultro Gallis omnino adjungerentur. *Merovæi gloria.*

A. C. 454. Indigniſſima Aetii optimi Ducis cæde contaminat nomen ſuum Valentinianus Imp. & fortunam Imperii evertit, ipſis quoque hoſtibus tanti viri mortem dolentibus. quo ipſo anno Attila ſuomet ſuffocatus ſanguine, mortuus in lecto invenitur. *Aetii cades.*

A. C. 455. Aetio extincto, nil porro metuens à Romanis Merovæus univerſa ferè Gallia potitur. Luit cædem Aetii Valentinianus concitatis in ejus necem à Maximo Aetii militibus, quam ipſi intulerunt. *Valentinianus occiſus.*

A. C. 456. Mira rerum mutatio aliis ad Imperium evectis dejectisque, Conſtantia noſtra ſollicitè cavente nequid ab Alemannis pateretur, & quo titulo Merovæi protectionem mereretur, quod ab Alemannorum non tam armis metueret ſuæ libertati, quam quam à fraudibus caveret. *Conſtantia periculum.*

A. C. 458. Merovæo ſupremus hic annus, à quo Merovingica Regum familia cognominata, cujus morte & urbis noſtræ & Rhætiæ aliarumque provinciarum propoſitum nonnihil deſedit, dum Childericus filius, diſſimilis primùm patris, multorum animos averteret, deinceps tamen Anteceſſorum gloriam ſuperaret, favorem reciperet. *Moritur Merovæus Rex.*

A. C. 460. Majoranus Auguſtus, qua erat prudentia & comitate, nutantes in fide Rhætos, quod preſſi ab Alemannis nihil ab Romanis haberent ſubſidii, miſſo Bartone Præſide, denuo confirmavit, dum hic aliquoties rem præclare adverſum hoſtes gereret; Conſtantienſibus interea libertatem *Majoranus Imp.*

ſuam ſemel aſſertam conſtanter retinentibus, nec dubiæ Romanorum fortunæ ſeſe deinceps credentibus.

Conſtantia Securitas.

A.C. 463. Utrobiq; redacta in anguſtias Rhætia, hinc Alemannis eam graviter prementibus, inde Alanis, qui ſuperiore anno in Italiam pervaſerant, ipſam inceſſentibus, ægre interiora ſua tuetur; Conſtantiâ noſtra ſecurè & eminus contuente, quæ veteres amicos mala excepiſſe nt.

A.C. 464. Childerico Rege à ſuis pulſo, haud minimum exterriti Conſtantienſes, dum Alemannorum nimis invaleſcentium fortunam & ſucceſſus ſuſpectos habent, Ægidii Romanarum in Gallis Legionum Ducis, res pro Rege adminiſtrantis promotione, magis ſolliciti reddantur.

Helvetia motus.

A. C. 465. Sed & vicini Helvetii motus haud leviter urbem noſtram perturbant, Burgundis & Wandalis Helvetiam everſam cupientibus, his fortiter ſeſe opponentibus.

Childericus mira mutatus.

A. C. 466. Childericum Regem ſuum pulſo Ægidio revocant Franci magno noſtrorum plauſu (etſi nonnulli triennio poſt memorent) qui mox frugi ſe Principem comprobat, nec maximis impar ém.

Ægidius profligatus.

A. C. 467. Idem Ægidium Galliis denuo inhiantem, inſigni clade profligat, prohibitis Ægidio ſuccurre Rhætis, dum Alemanni primam inſimul & ſecundam Rhætiam magna ex parte ſubjugaſſent.

Helvetia fit Gallica.

A. C. 469. Childericus magnis rerum ſucceſſibus fortunatus, fit propior quotidie Conſtantiæ, Burgundiamque ac Helvetiam nec non plures ad Rhenum civitates Regno adiicit; perque Duces ſuos, Romanos omnino Galliis eiicit.

A.C. 470. Idem per ſuos Wormatiam, Spiram, Argentinam expugnat, urbe noſtra haud minimum ſibi gratulante, eo quod ſub tanti Regis auſpiciis, nihil deinceps periculi habitura videretur.

Alemanni ſubacti.

A. C. 471. Profligatis pari felicitate Alemannis, magna, quam Rhætis eripuerant parte provinciarum potitur, Conſtantia noſtra magno metu incommodisque liberata, quæ ſibi non minus quam tanto Regi gratulatur, in fidem & Amicitiam ſuſcepta, ac dein Francorum Regibus in deliciis habita, quæ ſæpius deinceps ibidem commorati ſunt.

Duces provinciarum.

A. C. 472. Alemanniæ, & parti quam acquiſiverat Rhætiæ, nec non Turgoviæ, Hegoviæ, Linzgoviæ, Briſiacæ & Alſatiæ conſanguineos Principes Rectores & Duces præficit, virtute æque præſtantes atque nobilitate, Genere Agilolfingos.

Felix ſtatus urbis noſtræ.

A. C. 474. Nunquam felicior ſtatus urbis noſtræ, quam domitis modo Alemannis Helvetiis vicinisque omnibus Childericò Regi potentiſſimo obſequentibus, Rhætis eundem reverentibus cum urbs noſtra, non ſecuriſſima ſolum conſiſteret, ſed agri ampliſſimi ac pinguiſſimi ubertate flueretur.

A. C. 475.

A. C. 475. Laborante gravi fame Germaniâ, urbs tamen noſtra importatis priore anno fructibus liberaliter vivit, vicinisque etiam non ſine lucro maximo impertitur. *Fames provinciarum.*

A. C. 476. Collabitur denique Occidentale Imperium, Odoacre Auguſtulum Cæſarem relegante & plene Italiam ſibi vendicante Rege noſtro contra Gotthos rem proſperè agente. *Finis Imperii Occident.*

A. C. 477. Childericus Amiciſſimum Odoacrem Italiæ Regem nactus, hujus ope Reliquias Romanorum tota Helvetia & Burgundia exſcindit.

A. C. 478. Alemannos denuo nova molientes, & quæ Childericus prope Rhenum ſubjugaverat invadentes eminus contuetur Conſtantia noſtra, ipſa quidem intacta, ſed optimi Regis dolens injurias, quas tamen paulo poſt idem egregiè ulciſcitur, graviter contundit, & in poteſtatem redigit, rebelles pace provinciæ redditâ. *Alemanni victi.*

A. C. 480. Natalem Magno Monachorum Archiduci & Patriarchæ Benedicto, communis ſcriptorum & Hiſtoricorum calculus habet, quem & nos in omnibus fere libris noſtris cum typo impreſſis, tum MSS^tis. aſſeruimus, incertùm quo primum auctore, cum tamen jam pridem vixiſſe oportuerit, imo hoc anno magnis jam virtutibus, toti orbi innotuiſſe, uti ad annum Chriſti 509. obſervabimus. Meminiſſe hoc loco oportuit, tanquam Conſtantiæ noſtræ, totiusque Diœceſeos Patriæ Patris, à quo nimirum iſtæ innumera prorſus beneficia acceperint; fidei longè lateque per Sacros ejusdem filios propagationem, tot Eccleſiarum, Monaſteriorum, Xenodochiorum, &c. erectionem ſanctioris vitæ exemplaria & exempla penè innumera, prodigioſam è cœlo opem, & miram ſane Numinis Benedictionem, Alanis graviter Galliam turbantibus Childerico Regi noſtro auxiliarius oportunè adeſt Rex Italiæ Odoacer, & hoſtes Regni obterit. *S. P. Benedicti annus Natalis.* *Res incerta.* *Alani hoſtes.*

A. C. 482. Rebelles denuo Alemanni circa urbem noſtram & tota vicinia omnia turbant, invigilante ſedulo noſtris optimo Rege, atque advolante, moxque omnes illorum conatus diſſipante atque exſufflante. *Alemanni rebelles.*

A. C. 483. Inquietiſſimi Alemanni, dum Childerico prævalere deſperant, Italiam tentant, Rege noſtro vi pacti fœderis Odoacri quamprimum cum auxiliis occurrente & hoſtes acriter urgente & concidente.

A. C. 484. Incredibili urbis noſtræ totiusque provinciæ luctu moritur Childericus Rex noſter, Heros incomparabilis, ſub quo plurimum res noſtra floruit, & hoſtium vicinorum inſolentia conquievit. Succedit filius Chlodovæus, qui poſtea Magnus dictus eſt. *Childericus Rex moritur.*

A. C. 485. Vix adito Regno Clodovæus, magnis ſe facinoribus dignum tanto patre filium comprobavit, & urbem noſtram aliasq; Rheno adſitas magno Alemannorum metu liberavit, qui illico à morte Childerici infeſta *Clodovæus Magnus ſuccedit.*

omnia habuere, agros vaſtavere, commeatum prohibuere & abſtulêre, quorum inſolentiam fortiſſimè coercuit & rebellionem caſtigavit.

Reſidentia ejusdem. A. C. 488. Clodovæus Magnus urbi noſtræ plurimum conſulit, in qua ſæpius conſediſſe videtur, altum dein conticeſcentibus Alemannis, & nihil porro hoſtile tentantibus, ita ut ſi unquam antea rerum omnium copia cives noſtri fruerentur, & ſumma quiete gauderent.

Theodoricus Tyrannus. A. C. 489. Amiciſſimum Regi noſtro Odoacrêm Italiæ Regem, graviſſimo bello petit Theodoricus Gotthus, & magno noſtrorum mœrore duplici clade proſſligat, ad Iſoncium primum, ac dein prope Veronam, ipſo in Rhætiam profugiente, Clodovæo Rege noſtro graviſſimis bellis diſtento, quo minus Amico adeſſet, utrobique feliciter pugnante, Evarico Gotthorum Rege & Siagrio immortali cum gloria debellatis, ita ut nunc denique plenè rerum potiretur, Romanis prorſum ejectis, Galliarum Monarcha effectus.

Clodovæus Regnum firmat. A. C. 490. Magna gloria, Magnus revera Clodovæus, Regno & adjacentibus provinciis egregiè conſulit, ſtabiliundo Regno prudenter intentus, & loca, quæ vicinis hoſtibus arcendis plurimum conducerent, fortiter communiens, quæ inter Conſtantia noſtra fuit, cui præ cæteris invigilare debuit, ne ſive vi, ſive aſtu in Alemannorum veniret poteſtatem, quos nihil non tentare, etſi quam occultiſſimè, edoctus erat.

Odoacer Rex occiſus. A. C. 493. Optimus & æquiſſimus Catholicis, Regique noſtro Amiciſſimus Odoacer Theodorici Regis juſſu perfide cum filiis inter epulas ad quas invitati erant trucidatur, cum jam ante, ut pariter regnarent, cum hoſte tractaſſet, & nil porro metuiſſet.

Alemanni inquieti. A. C. 494. Etſi Conſtantia conſtans ſibi ſemper conſtaret, & inſidiis potius appeteretur quam armis, haud minimum tamen denuo paſſa damni, Alemannis denuo agros vicinos vaſtantibus & Præfectos Clodonæi Regis, ubicunque degerent, provincia eiicientibus.

Boulcus ſive Bovicus Epiſc. A. C. 495. Claret ſub hæc tempora Boulcus, aliis Bovicus & Bubulcus Epiſcopus noſter, Vindoniſſæ etiamnum reſidens, cujus tamen res geſtæ interciderunt. Pergunt infeſtare quæ poſſunt Alemanni, Conſtantienſibus ſua ſollicite tuentibus, Rege noſtro bello graviſſimo, quo minus occurreret occupato, & hoc anno Alaricum Gotthorum Regem prope Pictavos proſſigato & interempto.

Conſtantia fame urgetur. A. C. 497. Alemanni, negotiis Clodovæi, in commoda ſua trahentibus, haud pauca loca circa lacum Acronium & Rhenum occupant, ſpectante hæc eminus Conſtantia noſtra, & quod aliquot jam annis difficulter commeatum inferrent, haud minimo periculo laborantibus, comminante fruſtra Alemannis Clodovæo, quem occurrere non poſſe facile adverterant.

Helveticum bellum. A. C. 498. Iterum proximum Conſtantiæ noſtræ ingens exardeſcit incendium, quod totam involuit Helvetiam, Gunderici filiis quatuor de

Regno

Regno dimicantibus; urbe tamen noſtra in Alemannorum potius conatus, oculos coniicientibus, qui moximos exercitus inſtruxêre.

A. C. 499. Alemannis toti nunc Galliæ imminentibus, occurrens cum exercitu Rex noſter Clodovæus, & prope Tolbiacum congreſſus, cum graviter periclitaretur, voto de ſuſcipienda Chriſtiana Religione facto, mirabili & memorabili victoria potitur. *Victoria Clodovæi.*

A. C. 550. Incredibili plauſu urbis noſtræ Clodovæus Rex noſter, verè Magnus, debellatis acerrimis hoſtibus noſtris Alemannis, uti promiſerat Sacra Chriſtiana ſuſcipit, & à S. Remigio Rhemenſi Archiepiſcopo ſolemniter baptizatur, & inungendus Chryſmate, hoc è cœlo meretur, regniq; inſignia, lilia accipit. Inde in Gundelbaldum Burgundiæ Regem movet, Helvetiæ ac viciniæ noſtræ infeſtum ac moleſtum, quem paulo poſt triumphat. *Rex Baptizatur.*

A. C. 501. Nunc primum Gundebaldum omnino debellat Rex noſter & arva urbis noſtræ, vicino nimium hoſte & moleſto liberat, ut ſi cui unquam Regi, Clodovæo Magno plurimum tanquam Servatori & Patri Patriæ Conſtantia debeat. *Conſtantiæ laus.*

A. C. 502. Alemanni nunc denique ita debilitati, ut de libertate porro indipiſcendâ deſperarent, cum Præfectis ſubeſſe & durum ſentirent & indignum ſeſe ducerent, ad preces converſi Clodovæo omnem promittentes obedientiam, id unum opere maximo orant, & impetrant, Ducem ſibi præfici, qui univerſæ Alemanniæ imperaret. Incertum quo nomine primùm acceperint, cognatum tamen meruere Regis, & maxime fidum juxta & Martialem, ex familia Agilolfingæ. *Dux Alemanniæ primus.*

A. C. 503. Clodovæus, Alemannos toties rebelles, nunc denique ſolidius domitos ſibique obnoxios redditos, quo felicius in officio contineret, præſentiam ſuam neceſſariam ducens, etſi ſedem ſubinde mutaret, & nunc Argentorati, nunc Tiguri ſubſiſteret. Conſtantiæ tamen ſæpius conſedit, Alemannosque muneribus & beneficiis ſibi utiliter obſtrinxit. *Clodovæus Conſtantiæ.*

A. C. 504. Rerum Alemanniæ ſatagit Rex Clodovæus, & per diſcipulos S. Remigii eosdem in Chriſtiana Religione erudiri curat, magno plauſu Conſtantienſium, quod cum Religione humanitatem quoque induerent, Amiciſſimi ex hoſtibus facti. *Propagata fides.*

A. C. 505. Summa noſtrorum gratulatione Rex noſter Clodovæus Alaricum Viſigothorum Regem debellat.

A. C. 506. Colliditur cum Theodorico Italiæ Rege Clodovæus noſter, magnâ noſtrorum conſternatione, quod ille potens admodum, & vicinus dominatu Rhætiæ eſſet. *Regum colliſio.*

A. C. 507. Sed & major metus à proxima urbi noſtri Helvetia, quam Gundewaldus ejectus Regno per Clodovæum invaſerat, fratremque ſuum Godegiſilum everſum cupiebat. *Helvetia turbatur.*

Rex noſter varie appetitur.

A. C. 508. Liberavit periculo noſtros hoc anno Clodovæus, magnoque cum exercitu ſuperveniens, Gundevvaldum profligavit, Helvetiâ quieti reſtitutâ. Mox graviora pericula, cunctis Regi tam charo quam glorioſo metuentibus, dum immemor datæ ſemel fidei Theodoricus Italiæ Rex, Hermannum Thuringiæ, & Alaricum Viſigotthum Hiſpaniæ Reges, adverſus illum concitat. inde Vota ſupplicia ad cœleſte Numen à Chriſtianis paſſim, pro Victoria Regis inſtituta.

Alaricum Regem debellat.

A. C. 509. Debellat feliciſſimè Alaricum Rex noſter, & juſta acie congredi auſum cum viginti millibus profligat, ipſo etiam interempto, meruit innumeris ſanè meritis tantopere de Conſtantia noſtra totaque ampliſſima Diœceſi Magnus Monaſtici Ordinis Patriarcha Benedictus, uti ſupra diximus, & quidem ſuperſtes etiamnum, miſſo ad nos lectiſſimo ſuo & S. Remigii diſcipulo Sancto Fridolino, ut ejus non meminiſſe, capitale cenſeamus. Quod autem non ſæpius mentionem fecerimus cauſa eſt, ingentis ſuper annis vitæ & mortis ejusdem differentiæ à nobis diutiſſimè obſervata difficultas, quam paucos huc uſq; obſervaſſe ſeu attigiſſe animadvertimus, neminem diſſolv ſſe. Calculum huc uſq; communem, omnium fere ſcriptorum, in libris ad hanc uſq; diem à nobis editis tenuimus, ne à tot millium ſententia diſſentiremus. Certum tamen eſt, ſine plurimis Hiſtoriæ & Chronologiæ erroribus minimè poſſe affirmari. Oculatiſſimum ſimul & ſanctiſſimum rei docendæ teſtem habemus, Fauſtum re non minus quam nomine, ipſius Sanctiſſimi Patris diſcipulum & in Chriſto filium, collegam S. Mauri, qui momenta quaſi omnia in hujus vitæ deſcriptione aſſignat. Hic abſolutè & indubitanter, exceſſiſſe è vivis Benedictum, pridie Reſurrectionis Dominicæ, & quidem ſignanter juxta, *duodecimo Calendarum Aprilis*, aſſeverat, ut dubium porro nemini eſſe queat, eo anno Dominicam Paſchatis, undecimo Calendarum, nempe 22. Martii celebratam. Cum autem juxta calculum veterem, ante Gregoriani Calendarii reformationem, Paſcha Chriſtianorum Romanæ Eccleſiæ, à nato Chriſto usque ad annum Chriſti 604. non niſi quinquies in præfatum diem Martii 22. nimirum anno Domini 72. 319. 414. 509. & 604. incidere potuerit, fit quam certiſſimum, magnum Patriarcham non niſi præſenti anno 509. diem ſuum 21. Martii, juxta Romani & Monaſtici Breviarii traditionem obiiſſe; cum ætatem ejus ad uſq; Gregorii Magni Pontificatum, & annum 604. protrahi ipſe Gregorius vitæ ejus ſcriptor prohibeat, etſi propterea illud minimè affirmare velimus, cum & de Veterum intercalatione non conſtet, & de Paſchatis per diverſas aliquamdiu Provincias obſervatione; certum nihilominus ſit ex Fauſto S. P. Benedictū die 21. Martii, Sabbati Sancti hora tertia, cœlos ſolemni pompa aſcendiſſe. Hæc prolixius pro tanti Patriæ noſtræ Patris meritis & veneratione. Videatur accuratiſſima tabula Paſchatum & Indictionum Claudii Roberti, viri eruditiſſimi, à nato Chriſto ad uſq; Gregorianam Calendarii Correctionem.

S. P. Benedicti ætas.

Calculus communis.

S. Fauſtus S. P. Benedicti diſcipulus.

Dies obitus S. P. N.

Annus obitus quis ſit?

Inter calatio incerta.

Hora obitus S. P. N.

A. C. 510.

A. C. 510. Concilio Epaunenſi in Burgundia (vulgo Beſme) intereſt, Boulcus ſive Bovicus Epiſcopus noſter Vindoniſſenſe, qui haud diu deinceps videtur ſuperſtes extitiſſe. *Boulcus Epiſc.*

Clodovæus Rex noſter magno fidelium plauſu, Viſigothos denuo ingenti prælio ſuperat, totoque illorum Regno potitur, ob idipſum magno in reſpectu ab Anaſtaſio Orientis Imperatore habitus, qui ipſi coronam Regiam transmiſit, & Patricium creavit, etſi Catholicus Rex, Hæretici Imperatoris blandimenta haud minimùm averſeretur. *Clodovæi Victoria.*

A. C. 511. Plurimum demeretur Conſtantiam noſtram S. Fridolinus Abbas, S. Remigii primùm, dein Magni Benedicti diſcipulus, cum per Helvetiam longè lateque Evangelium prædicaſſet, primus Benedictini Ordinis Cænobii in Germania conditor, & prius procul dubio in urbe noſtra virorum quam Seckingæ Virginum, etſi Gregorius Mangoldus in ſuis ex Archivo Epiſcopali depromptis Chronicis, Monachorum Benedictinorum Conſtantiæ florentium poſt octodecim primum annos, Chriſti nimirum 529. meminerit. Conſtructum primitus fuit Monaſterium, eodem teſte in ipſa areâ, quâ hodie Baſilica Cathedralis eminet, viguitq; tantopere deinceps Conſtantiæ Magni Benedicti Ordo & diſciplina, ut cum tempore quatuor ejusdem Ordinis Monaſteria, Cathedrale, & Scotorum, & Petruſianum & quartum denique Virginum ad Pontem dictum, una urbs noſtra ſuo complexu contineret; quorum hodie unicum ſupereſt Petruſianum. *S. Fridolini merita.* *Conſtantienſe Cænobium.* *4. Benedictina Monaſteria in urbe.*

A. C. 512. Clodovinus quidam Clodii Regis nepotem ſe jactitans, Tyrannidem invadit, & variè provinciarum animos afficiens, cum plurimos ſibi adjunxiſſet à Clodovæo victus perimitur. Poſt Boulcum Grammatius Epiſcopus Provinciæ noſtræ conſulit, & ſollicitum paſtorem agit, ſede Epiſcoporum etiamnum apud Vindoniſſam conſtituta. *Clodovinus Tyrannus.* *Grammiatius Epiſcopus.*

A. C. 513 Unus nunc merito, præ omnibus aliis memoratu dignus, Annales occuparet, magnus Helvetiæ Apoſtolus S. Fridolinus, dummodo res ab eo geſtæ ad annos certos referri poſſent, qui Magiſtrorum ſuorum Benedicti & Remigii plenus ſpiritu, multa & mira præſtitit, eaq; inter Urſum Principem Cænobii Seckingæ Dotatorem, mortuum è tumulo ſuſcitavit, teſtem propriæ Donationis, quam frater ejus Landolphus negaverat, ad tribunal provinciale futurum; quo grandi miraculo territus facile Landolphus non ſolum ceſſit, ſed & multa deinceps è ſuo conceſſit, & fratris donationibus adjecit. *S. Fridolini geſta.* *Grande prodigium.*

A. C. 514. Sanctiſſimè vitâ defungitur glorioſiſſimus Rex noſter Clodovæus, ſummo urbis noſtræ omniumq; Regnorum luctu, cum diu ante triſtibus prodigiis cœlum & elementa mortem ejusdem prænunciaſſent, quæ ipſiſmet ſui obitus ſigna interpretatus, ad eumdem piè & generosè ſe præparans, multa Cænobiis & Eccleſiis elargitus eſt. Ipſo quoque anno ad *Clodovæi mors.*

Superos,

Superos emigraſſe S. Fridolinum, incertum quisnam vitæ ejus ſcriptor memorat, de quo valdè ambigimus. Celebratur autem anniverſaria ejus ſolemnis memoria pridie Non. Martii. quem magnis etiam à morte prodigiis Deus honoravit. Verum nos opinamur diutius ſupervixiſſe.

S. Fridolini obitus incertus.

Diviſa Regna.

A. C. 515. Filiis Clodovæi Regna inter ſe dividentibus, Auſtraſia cum Alemannia & inferiore Rhætia Theodorico ceſſit, cui & Conſtantia paruit, magna deinceps quiete potita, dum alter Theodoricus Italiæ Rex, Gotthus à Franco (poſt partitionem Regnorum) porro nihil metueret, qui potentiam antea ſuſpectam habuerat Monarchæ Dagoberti.

Varia arces Præſidium.

A. C. 516. Magnâ Nobilitatis Francicæ gloriâ ſeſe oſtentat, in variis tota paſſim provincia exſtruendis arcibus & caſtris, quæ paſſim Theodoricus Rex ejusque cognati & Præfecti Agilolfingi Reineckii Ravenſpurgi, Altorffii, Kyburgi, Puſſenii, Duellii, Sandeccii diverſis locis conſtruxêre, majorem partem, eo ambito, quo hodie Diœceſis ampliſſima Conſtantienſis circumſcribitur.

Burgundia domita.

A. C. 517. Hoc & ſuperiore anno Burgundiam Helvetiæ vicinam, ſed continuis irruptionibus inimiciſſimam, Clodomirus Theodorici Regis noſtri Germanus frater penitus ſubjugat, S. Sigismundo Rege cum filiis capto & in puteum præcipitato ac lapidibus obruto; qui magnis deinceps miraculis claruit, & quantum Burgundi olim mali, Diœceſi Conſtantienſi intulere, tanta deinceps beneficia ipſe contulit, cujus illatione Reliquiarum Einſidlenſis, aliæque Eccleſiæ, inſignem Patronum meruere.

S Sigism. Rex.

S. Fridolinus nonnullis ſuperſtes.

A. C. 520. Nunc primùm Rhætias demeruiſſe S. Fridolinus, & vicinas provincias, nonnullis videtur, quem plerique anno 514. deceſſiſſe, uti ſuperius perhibuimus, aſſeverant, cujus diverſitatis cauſa eadem fere eſt, quæ in calculo ætatis Monachorum Archiducis Benedicti, quam ſuperius ſatis attigimus.

S. Leopardus S.P. Ben. diſc.

A. C. 522. Immigrat Germaniæ alius Magni Benedicti diſcipulus S. Leopardus, & Conſtantiam atque totam provinciam ſuo adventu beatam reddit. nec vero abſimile in novo urbis noſtræ Cœnobio aliquamdiu ſubſtitiſſe, donec Alſatiæ novus ejusdem Apoſtolus immigraret.

Theodoricus victor.

A. C. 524. Theodoricus Rex noſter Hermanfridum Thuringiæ Regem bello petit, quo noſtri & Rhæti & Alemanni inſigniter ſe Regi probant, cæſo duobus an tribus præliis hoſte, multis millibus trucidatis.

Hermanfridus Rex occ.

A. C. 525. Expugnat Scheidingam, quo confugerat Hermanfridus, ipſoque è muris præcipitato, multa rurſum millia mactat Rex noſter Theodoricus.

Fratres Reges hoſtes.

A. C. 526. Litem fratri proprio, Regi noſtro movet, Clotharius de Regno Thuringiæ, quod hic Hermanfridi ex fratre neptem conjugem haberet, inde magna regnorum turbatio, etiam Conſtantiæ civibus

civibus pro Rege ſui amantiſſimo plurimum ſollicitis, opemque virili afferentibus.

A. C. 528. Servatur magno noſtrorum ſolatio Rex noſter cum fratre Lothario hoſtiliter congreſſurus, cœlo ipſo, magno ventorum turbinis & fulminis impetu, exercitus diſſipante. *Servatur Rex noſter.*

A. C. 529. Magnis ſe meritis Conſtantiæ commendant, Benedictini Ordinis, novo in Monaſterio Aſcetæ, ſanctoque vitæ exemplo civium animos utiliter accendunt. Nec dubium ſanctis ſuis precibus, ſuperioris anni prælio, Regi non minus ſubſidii, præſtitiſſe, quam totius provinciæ noſtræ copiæ armis auxiliares. *Ord. Bened. Aſceta Conſt.*

A. C. 530. Novus à Romanis metus, graviter Alemanniæ totisque Germaniæ & Galliæ mirantibus, & Gotthos primum Italia eiicere tentantibus, qua ex cauſa Theodoricus noſter, delectus paſſim militum habet, inſignique comparato exercitu Gotthis jungitur, quibus & fideliter & generosè adfuit. *Theodoricus pro Gotthis.*

A. C. 535. Dum Juſtinianus Imp. Gotthos in Italia gravi bello perſequitur, animadvertens Theodoricus, quod cum Italia, Gallia quoque periclitaretur cum Germania, Gotthis ſtrenuè adfuit, eosdemque inſigniter demeruit. *Theodoricus Gotthis adeſt.*

A. C. 536. Concilio Aurelianenſi interfuiſſe memoratur S. Laudo ſive Lando Conſtantienſis Epiſcopus. qui diverſus omnino à noſtro cenſendus eſt, qui ante Boulcum & Maxentium, de quibus ſupra vixit, fuit Epiſcopus Conſtantienſis in Normannia, cum necdum hoc anno Epiſcopatus è Vindoniſſa Conſtantiam translatus eſſet. Ejus memoria 10. Cal. Oct. celebratur. *S. Laudo Epiſc.*

A. C. 537. Magno Conſtantiæ noſtræ & Regnorum luctu extinguitur Rex noſter Theodoricus, ſuccedente Theodoberto filio, qui dum ſubſidio Gotthis venit, patris exemplum ſequutus, repreſſus à Beliſario in fugam coniicitur, non levi noſtrorum terrore, quod Romanorum & nomen & fortuna denuo invalitura viderentur. *Moritur Rex noſter.*

A. C. 538. Vitiges Gotthorum in Italia Rex dum ſibi à Romanis metuit Theodoberti & ipſe opem implorat, magna parte Rhætiæ eidem promiſſa, magna Conſtantiæ noſtræ gratulatione, quo remotior ab ipſa quoque ſibi ſemper ſuſpecta Gotthorum Rhætiæ incubantium dominatione eſſet. Verum Clothario patruo bellum iniquum movens idem Rex noſter fame ſuos vexante impeditur, & ſeſe recipit. *Vitiges Theodobertum exorat.*

A. C. 539. Melius ſuccedunt res dum Vitigi per ſuos adeſt, Mediolanum expugnanti, collaudato inſigniter noſtro milite & remunerationem promiſſam Rege recipiente. *Noſtri proſpere pugnant.*

A. C. 540. Ingens in partibus noſtris trepidatio, inclinante, ut videbatur

Periculum provincia.

batur Gotthorum, noſtris amiciſſimorum, fortuna, Vitige eorumdem Rege Ravennam ſe recipiente, obſeſſo & capto, Theodoberto nunc fœdera Romanorum & Amicitiam exambiente.

Theodebertus minus laudatus.

A. C. 541. Diſſimilis patris & avi Theodobertus, priusquam S. Mauro Divi Benedicti diſcipulo aures & animum præberet, non ſine gravi noſtrorum offenſione, octuaginta, ſive ut alii contendunt, centum millium cum exercitu, contra fidem datam in Romanos movet, paulo poſt, ulciſcente Numine perfidiam, peſte majorem partem abſumente regredi coactus.

Falſa opinio de morte Divi Benedicti.

A. C. 543. vel 544. Nunc primum plerique ſcriptorum Magnum Monachorum Legumlatorem Benedictum extinctum volunt, quod juxta lectiſſimi ejus diſcipuli S. Fauſti calculum nullo modo eſſe potuit, qui diſertiſſimis verbis ipſum eâdem die, quâ Natalem ejus Anniverſaria celebrat memoria Rom. Eccleſia, nimirum in privigilio Paſchatis, 21. Martii, ut ipſe Divis Mauro & Fauſto prædixerat, ſancto fine deceſſiſſe affirmavit, ita ut Paſcha 22. Martii eo anno celebraretur. Certum autem eſt hoc anno 543. in quintam Aprilis, ſequenti anno in 27. Martii incidiſſe, adeoque meritiſſimo de Conſtantia noſtra totaque provincia Tutelari, alium obitus annum neceſſario aſſignandum. De quo lege ſupra, quæ anno 509. diſtinctius prodidimus.

Vide annum 509.

Moritur S. Remigius.

A. C. 545. Extinctum hoc anno terris magnum ſydus Cœloque illatum Annales Galliæ memorant S. Remigium Remenſium Archipræſulem de Rege noſtro magno Clodovæo pridem, & de urbe noſtra meritiſſimum, quem & merito cives noſtri plurimum planxêre, & Aſceteæ quam maxime Monaſterii Conſtantienſis, â Magno Remigii æquè ac Sancti Benedicti S. Fridolino inſtituti. Certè caput tanti Archiepiſcopi, incertum cujus beneficio, & quo tempore Conſtantienſis deinceps Epiſcopatus noſter meruit, illudque diutiſſime Münſterlingenſe Monaſterium prope urbem noſtram religioſiſſimè aſſervavit; tempore Religionis mutatæ, ſive aliorſum translatum, ſive ſub terra etiamnum defoſſum, donec bono Numini placeat denuo ſolatio fidelium prodere & Venerationi proponere.

Patronus Diœceſis.

Grammatius Epiſc.

A. C. 546. Concilium II. Epaunenſe (Meſmes) ſolemniter celebratur, cui intereſt Grammatius ſive Chromatius Epiſcopus noſter, Vindoniſſæ Epiſcopus.

Theodobertus mutatus.

A. C. 547. Magna civium noſtrorum Regnorumque gratulatione Rex noſter Theodobertus in familiaritatem S. Mauri deveniens, mirè mutatur, Religioſiſſimus deinceps effectus, Monaſteriorum diverſorum Conditor & Dotator, tanta erga Monachos reverentia, ut ad pedes illorum proſtratus, non prius ſurgeret quam à S. Mauro elevatus, nec dubium ex tempore, parentis quoque ſui liberalitatem erga Aſcetas Conſtantienſes imitatum, inter Benefactoris Cœnobii nomen meruiſſe.

A. C. 548.

A. C. 548. Supremus hic annus eidem Regi fuit, decidentis in caput inter venandum rami ex arbore casu, non multo post extincto; quem & cives nostri & Monachi inprimis diutius deploravêre. *Theodoberti mors.*

A. C. 549. Succedit optimo parenti filius Optimus, Rex Theobaldus Institutorem vitæ Optimum S. Maurum nactus, à cujus jussis & nutibus, non aliter atque parentis pependit, ita ut sub ejus Imperio Constantia nostra summa pace & quiete gauderet. *Theobaldus Rex.*

A. C. 550. Demerentur Constantiam maximis meritis Ascetæ nostri Monasterii B. M. V. quod postea Cathedrale evasit, non minus quam S. Maurus in Gallia, Psalterium Marianum cum in urbe, tùm apud Lacuum superi inferique & Rheni accolas summo cum fructu propagando, edocti nimirum primitus à sancto suo Conditore Fridolino, qui ejus usum, ab ipsomet præcipuo Psalterii Institutore Benedicto edoctus fuerat. quibus Constantia etiam debet, primariam quam usque hodie habet Ecclesiam honori Cœlitum Imperatricis nuncupatam & consecratam. *Benedictini Constantiam demerentur.*

A. C. 551. Justiniani Imp. conatus in recuperando Occidentis Imperio animadvertens Theobaldus Rex noster, insignem per Gallias Germanias-que conscribit exercitum Alemannis Rhætisque certatim operam offerentibus & strenue navantibus. *Exercitus Regis nostri.*

A. C. 552. Theobaldus supremum exercitui Ducem Bucelinum, Clodovæi Richemontii filium, Aureliani Ducis Milidunensis nepotem, præficit; hic Germanis fratribus Amingo atque Leuthario, Rhætos Alemannosque gubernandos committit. Hi maximis viribus Italiam invadunt, non paucis ultro in potestatem Francorum concedentibus. Ipso anno Concilio V. Aurelianensi interest Grammatius Episcopus noster. *Duces exercitus.*

A. C. 553. Promovet signa Victricia longè lateque per Italiam Bucelinus, sub cujus germanis fratribus Amingo & Leuthario strenuè rem agunt Rhæti atque Alemanni.

A. C. 555. Alemannis, maximam partem etiamnum Idololatris, templa passim Christianorum profanantibus & spoliantibus, sequuta quamprimum Numinis Vindicta, attrito pestilenti lue nostro exercitu, quæ causa fuit maturandi prælii, quo supremus ipse belli Imperator Bucelinus occubuit, cum fortiter aliquamdiu Marte dubio rem gessisset; sed & Amingus in fuga oppressus prope Veronam cum majore Alemannorum & Rhætorum parte cecidit. Quo ipso anno Theobaldus etiam Rex noster, mœrore accelerante mortem improles extinctus est, magnis thesauris Monasteriis & Ecclesiis relictis, quæ inter procul dubio etiam Constantiense fuit, quod se Magnis meritis & Regi & toti provinciæ commendavit. *Alemannorum Sacrilegia, à Numine punita.* *Theobaldus moritur.*

Digitized by Google

Childebertus regnat. A. C. 556. Succeſſit in Regna Rex Childebertus cognatus, non minus profuſus in Viros Religioſos, cui Conſtantia etiam noſtra cum Rhætia atque Alemannia obtigit. Qui tamen mox ſequenti.

Et hic brevi deceſſit. A. C. Dilectiſſimus amantiſſimis ſubditis morte ſubtractus fuit, amantiſſimus Benedictini Ordinis, plurimorum Fundator & Dotator Cænobiorum. Incertum an Conſtantiam, adeo brevi regimine, niſi forte fidelitatis Juramentum à ſubditis exigens, pervenerit Sepultus in celebertima quam ipſe condidit Abbatia & Baſilica S. Vincentii Pariſienſi.

Clotharius Monarcha. A. C. 558. Fit denique Rex noſter, imo Germaniæ totius & Galliæ Monarcha Clotharius, cujus ſanctiſſima conjux Radegunda fuit miraculum Reginæ, ſuperſtite marito, ejus conſenſu impetrato facta monialis, & maximis à Numine miraculis illuſtrata & commendata.

S. Leonardus. A. C. 560. Floret S. Leonardus Abbas Novalicienſis, vir miraculoſiſſimus, cujus à morte Patrocinium plurimæ tota Diœceſi noſtra ipſius honori nuncupatæ & conſecratæ Eccleſiæ, ſumma devotione complexæ ſunt.

B. Maximi merita. A. C. 562. Claret maximis Vitæ meritis Beatus Maximus Epiſcopus noſter, Vindoniſſæ etiamnum reſidens, de tota provincia ampliſſimè meritus, multa fidei cauſa perpeſſus, cum plurimi etiamnum, in Alemanniæ maximè & Helvetiæ partibus, idololatriæ pervicacia laborarent.

Mors Clotharii. A. C. 564. Moritur Clotharius Rex noſter, Galliarum & Germaniæ Monarcha potentiſſimus & glorioſiſſimus, magno noſtrorum dolore, cum Princeps perquam liberalis & Magnificus eſſet. ad quem potius quam Clotharium II. referenda videtur ſedes Epiſcopalis è Vindoniſſa Conſtantiam translatio, cum Beatus Maximus diu ante Clotharii II. tempora hîc reſediſſe memoretur. Ex quo probatur Clothario Monarchæ ſingulariter urbem noſtram fuiſſe commendatam, qui non minus quam Anteceſſores diutius & frequentius ibidem ſit commoratus.

Sigebertus Rex noſter. A. C. 565. Urbs noſtra cum Rhætia atque Alemannia nec non Auſtraſiæ Regno concedit in poteſtatem Regis Sigeberti, Principis optimi & ſubditis chariſſimi, & Religionis Chriſtianæ plurimum ſatagentis.

Hunnicum bellum. A. C. 567. Summa rerum tranquillitate, ingens repente ſuboritur tempeſtas. Hunnis Auſtraſiam Regis noſtri Regnum invadentibus. Accidit q; & urbi & provinciis noſtris triſtiſſimum, poſt ſumptus haud modicos in militiam factos, vix tentato cum hoſtibus congreſſu, Regem optimum repente circumventum captumque in Hunnorum veniſſe poteſtatem, & ſi non multo poſt, non ſine ſingulari Numinis gratia, ab iisdem ſeſe fuga proriperet, ac dein feliciter pacem componeret.

Fraternum bellum. A. C. 568. Ut vix una abſque altera calamitas, ita Sigeberto quoque noſtro accidit, hoſtem etiam frattem Chilpericum experto, qui captivitate fratris audita, Regnum invaſit, quod cum redux Sigebertus repeteret,

cedere

Digitized by Google

cedere ille noluit, donec bona demum triumphante cauſa, acerrima pugna congreſſus Sigebertus, fratrem profligaret.

A. C. 569. Virorum Sanctiſſimorum opera conciliantur Reges fratres, & magna noſtrorum gratulatione Sigeberto ex Brunechilde Regina, filius Childebertus naſcitur. *Conciliati Reges.*

A. C. 570. Nunc primùm Conſtantiæ ex Vindoniſſa immigraſſe Beatus Maximus ſive Maxentius à Claudio Roberto perhibetur. certius tamen eſt ſub Clothario Translationem factam, etſi forte Converſione gentium occupatior Maximus, hoc primum anno quietior conſediſſe memoretur. *B. Maximus Epiſcopus.*

A. C. 571. Iterum arma pro Rege noſtro induenda, iterum ſumptus in militiam faciendi, cum lite iterum ſuper diviſione regnorum orta, quivis ſua tueri armis ſatageret, noſtri pro optimo ſuo Rege fortunas & vitam libenter profunderent. *Novum bellum.*

A. C. 573. Chereberto Rege absque liberis mortuo, nova rurſum ratione partiendorum Regnorum diſceptatio, Sigeberto auxilia noſtrorum depoſcente; Longobardis ea occaſione uſis, & Rhætiam ſibi vendicare allaborantibus, haud ſine periculo urbis noſtræ, quæ pridem, ut diximus Rhætiæ accenſa fuit, propugnaculum ejusdem præcipuum olim habita. *Chereberti mors.*

A. C. 574. Exardeſcit bellum fraternum, non ſine multo ſanguine etiam noſtrorum, nec ſine maximis expenſis, Chilperico inſolentiſſimæ ambitionis Principe, etſi diverſa matre edito, omnia ad ſe unum rapiente. *Reſumptæ arma.*

A. C. 575. Attoniti ſimul & attenti in rem ſuam Conſtantienſes flammas in proximo ſpectant, non Rhætiam ſolum tentantibus Longobardis, ſed Helvetiam inſuper graviter prementibus, Urbe noſtra & ſitu ſuo, & robore civis ac generoſitate, hoſtes quo minus aliquid attentarent, avertente. *Conſtantia ſecura.*

A. C. 576. Miſſus contra Evinum Tridenti Ducem à Sigeberto exercitus, vincitur & fugatur, magna totius provinciæ noſtræ conſternatione, quæ facile incurſui hoſtium patebat, ſola Conſtantia ſibi conſtante, in quam opes ſuas vicini ſubduxerant. *Caſi noſtri.*

A. C. 577. Helvetiam denuo tentant Longobardi, flammis undique omnia exardeſcunt. Miſſus contra eosdem Amatus Dux penè internecione deletur. *Helvetia bellò ardet.*

A. C. 578. Sigebertus pertæſus inſolentiæ & crudelitatis Longobardorum inſigni comparato exercitu, ſummas in anguſtias eosdem redigit, & pacem petere cogit & vectigal annuum promittere. Pari felicitate Childebertum & patrem ejus Chilpericum Regno ciicit. *Longobardi pacem petunt.*

A. C. 579. Incredibili Conſtantiæ & totius provinciæ luctu, immani Fredegundis Reginæ ſcelere Rex noſter Sigebertus in medio curſu Victoriæ *Sigebertus Occidit.*

Digitized by Google

immiſſis duobus ſicariis interimitur. Childebertus ejus filius neci eripitur.

Rex Childebertus. A. C. 580. Hæres unicus ampliſſimorum Regnorum Childebertus, Metis ſolemniter Rex Franciæ, Germaniæ, Burgundiæ & Thuringiæ coronatur.

A. C. 581. Fruſtra Germaniam armis & promiſſis tentat Chilpericus Germanis nihil fide viro dignius cenſentibus.

Conſtantia conſtans. A. C. 583. Sabellianiſſimus tota paſſim Germania & Gallia invaleſcit, Conſtantia noſtra & ampliſſima provincia, nil ſimile paſſa, Epiſcoporum ſuorum vigilantia & cura in fide conſtans perſeverat. Poſt B. Maximum, incertum quo anno, ſub hæc tamen tempora Rudilo ſive Rudolphus Pontificatum gerit.

A. C. 584. Mauritius Imperator Childebertum Regem noſtrum in ſocietatem & fœdera pellicit contra Longobardos.

Chilpericus occiſus. A. C. 586. Magno nunc hoſte liberatur Rex noſter, cognato nimirum Chilperico Fredegundis propriæ conjugis ſcelere interempto, cujus tamen indignam mortem acerbiſſimo fert animo, vere piuin ſeſe & miſericordem etiam in hoſtes comprobans.

Seckinga. A. C. 588. Floruiſſe vel maximè nunc in Monaſterio Seckingenſi, cùm viros egregia ſanctitate piè S. Fridolini æmulos & diſcipulos, tùm ſacratas cœloq; gratiſſimas, ſub illorum inſtitutione Moniales, certiſſimum eſt, etſi ante ætatem Caroli Magni & filiorum, nulla certa ſeries Abbatiſſarū habeatur.

Vrſinus Epiſc. A. C. 589. Conſtantiæ ſub hoc tempus poſt Rudilonem ſeu Rudolphum Epiſcopum, ſedet Urſinus, qui ſi ex Monaſterio urbis poſtulatus non fuit (quod eſt veroſimile inde extractum fuiſſe) Monachis tamen religiosè convixit, ſub cujus regimine res Chriſtiana cum in Helvetia, tum Alemannia maxima incrementa ſumpſit. Rex noſter Clodoſindem filiam Hiſpano jungit.

Bellum Longobardicum. A. C. 590. Magni rurſus cùm in urbe noſtra, tùm provincia univerſa militum delectus, Rege noſtro Childeberto tres omnino exercitus, unum contra Gerboldum Bojum, duos alios contra Longobardos conſcribente. illum paulo poſt victum Ducatu ejecit Theſſalone ſubſtituto, iſtis magna damna intulit, multasque urbes eripuit.

Agilulphus Rex. A. C. 592. Antharito Longobardorum Rege mortuo, Theodelinda vidua Agilulpho Taurinatum Duci nupta, Regnum ad maritum attulit. qui paulum felicior anteceſſore, multa quæ Rex noſter eripuerat recepit.

Idem convertitur. A. C. 593. Agilulphus opera Sanctiſſimæ conjugis Hæreſim ejurans, Sanctæ Eccleſiæ gremio jungitur, moxque ingenti urbis noſtræ & Regnorum omnium gratulatione, Regi noſtro fœdere & amicitia jungitur. bellum atrociſſimum pace & lætitia conſequente.

A. C. 596.

A. C. 596. Consulens hoc anno Germaniæ conversioni Magnus Gregorius, sed & Monastici Ordinis propagationi, insignem Monachorum coloniam eodem destinat. qui per Rhætiam & Rheni oras delati, Pontificis procul dubio, de discipulis S. Fridolini, & Evangelii successu solliciti, jussu ad nostros Constantiæ Monachos divertêre, & cum ipsis aliquamdiu mansere, donec in Alsatiam migrare juberentur.

A. C. 597. Childebertus Rex noster, insigni denuo ex urbe & provincia nostris conscripto exercitu, affectans Clotharii Junioris tutelam, glandi clade afficitur, suorum viginti millibus amissis.

A. C. 599. Inexplicabili Constantiæ nostræ omniumque Regnorum dolore Rex noster Childebertus, immanissimo nequissimæ Reginæ Fredegundis scelere, una cum conjuge sua Fœliba veneno tollitur, etsi mortem alii cum Sigeberto triennio pòst referant.

A. C. 609. Congratulatur Regi novo Theodoberto, filio Childeberti Juniori urbs nostra & tota provincia, etsi luctum super amisso ejusdem patre Principe lectissimo, nusquam deponeret, dignum plausu æstimans, filium saltem necem evasisse.

A. C. 601. Theodobertus mortem patris ulturus, dum contra Fredegundem movet, triumphatur, ope tamen fratris postea adjutus, impiam reddere cogit quæ eripuerat.

A. C. 602. Moritur non multo post scelestissima Fredegundes & magno metu nostras provincias liberat, nullam quietem ipsa superstite habituras. Etsi nonnulli vitam ejus protrahant.

A. C. 603. Superstes Brunechildes, à Germanis expulsa, ad Burgundionem fugiens nihil non ad eversionem Regis nostri molitur.

A. C. 605. Theodobertus Rex noster, necquidquam contra præoccupante Brunechilde, junctis cum fratre copiis acri bello Clotharium petit, eoque angustiarum redigit ut pacem petere cogeretur, vix duodecim urbibus ipsi relictis.

A. C. 606. Prosequitur Victorias Rex noster, etsi non sine magnis impensis urbis nostræ Regnorum suorum nemine tamen non ultraneo, si etiam ipse adesse cogeretur. Domat hoc anno cum fratre Vascones & multa magno Principe digna gerit.

Constantiæ post Ursinum Martianus, sive ut alii volunt Marianus, alii Martinus, Episcopalem Cathedram obtinet.

A. C. 607. S. Gallus una cum S. Columbano Abbate & Magistro suo Regem nostrum ex itinere delatus, dum commendatitias ad Agilulphum impetrare conatur, ab optimo Rege, ob sanctitatis famam retinetur. Jussus uterq; locum sibi deligere, ad Constantiensem Episcopatum progressi, apud Tucconium ad flumen Limagum, sedem figunt, Conversioni gentiliū intenti. *S. Galli adventus.*

A. C. 608.

Apoſtolico labore ſe commendat.

A. C. 608. Satagunt plurimum rei Chriſtianæ Sancti Columbanus, Gallus & diſcipuli, apud Tucconium, & ſacrilegia Gentilium Sacra argumentis convellunt. S. Gallus autem fervore Spiritus incenſus, flammas in Idolorum templum iniicit, idque funditus comburit & diruit, quo nimium exaſperati cætera ferociſſimi gentiles in capita Sanctorum conjurant, & Gallum interimere, Columbanum flagellis cæſum cum ſuis eiicere conſtituunt.

Pellitur cum ſocis.

quo comperto, cum fructum omnem deſperaret Columbanus, inde receſſit, ſuosq; una ſecum deducens ad lacum Acronium ſe recepit, & apud Arbonam ſubſtitit, donec locum habitationi congruum circumſpiceret. Per-

Arbona ſubſtituit.

benignè accepti & habiti à Willimaro Presbytero, & de loco prope Brigantium commodo edocti eodem enavigant, & prope prophanatam S. Aureliæ Eccleſiam ſedes figunt & domicilia condunt.

S. Galli prædicatio. Brigantii.

A. C. 609. Solemniore Gentilium feſto, occurrentibus illis ad præfatum fanum in quo ſimulachra tria DEorum inanium ære fuſa. & deaurata extabant, occaſione utendum ratus S. Columbanus, S. Gallo negotium commendat Gentilibus Chriſtianam fidem prædicandi; quod ipſe quamprimum efficaciſſimè præſtitit, multosque Chriſto lucratus, Idola comminuit & in lacum proiiciens demerſit; Columbano interea fanum expiante & DEO vero conſecrante, Sanctæque Aureliæ Reliquias altari inferente.

Brigantini converſi.

A. C. 610. Laborant plurimum in converſione Brigantinorum & vicinorum S. Columbanus ejusque diſcipuli, quiritantibus graviter ſuper injuria Inferis geniis, & comminantibus. Theodobertus Rex noſter, hoc & ſuperiore anno iterum Clotharium acriter bello urget. Poſt Martianum Conſtantiæ Epiſcopus fit Gaudentius.

Occupationes noſtrorum

A. C. 611. S. Columbanus tertium jam annum apud Brigantinos agens, de re Chriſtiana optime meretur, multa tamen ab Idolatris patitur. Gallus quantum ab negotiis & prædicatione Apoſtolicâ vacabat, piſcationi impendit, cæteri opere manuum, & horto maxime excolendo, ſeſe exercuêre.

Fratres Reges colliſi.

A. C. 612. Iterum tympana cùm in urbe noſtra, tum totâ Alemannia & Rhætia mota, & milites conſcripti. Rege noſtro cum fratre ſua Theodorico graviter colliſo; generoſe ſe habent noſtri & Alſatiam Theodorico eripiunt.

Sancti accuſantur.

Gentiles Brigantini, queruntur graviter de Columbano & ſociis, potenti apud Principes accuſationes, queruntur Gunzoni Duci, ſuper venatione & piſcatione turbata; proin comotior ille, Sanctos viros quantocius exulare cogit. inſultant abiturientibus Idololatræ, & vaccam quam habebant abducunt, repetentesq; eam Fratres duos crudeliter interficiunt. S. Gallus febri correptus, dum proſtratus à Columbano licentiam ſubſiſtendi petit, accipit quidem, ſed ſacris aris prohibetur ad obitum usque Columbani. Ita Columbanus

banus in Italiam, cum ſociis, Gallus æger conſcenſa navicula, cum Magnoaldo & Theodoro ſibi relictis Arbonam, diſceſsêre. *In exilium ejiciuntur.*

A. C. 613. Dat pœnas miſſorum in exilium Sanctorum Gunzo Dux Alemanniæ, Frideburgâ ejus filiâ Sigeberti Regis ſponſa à Cacodæmone arrepta, & peſſimè torta atque vexata, ſummo & parentis luctu & Regis Sponſi; interim S. Gallus eremum adit, locum condendo Cænobio deligit, ad Gunzonem inde evocatur & rogatur liberare filiam, ex qua Dæmonem ejicit, & magna Ducis munera Arbonam reverſus in pauperes elargitur. rurſum cum Sociis præfatis Eremo immigrat, unde Cacodæmones profligat. *Gunzo dat pœnas.* *Miraculum S. Galli.*

Pergunt hoſtiliter agere fratres Regis noſtri fortunâ paulatim nutante magna noſtrorum conſternatione. Belli initium alii hoc anno ponunt.

A. C. 614. Moritur Gaudentius Conſtantienſis Epiſcopus, honore quamprimum ad S. Gallum delato, ipſo etiam Duce perurgente, quem tamen ipſe conſtantiſſimè recuſavit, & ut Joannes potius diſcipulus Rhætia Curienſi oriundus eligeretur impetravit, quem æque refugientem perſuaſit, & tempore electionis inſignem ad clerum ac populum ſermonem habuit. *Gaudentii Epiſc. mors.* *B. Joannes Epiſc.*

A. C. 615. Magnâ Regnorum & urbis noſtræ conſternatione cæſo ſuperioris anni fine an hujus exordio Rege noſtro, nec multo poſt ejus liberis interemptis, ejusdem & noſter juratus hoſtis Theodoricus Regno potitur, à quo dum merito noſtri metuunt & cavent, ipſe opera Brunechildis è medio tollitur, hâc filium ejus ex concubinâ natum, Sigebertum ſcilicet Regnis obtrudente. *Theodoricus Rex. occ.*

A. C. 616. Sigebertus, dum collecto ex Regno noſtrisque provinciis exercitu, in Clotharium movet, à ſuis, tanquam ſpurius & Regno indignus deſeritur, capitur & à Clothario interfici jubetur, hoc magno omnium plauſu, Monarchiam absque æmulo occupante, & Brunichildem equis indomitis alligatam per avia & invia diſcerpente. *Sigebertus Rex. occ.*

A. C. 617. Gratioſiſſimum urbi noſtræ nomen Clotharii, & optatiſſima ſemper præſentia fuit, qui quanto major erat tanto majore humanitate, eminuit omnium animos ſibi concilians, cujus etiam temporibus Religio plurimum efflоruit. Diœceſim mirificè illuſtrat ſanctitatis radiis S. Trudpertus frater S. Ruperti. *Clotharius Rex.*

A. C. 619. Nunc primum è medio ſuſtuliſſe omnem Theodorici poſteritatem, uti prædixerat impio S. Columbanus, nonnulli volunt, alii etiam ulterius protrahunt; certè ſomnium eſt relictum Sigebertum, de cujus poſteritate ita multi narrant nimium diſſona tanti Cœlitis & Prophetæ prædictioni. *S. Columbani prophetia.*

A. C. 620. Conſtantienſem Diœceſim admirandâ vitæ ſanctitate & magnis Virtutibus ac prodigiis illuſtrat S. Gallus & Socii. Warinus ſive

Warinharius Major Domus Regiæ, ſuſpectus de potentia an fide, exauctoratus nunc reſtituitur. Alemanni ſoli, urbi iterum noſtræ merito ſuſpecti, dum Clothario manus dare renuunt, opera Pipini Ducis ſeſe ſponte optimo Regi ſubmittunt.

Alemanni conciliati.

B. Ioannes bene meritus.

A. C. 621. Beatus Joannes S. Galli diſcipulus, Conſtantienſis Epiſcopus urbem noſtram ſplendoribus ſanctitatis, & maximis meritis ornat, & ad S. Magiſtrum, pro conſilio recurrens, Religioni Chriſtianæ per totum Epiſcopatum mirificè conſulit.

Delectus militum.

A. C. 622. Summa provinciæ noſtræ in pace & tranquillitate, tympana repente juſſu Clotharii Regis noſtri pulſantur, fitque delectus militum Saxonibus Thuringiam invadentibus, & nobiliores urbes expugnantibus.

S. Gallus Helvetiæ Apoſt.

A. C. 623. Helvetiæ converſioni plurimum intentus S. Gallus, non ſolitarium ſolummodo agit, ſed ampliſſimæ gentis Apoſtolum, filii inprimis ac diſcipuli in Chriſto chariſſimi opera uſus, Joannis Epiſcopi, qui & ipſe merito Apoſtoli nomine celebrandus eſt, æternum Conſtantiæ noſtræ, & Rhætiæ patriæ ſuæ ornamentum.

Mors ejusdem incerta.

A. C. 624. Mortem Divi Galli huic anno, ut & alia quæ retulimus alieno potius calculo, quam noſtro damus, cum certum dare nequeamus, etſi certiſſimum ſit diutius ſupervixiſſe, argumentis ex ipſa vita ſumptis Frideburgæ Sigeberti ſponſæ à Cacodæmone liberatæ, cum ex Fredegario ſynchrono & oculato teſte conſtet, Dagobertum Sigeberti præfati patrem ſequenti primum anno 625. Gomatrudem primam conjugem duxiſſe, adeoque Sigebertum hoc anno necdum natum eſſe. Refert nihilominus hoc anno mortem tanti Apoſtoli Breviarium Monaſticum, quam penitus tacet B. Hermannus Contractus, ſuperiore ſolummodo anno tanti viri faciens mentionem. Eum ſupremum decumbere cum intelligeret B. Joannes Epiſcopus noſter, conſcenſa extemplo navi, cum Arbonam evectus, planctum lugubrem procul exaudiret, moræ omnis impatiens, navi exilit, & ſuper aquas ambulans ad littus & ædes Presbyteri, in quibus decumbebat, occurrit. Verùm jam extinctum & in ſarcophago poſitum reperiens, deoſculatus, & pro ipſo Sacris operatus, dum Arbonæ ſepeliri nullo modo velle prodigio conſtaret, indomitos currui equos adjungi jubens, his nemine dirigente ad cellam viri ſancti properantibus ſacrum funus comitatus, ibidem cum multis lachrymis ſepelivit.

Predegarii authoritas.

Ioannes Epiſcopus.

Super aquas ambulat.

S. Magnus & ſocii.

A. C. 625. Sancti Magnoaldus ſive Magnus, & Theodorus, cum ſociis & diſcipulis, ad Sacrum corpus Sanctiſſimi Patris ſui Galli, in Cœnobiolo ab eodem condito, magno concurſu populorum frequentantur, invaleſcente paſſim fama miraculorum S. Galli, cujus prodigioſa ope plurimi convaleſcunt.

A. C. 626.

Digitized by Google

A. C. 626. Magna urbis noſtræ totiusque provinciæ gratulatione Dagobertus juvenis Clotharii filius, juſſu patris, ſolemniter Metis Rex Germaniæ & Auſtraſiæ ſalutatur & coronatur. Ipſo anno idem Rex noſter novus à patre contra Saxones Thuringiam denuo invadentes miſſus, ſupremum vitæ diſcrimen adiit, & graviter vulneratus & cum exercitu cæſus, ægrè in tutum ſe recepit. *Dagobertus Rex creatur.*

A. C. 627. Conſcriptæ tota Germania & apud nos copiæ, attonitos omnes reddunt, parante ultionem cladis acceptæ à filio, Rege Clothario, qui in Saxones movens grandi eosdem ſtrage conficit Regemque eorum Bertholdum interficit. *Bellum Saxonicum.*

A. C. 628. Novo creato Rege Saxones dum arma reſumunt, à Clothario nova affecti clade, graviter obteruntur, qui Tyrannum profugum in Italiam usque perſequitur, reverſusque Thuringiam plenè ſubjugat, receptis urbibus quas hoſtis occupaverat, ipſe non multo poſt, magna Regnorum & urbis præcipuè noſtræ comploratione, mortuus. *Saxones profligati.* *Moritur Clotharius.*

A. C. 629. Dagobertus plenè rerum potitus, non tam generoſum ſe hoſtibus probavit, quam amantiſſimum ſubditorum parentem & Religioſiſſimum juxta Principem. Is Conſtantiam plurimum dilexit, frequens incoluit, multisque ac magnis gratiis honoravit; cujus tanto poſt nomen, merito venerabile Conſtantienſibus, & inter Patriæ Patres recenſendum ſit. *Dagobertus ſuccedit.*

A. C. 630. Ingens Conſtantiæ ſub hoc tempus oritur ſydus, S. Audomarus, Anilpho ſive Anulpho patre, matre Domitta, illuſtribus in ſæculo, prope urbem noſtram, in valle quæ Aurea dicitur, haud longè ſupra Münſterlingam genitus, & ab optimis parentibus religioſè educatus, Religionis Monaſticæ ſtudio à puero accenſus, qui magnis deinceps virtutibus emicuit, donec Pontificatus infulas, & Apoſtolatus, uti ſuo tempore dicemus, glorioſiſſimum titulum mereretur. *S. Audomarus Conſtantienſis.*

Sub idem tempus Victor Rhætiæ Comes, cum jam nequiter Diſertinenſis Cænobii bona invaſiſſet, intelligens ad S. Galli à peregrinis voti cauſa eo occurrentibus, magnos theſauros offerri, eo quoque animum & libidinem intendit, locumque invadere repente conatus, equo cadens, coxendicem luxavit, an fregit, certè abſtinere coactus ægre à ſuis domum eſt deportatus, cum cœleſtia de nocte luminaria ad tumulum S. Galli de nocte quaſi advigilare viderentur. *Victor Comes Sacrilegus.*

A. C. 631. Idem ſanctiſſimi effuſi ſanguinis reus S. Placido apud Diſertinam occiſo, dum Sacrilegus eſſe pergit, & ſacra per vim retinet, digna tantis ſceleribus morte tollitur, ponte repente rupto, fractis cervicibus, in inferos non minus, quam Rhenum præceps, Numine injurias SS. Sigisberti & Galli, nec non Placidi Martyris ulciſcente. *Plectitur.*

Scriptorum diverſitas. A. C. 632. Nunc primùm nonnulli Clotharium mortuum, ſucceſſiſſe Dagobertum contendunt, de quo certi quid definire non licet; uti & de ætate S. Galli ſupra monuimus. Naſcitur ſub hoc tempus Maximus iterum urbis noſtræ Patronus, S. Bertinus, vir Apoſtolicus Nobilibus Conſtantiæ parentibus, Superioris Inferiorisque Germaniæ perenne Decus, de quo ſuo loco dicemus.

S. Bertinus natus.

Dagobertus Epiſcopatus limites deſignat. A. C. 633. Meretur de urbe noſtra & Epiſcopatu immortaliter Rex noſter Dagobertus, in Eccleſias Chriſti omnes & Monaſteria munificentiſſimus, qui nunc terminos Diœceſeos ampliſſimos ſolemniter definit. è cujus allegato à Friderico Barbaroſſa Imp. Inſtrumento liquet, etiam ultra hos annos S. Galli ætatem extrahendam, dum non ſub B. Joanne ſed ſub Marciano ejus Anteceſſore Dagobertus limites Epiſcopatus conſtituiſſe memoratur, Gallo autem certiſſimum ſit Infulas Conſtantiæ Pontificales poſt mortem Marciani & Gaudentii oblatas, ejus autem conſilio Joanni impoſitas. Quod meritò monendum duximus, ne errores tantos non obſervaſſe videamur, cum poſt Marcianum, Gaudentius inde primum Joannes, præfuerint.

Error Chronologicus.

SS. Mummolinus & Bertramus. A. C. 634. Incertum quo anno, ſub hoc ipſum tamen tempus feliciſſima urbs noſtra & Diœceſis Conſtantienſis, aliorum rurſus cœlitum Genitrix, & maximorum quidem deinceps Virorum nutrix eſſe meruit, Sanctorum nimirum Mummolini & Bertrami, qui & ipſi in prædictâ prope Conſtantiam *Valle* vere *Aureâ* nati, auro omni potiores theſauros, variis poſtea provinciis, ſanctioris vitæ exemplo, & Apoſtolicis meritis intulêre.

Sigebertus Rex natus. A. C. 635. Summo urbis noſtræ omniumque Regnorum gaudio Dagoberto Regi noſtro filius Sigebertus naſcitur, quem dum Sacris undis expiaret S. Amandus Epiſcopus, nec adeſſet qui reſponderet, diſertus miraculo infans, *Amen* ſonora voce & diſtincte reſpondit, inſigni Divinæ gratiæ, quæ in puero ſe prodidit argumento.

SS. Magnus & Theodorus. A. C. 636. Augetur variis donis & bonis S. Galli Cœnobium, SS. Magno, & Theodoro rem Chriſtianam longè lateque propagantibus, etſi ex Ethnicis non deeſſent, qui ipſos everſos cuperent, & conarentur niſi metus Religioſiſſimi Regis prohiberet.

Dagoberti commoratio. A. C. 637. Dagobertus ut plurimum Rheni littore delectatus, Argentinæ, Baſileæ, Conſtantiæ, ſi quod â bello otium eſſet, commorari conſuevit, magno urbium noſtrarum emolumento, utpote & quæ ornatiores cæteris evaderent, & honoratiores.

Sigeberto cedit Conſtantia. A. C. 638. Magnus Conſtantiæ plauſus, civium & parenti & filio gratulantium, dum hoc anno Dagobertus Sigebertum vix annos quatuor natum, Auſtraſiæ creatum & coronatum Regem, & Alemannia & Rhætia adeoque urbe noſtra donaret.

A. C. 639.

A. C. 639. Magnus delectus apud nos militum habitus, magno Alemannicæ Nobilitatis concursu, jussu Regis nostri, qui ex Alemannis Francisque insignem colligens exercitum, in Hispanias usque Sisebuto Regi subsidio misit, nostris ultro operam suam offerentibus. *Auxilia missa.*

A. C. 640. Diœceseos nostræ æterna gloria S. Trudpertus, Magni illius Bojorum Apostoli Ruperti frater germanus, ætate minor, non minor egregia vitæ sanctitate, solitudinem eo loco in finibus Herciniæ & Brisiacæ incolit, ubi hodie ejusdem sub nomine & patrocinio, visitur vetustissimum SS. Petri & Pauli Monasterium, ante mille annos ab Habspurgi Comitibus Brisiacæ Landgraviis fundatum. Eum Ducali habitu pictores antiquâ suâ repræsentant licentiâ, Regium illius genus denotantes, qui Monasticis Divi Benedicti institutis, non minus quam frater, & soror Erentruda enituit, eisdemque diutius convixit, longamque in convictu eorumdem peregrinationem suscepit, & memorato demum loco, vitam asperam & solitariam vixit; inter præcipuos Episcopatus Tutelares merito accensus. *Claret S. Trudpertus.* *Erentruda soror.*

A. C. 641. Meretur immortaliter de urbe, Episcopatu & Episcopo nostro B. Joanne Rex Dagobertus, Regia planè liberalitate, amplissima donatione Episcopatum mirificè extollendo & ditando, uti constat ex Diplomate Friderici I. Imp. cognomento Barbarossæ, qui & de suo deinceps, ut suo loco videbimus, multa addidit, & secundi Fundatoris nomen meruit. *Dagoberti merita.*

A. C. 642. Felicissima Constantia urbs nostra, illustri omnino sanctitatis Gymnasio, Monachis Benedictinis, non tam litteras, quam perfectioris juxta vitæ studia profitentibus & feliciter promoventibus, apud quos & litteris & sanctitate, aliosinter, nobilissimus & celeberrimus Sanctissimorum puerorum Constantiensium quaternio Sancti Audomarus, Bertinus, Mummolinus & Bertramus, sese miro profectu commendant, magno solatio Beati Joannis Episcopi nostri, cui procul dubio, ab Illustribus parentibus erant commendati; magistrorum autem exemplo accensi, jam tum Monasticæ professionis desiderio flagrabant. *Quatuor SS. studiosi Constantiæ.*

A. C. 643. Etsi supra ex dictatis Breviarii & Sangallensium dictatis Divi Galli mortem ad annum 24. retulerimus, & ulterius quoque differendam ob ætatem minorennem Sigeberti, Gunzonis Ducis generi, differre cuperemus, quia tamen certi ulterioris anni Authorem non habemus, memorandum denuo Ejusdem Sancti Abbatis felicissimum obitum, ex sententia viri litteratissimi Francisci Guillimanni censemus, qui hoc anno defunctum asseverat. Quo ipso, an proximè præterito idem Rex Juvenis, quanto majore parentis optimi luctu in venatione ab apro percussus miserè periit, animamque exhalavit, tanto majore ejusdem & urbis nostræ atque Regno- *Guillemanni sententia.* *Sigebertus Rex resuscitatus.*

rum plausu à S. Arbogasto nostro prodigiosissimè ad vitam revocatus fuit.

Martyrium S. Trudperti.

A. C. 644. Concludit longos & arduos labores & certamina gloriosissimo fine S. Trudpertus noster, Magni Ruperti primi Salisburgensium Pontificis germanus frater, illustri Martyrii corona coronatus, cujus sanctissimum funus Ottpertus Habspurgi Comes, magna Religione curavit, & benedicti in posteris usque hodie meruit, plurimis deinceps ejusdem generis Principibus, juxta tumulum tanti Patroni sepeliri eligentibus & cum ipso olim in gloria resurgere sperantibus.

Moritur Dagobertus.

Tristissimus urbi nostræ & Joanni Episcopo, sed & Regnis omnibus hic annus, Magni omnino Regis nostri Dagoberti obitu, qui ventris profluvio, in Spinogelo villa prope Sequanam fluvium correptus, cum Regna in filios partitus esset, religiosissimè diem extremum clausit. XIV. Cal. Febr.

Periculum urbis nostræ.

A. C. 645. Etsi & situ & viris munita Constantia nostra, haud tantum quantum totæ provinciæ trepidarent, non absque sollicitudine tamen & magnâ cautelâ esse potuit, juvene suo Rege, quamvis sanctissimè educato, rebus tamen gerendis per ætatem impare, Domus Regiæ Majoribus ad se omnia trahentibus, ejusque & fratris septuennis Clodovæi ætate abutentibus, lites mutuo intendentibus, ambitioneque & æmulatione inter se graviter collisis, quibus ex causis Regna haud minimum fastidii & detrimenti passa sunt.

S. Magnus.

A. C. 646. Maximis sese meritis commendant, in vicina Constantiæ Turgovia SS Magnus, Theodorus & Socii, quorum opera plurimi à bestiali mente ad saniora concilia & fidem Christi conversi sunt; sed & plurimi Monasticis sese institutis submiserunt.

Nunc alii Dagobertum obiisse volunt.

A. C. 647. Nunc primùm nonnulli mortuum Dagobertum volunt, tanta inter scriptores differentia est, ut nemo sese satis extricare possit, uti supra in ætate S.P. Benedicti, & Divi Galli meminimus.

Sigebertus Rex liberalis.

A. C. 648. Urbis nostræ & Regnorum sibi creditorum solatium singulare Sanctus Rex noster Sigebertus, egregia vitæ sanctitate animos omnium percellit, & nullam Ecclesiam & Monasterium indotatum relinquit, de nostro Constantiensi Monasterio, & Cathedrali Ecclesia plurimum meritus, & B. Joanni Episcopo pro egregiis meritis plurimum devotus.

S. Audomarus fit suo i.

A. C. 649. Sub hoc ferè tempus S. Audamarus scholis Constantiæ relictis, mortua matre, totus est in eo ut sese abstrahere à mundo & Numini consecrare possit, adeo fervore & verbo potens, ut etiam parentem optimum Friulphum pia æmulatione accenderet, ac denique una secum Monasticam vitam exambire & profiteri persuaderet.

A. C. 650.

Digitized by

A.C. 650. Idem juvenis ſanctus perſuaſo etiam patre, ut omnia venderet & pauperibus erogaret, perfectionis majoris eſſe ratus, ſi & patriam deſereret, fortè etiam, quod neque Conſtantiæ in Monaſterio, neque ad Divi Galli locus ſupereſſet, & quod inſuper ob egregiam generis Nobilitatem reſpici & reputari metueret, fama præterea illectus famoſiſſimi in Burgundia Cænobii & à S. Columbano conditi Luxovienſis, eodem cum patre emigrat, magna promptitudine ſuſceptus, illic quamprimum maximæ perfectionis ſpecimina edidit. *Luxovium venit.*

Memorabile ad omnem æternitatem exemplum Sanctiſſimi Regis noſtri cum ſub hoc ipſum tempus, promiſſam ſibi adhuc puero ſponſam, & nunc transmiſſam (quidquid de ætate S. Galli ſit) Gunzonis Ducis filiam Fridebergam, Chriſto quam terreno Regi jungi præoptantem, allatis veſtibus Regiis & diademate ornatam, hiſce verbis Numini ceſſit: *Ecce*, inquit, *meis Te nuptiis præparatam, ſponſi cæleſtis Domini noſtri videlicet IESU Chriſti cedo complexibus.* ipſiusque manum aræ imponens, plorans diſceſſit. *Memorabile exemplum.*

A.C. 651. Exemplum condiſcipuli & ſocii Audomari ſequutus Bertinus & ipſe mundum deſerit, cujus paulo poſt imitatione & Mummolinus & Bertramnus accenſi, idem propoſitum arripuerunt, & ad Audomarum ſe contulerunt, ab ipſo deinceps, cum Epiſcopus factus eſſet, ad diverſa loca promoti. *S. Bertinus.*

Rex noſter Sigebertus urgentibus Regni negotiis Imnechildem uxorem ducit, ac dein ſanctiſſimè imperat.

A.C. 652. Poſt maximos & diuturnos Apoſtolici meriti labores ad æterna beatitatis ſolidæ præmia corpore ſolutus evolat Beatus Joannes Conſtantienſis Epiſcopus, S. Galli olim diſcipulus, dignior ſeipſo ab illo habitus, qui Pontificalibus infulis inſigniretur. quem in Epiſcopatu ſequutus eſt Obihardus, cognomento Boſſo. *Obiit B. Joannes Epiſc.*

A.C. 653. Sigebertus Rex noſter omnibus Regni curis, potiorem habens converſionem Gentium, cum hujus nemo inhiantius ſatageret quam Monachi, præcipuè qui eâ ipſe de cauſa è Scotia & Hybernia in Gallias ſeſe effuderant, eorum plurimos in ſuas provincias, & Conſtantiam inprimis noſtram advocat, quibus extra urbem, haud longè ab Rhemi littore alterum conſtruxit Cænobium, loco, qui usque hodie ad Scotos appellatur, ita ut duo jam egregia Benedictini Oridinis Cænobia, tunc temporis urbs noſtra, magno cum Religionis incremento haberet. *Scotorum Conſtantia Monaſt.*

A.C. 654. Martinus ſub hoc tempus poſt Gunzonem Ducem Alemanniæ pro Rege imperat, Agilolfingus & ipſe, Pipini Domus Regiæ Majoris conſanguineus, vero ſimile tamen in Conſtantienſes nil auſum eſſe, ſed Amicum liberrimæ urbis extitiſſe, quæ ultro & ſponte conceſſerit in Regum poteſtatem, ab iisdem honorata potius, quam preſſa, ita Præfectos urbis ipſa legeret, *Martinus Dux.*

legeret, comperta ſemper integræ erga Reges fidei, & ab his peculiariter adamata.

Major Augia. A. C. 655. Incertum quamdiu Major Augienſi prope Brigantium Cænobio, & ab hoc vicinis Brigantinis & Rhætiæ populis Sanctorum Columbani & Galli diſcipuli, ſanctitatis exemplo illuxerint; ſub hoc tamen tempus ſolatio fidelium aliquot manſiſſe dubitari non debet, etſi perſecutionis metu, ſubinde ſeſe Chriſti conſilio ſubduxerint, certum ſiquidem eſt. Idolatriam hoc etiamnum tempore altius illic radices fixiſſe, donec ab iisdem ſanctis viris radicitus tandem convelleretur.

Childebertus adoptatus. A. C. 659. Sigebertus Rex noſter ſanctiſſimus dum de indipiſcenda poſteritate deſperat Grimoaldi Majoris Domus Regiæ filium Childebertum adoptat, quæ res multas poſtea controverſias concitavit.

Dagobertus natus. A. C. 660. Incredibili Regnorum, atque inprimis urbis noſtræ, Sigeberto commendatiſſimæ & optimè affectæ, gratulatione, præter ſpem filius eidem naſcitur Dagobertus ex Imnechilde Regina, quæ tamen res Grimoaldum peſſime habuit, qui nimirum Regnum jam ſpe devoraſſet.

Plures Regis noſtri liberi. A. C. 661. Etſi Regem noſtrum alii & alii maturius extinctum contendant, quos alibi ſequuti ſuimus, alii tamen, nec imprudenter diutius ſupervixiſſe ſcribunt, imo & hoc iterum, & aliis deinceps annis liberos genuiſſe. diſſimulante ambitionem Grimoaldo, & nemine de adeo charo Regi noſtro Principe, tantum quod conceperat ſcelus ſuſpicante.

Error Hiſtoricus. A. C. 662. Præmaturè nimis Tozzonem S. Magni noſtri diſcipulum, hoc anno, defuncto S. Victerpo in ſede Epiſcopali Auguſtana ſubrogatum contendunt nonnulli, uti alii minimum ſupra viginti annos differunt quæ omnia proveniunt ab incerta admodum ætate S. Galli.

Sigebertus Rex obiit. A. C. 663. Conſtantiæ noſtræ firmitas, & decus perenne B. Sigebertus noſter incredibili Regnorum luctu, terris eripitur, cœlis ſummo cœlitum plauſu inſeritur. invadente mox Regnum Grimoaldo, & filium, pulſo in exilium Dagoberto legitimo hærede, Childebertum obtrudente.

Bellum. A. C. 664. Erconwaldus contra Grimoaldum & filium ejus Tyrannum miſſus, gravi eos clade atterit Conſtantia noſtra attonita rei exitum ſpectante, & cui demum & ipſa & cæteræ provinciæ ceſſuræ eſſent anxiè conſiderante. Moritur in exilio Rex noſter legitimus Dagobertus, urbe noſtra minus quam alii, luctu diſſimulante, quod minus quoque ſibi metueret. Ipſo anno perturbatis hoc bello noſtræ provinciæ rebus Othwinus Præfectus Alemanniæ, vel quod idola etiamnum coleret Chriſtianis infenſus, vel quod avaritia ductus, rebus S. Gallo oblatis inhiaret, Monaſterium ejusdem ſacrilegè diripit, Sanctum Magnum, Theodorum & ſocios penè ad mortem cædit, & pro mortuis relictis illis inde ſe recipit; ulciſcente quamprimum injurias Sanctis illatas Numine, verſis in amentiam raptoribus, & mutuo ſeſe ferro concidentibus.

Obiit Dagobertus exul.

S. Galli everſio.

A. C. 665.

A. C. 665. Reſtaurat locum Buſſo Conſtantienſis Epiſcopus & diſſipatas S. Galli ſacri corporis Reliquias honoratiore loco collocat, qui & ſuperiore anno ſtatim patrato facinore occurrit, & S. Magnum & ſocios ſemianimes confovit, & veſtibus ſpoliatos de novo veſtiit, inſigniter de loco illo meritus. *Buſſo Epiſc. reſtaurat. S. Galli.*

A. C. 666. Sancti Magnus & Theodorus ad ſublimiora vocati cum ſupra quadraginta annos ad tumulum S. Galli ſedulo excubaſſent, ad converſionem Gentium ulterius deſtinati, revelante Numine, haud minimum contriſtato Buſſone Epiſcopo noſtro, Duce Presbytero quodam Tozzone in Algoviam ſecedunt, & prope Campidonum gradum ſiſtunt, urbe illâ metu Draconis cujusdam & venenatorum animalium penitus à civibus deſerta; quam S. Magnus tanta peſte prodigiosè liberat, Tozzone ipſius deinceps diſciplinæ ſeſe ſubdente. Cæterum dubium eſſe nemini debet, manſiſſe ad tumulum S. Galli alios diſcipulos, & ad tantum Sacri corporis theſaurum advigilaſſe, etſi eorum dem nomina & ſucceſſio non teneatur. S. Audomarus noſter Bononienſis Epiſc. creatur. *S. Magnus deſtinatur gentibus Apoſtolus.* *Miracula.*

A. C. 667. Relicto Campidoni Theodoro cum ſocio cæco quodam à ſe aliquando illuminato S. Magnus cum diſcipulo B. Tozzone ad fauces Julias locum ſibi à Numine deſignatum contendit, incidens ex itinere in S. Victerpum Auguſtanum Epiſcopum, à quo licentiam eo commigrandi accepit; & interfecto prius horribili Dracone, ibidem ſedem fixit & habitacula pro ſe & diſcipulis conſtruxit. *S. Theodorus.*

Naſcitur ſub hoc tempus S. Pirminius vir Apoſtolicus, plurimum deinceps, ut ſuoloco dicemus de Epiſcoparu Conſtantienſi meritus. *Natus S. Pirminius.*

A. C. 668. Plurimum meretur de Algovia ſive Alemangavia ſuperiore ac montana S. Theodorus noſter, & de Campidono inprimis urbe vetuſtiſſima, quam ſupra diximus inhabitabilem à ſerpentibus redditam, convocatis & collectis eodem civibus, quos in Chriſtiana fide feliciſſimè inſtituens, Apoſtolus eorumdem audire meruit. *Campidonum reſtituitur.*

A. C. 669. Inſigne Conſtantiæ noſtræ ornamentum S. Mommolenus ex Abbate creatus Noviomenſis Epiſcopus, admirabili vitæ ſanctitate Gallias illuſtrat, & magnis meritis demeretur. *S. Mommolenus fit Epiſc.*

A. C. 670. Apud fauces Julias mira efficit S. Magnus noſter Divi Galli diſcipulus, & circumpoſitos Lycatios ad Chriſtum adducit, magnis prodigiis à Numine illuſtratus. *Lycatii converſi.*

A. C. 671. Periclitantur graviter res noſtræ Regibus noſtris ſolo nomine Reges agentibus, Præfectis Palatii rerum potientibus, Hunnis in Rhætiam usque excurrentibus, urbe noſtra hoſtis conatus eludente facillimè, vicinis autem Amicis plurimum condolente. Ipſo anno Childericus Rex noſter à Babilone quodam occiditur. *Childericus occiſus.*

Clodovæus obtruſus. A. C. 672. Concutiuntur magnis motibus Regna omnia Ebraino impio Apoſtata Theodoricũ Regem noſtrum, qui Childerico ſucceſſerat violenter eiiciente & Clodovæum aliquem, tanquã Clothario III. natum intrudente.

S. Magnus fit Presbyter. A. C. 673. Conſtructam in honorem Cœlitum Reginæ Campidoni Eccleſiam conſecrat S. Victerpus Auguſtanus Epiſcopus, & S. Magnum, ipſo anno Presbyterum ordinat, etſi tergiverſantem, ſuper cujus caput coronam ſplendidiſſimam cœlo deſcendentem intuitus fuerat. Non ſine plauſu Conſtantienſium Hunni egregiè contuſi à Rhætis præcipites reverſi, minatum tamen pleni in patriam ſe recipiunt.

Ebroinus Tyrannus. A. C. 674. Turbat etiamnum Regna & crudeliter graſſatur in innocentes Ebroinus, Conſtantiæ tamen nihil tentaſſe legitur, etſi optimos quosq; cives, vicinarum provinciarum oppreſſio & pericula non leviter afficerent.

S. Theodorus. A. C. 675. Multa patitur à Gentilibus S. Theodorus Algoviæ Apoſtolus, inſuperabili mentis conſtantiâ, qui Diœceſim noſtram magnis laboribus demeretur; Is ſubindè ad S. Magnum collegam olim ſuum inviſens, inſigniter adverſum adverſa obarmatus & obfirmatus, ad converſionem Gentium generoſior & promptior rediit.

Gangolphus Epiſc. A. C. 676. Gangolphus poſt Buſonem Conſtantienſi impoſitus Cathedræ utilem quoq; Epiſcopum egit, etſi e jusdem acta diſtinctius deſcripta non habeantur. Magno Regnorum gaudio Ebroinus Sanctiſſimorum virorum juratus hoſtis, Regum oppreſſor, meritas impietatis dat pœnas, miſerè interemptus, & ad inferos detruſus.

S. Bertinus claret. A. C. 677. Admirandâ vitæ ſanctitate Inferiorem illuſtrat Germaniam concivis noſter S. Bertinus Conſtantienſis, Sanctorum Mommoleni & Bertrami olim collega lectiſſimus Abbas Sithivenſis celeberrimi Cænobii, quod ab ipſo hodie S. Bertini cognominatur. quem Deus & vivum & mortuum magnis prodigiis honoravit.

Hiſtoria confuſio. A. C. 678. Magna Hiſtoricorum confuſio, aliis Regum ætatem abrumpentibus, aliis producentibus, Gallis & Germanis eorumdem ſibi communium Principum ætatem diverſimodè admodum tradentibus, quod nos pridem advertentes dum Galliæ res tractaremus Galliæ ſcriptores, dum Germaniæ noſtros ſequi conſultum duximus, ne non omnes legiſſe, & in ſua cuivis hiſtoria contradixiſſe videremur. Ita nunc Ebroini, ita Childerici ab hoc pro Theodorico obtruſi geſta nequiter, nunc primum referunt, alli pridem extinctos volunt.

Obſervandum.

Periculum provinciarum. A. C. 679. Majorum domus ingens concertatio, qua omnes circum Conſtantiam etiam noſtram provinciæ variè vexatæ ſunt, urbe n. ſtrâ, hæc ſecurè quidem contuente, & in omnem eventum vigilante, Amicis tamen plurimum condolente, quibus pro Aſylo amicè ſerviebat, & ſive profugos, homines, ſive creditos, pro metu hoſtium, theſauros cautè ſervabat.

A. C. 680.

A. C. 680. S. Magnus noſter incomparabili beneficio, poſtquam Chriſto omnes circa ſe poſitos accolas lucratus eſſet, paupertati eorundem condolens & conſulens, ferri fodinas prodigiosè reperit, & mirâ urſi operâ uſus in ferro primum retegendo & eruendo, provinciam æternum demeretur. *Ferrifodina à S. Magno reperta.*

A. C. 681. Incertum quamdiu Gangolphus Epiſcopus noſter Conſtantianſem ſedem tenuerit, ſub hoc tamen tempus extincto, ſive ad aliam ſedem translato Fidelis Conſtantiæ ſucceſſit. *Fidelis Epiſc.*

A. C. 682. Inſigni ſanctitatis famâ Conſtantienſium gloriam egregius eorumdem concivis promovet, maximis ſeſe meritis commendans S. Bertramus, S. Audomari collega, cujus acta intercidiſſe plurimum dolendum eſt. *S. Bertramus.*

A. C. 683. Ingentibus atque Apoſtolicis meritis S. Audomarus noſter Tervanenſem provinciam ab Idololatria ad Chriſtiana ſacra traducit, lucis, fanis & ſymulachris penitus everſis, inde Tervanenſium Apoſtolus appellatus. *S. Audomarus Apoſt. Tervan.*

A. C. 684. Alemanniæ noſtræ imperat Ducis titulo Atticus cognomento Adelricus Leudiſii Agilolfingi filius; quem tamen Juris aliquid in urbem noſtram habuiſſe non legimus, conſulentibus Conſtantiæ ſuæ Regibus & Majoribus domus, ne quid de antiqua ejus libertate decederet, dum ipſa quoque fida Regibus ſemper fuiſſet. *Atticus Dux.*

A. C. 685. Magnum omnino nomen S. Theodori noſtri ob magna merita & eximias virtutes, qui in propaganda fide per Almangoviam plurimum laborat, ejusdem cauſa, graviſſima adiens pericula multasq; injurias perpeſſus, inter Apoſtolos Diœceſeos noſtræ perpetuo cultu celebrandus. *S. Theodori Labores.*

A. C. 686. Sub Fidele Epiſcopo florentiſſima Religio Chriſtianæ Conſtantiæ, nec non rei litterariæ feliciſſimi ſucceſſus, Monachis utriusque Cœnobii juventutem, non tam litteris imbuentibus, quam inſigni pietate. *Littera promotæ.*

A. C. 687. S. Audomarus æterna Conſtantienſium apud exteros gloria, Deiparæ cultus promotor egregius, ipſe ejusdem cultor ſingularis, virginitatis cuſtos diligentiſſimus, cujus conſervandæ gratia, dum aliquando tentatione urgeretur, nudum ſe exemplo S. Patris ſui Benedicti in ſpinis volutaverat, ſenio jam affectior ſeu valetudine, utroq; oculorum orbatur lumine, gratulatus ſibi de duobus hoſtibus perditis gratiam maximam, gratiſſimo animo recolens, lætus unde alii vel maximè triſtarentur. Ipſo anno fulcrum Regnorum Pipinus, his multoties contra Tyrannos conſervatis, pro tantis meritis, à Rege armis impetitur; hic tamen ab illo profligatus & captus miro modeſtiæ exemplo Regno redditur, Pipino deinceps ſanctè & religiosè Regis ac Regni curam habente. *S. Audomarus fit cæcus.* *Pipinus victor.*

A. C. 689. Moritur S. Bertinus noſter civis Conſtantienſis, Abbas Sithivenſis, magnis deinceps à Numine miraculis honoratus. cujus tamen *Obiit S. Bertinus.*

Digitized by Google

mortem nonnulli ad annum usque Christi 696. differunt, de quo certi quid statuere minimè præsumimus. Moritur eodem anno Fidelis Constantiensis Episcopus, cujus acta non amplius habentur.

Moritur S. Magnus.

A. C. 690. Supremus hic quoque annus, ex præsuppositis, Magno Alemannorum sive Almangaviæ Apostolo Magnoaldo, re & nomine Magno fuit, qui inter pia solatia Sancti Collegæ sui Theodori Campidono occurrentis felicissimè decessit, Beato Tozzone Episcopo & discipulo eodem etiam veniente, utroq; cœlestem Musicam audiente, vocem ad cœlum evocantis:

Vox cœlestis.

Veni, Magne, veni, accipe coronam, quam Tibi Dominus præparavit. Ipsum Sancti Collegæ & discipuli, non sine multis lachrymis, non tam ex mœrore quam gaudio & amore fluentibus suo in Monasterio honorificè tumulârunt, maximis postea miraculis illustratum.

Vita scripsit.

A. C. 691. S. Theodorus Campidonum reversus, præter Apostolicos suos labores, jussu B. Tozzonis Episcopi vitam S. Magni collegæ sui, oculatus rerum testis scribere orditur, cum jam antea eadem compendio complexus, ad caput sacri funeris posuisset.

S. Momolenus claret.

A. C. 692. Etsi priore anno defunctum sanctissimum concivem nostrum Mommolenum sive Mombelinum nonnulli velint, alii tamen nunc vel maximè claruisse contendunt, & uti antea Abbas post Bertinum illustrasse vitæ exemplo Monasterium Sithivense, sic nunc Noviomensem Pontificatum meritis cumulasse asseverant.

Clodovæus Iun.

A. C. 693. Non magno luctu Constantiæ nostræ moritur Rex noster Theodoricus, succedente in Regnum filio Clodovæo, cunctis solum Pipinum respicientibus, urbe quoque nostra eidem plurimum devota, cujus laudes & discretio toto orbe celebris habebatur.

S. Audomarus illuminatus.

A. C. 694. S. Audomarus concivis noster, Bononiensis Episcopus contactu corporis S. Vedasti, præter spem omnem, & voluntatem, recepto oculorum usu, attonitus, inaudito ad eam diem exemplo Numen sedulo

Iterum cæcus.

orat, facultatem videndi sibi adimere, quod ita securius, solius contemplationi Numinis vacare posset, idque statim precibus impetrat.

Nunc moritur.

A. C. 695. Hunc alii, alii sequentem maximè annum eidem Magno Apostolo & Episcopo Audomaro vitæ temporalis supremum fuisse scribunt, quem Deus ulterius cœcutire volentem noluit, sed sua beatifica visione exin in æternum frui. qui sub mortem etsi debilis omnino, ad Ecclesiam tamen progressus, sacrisque munitus Mysteriis in cœlestis odoris fragrantiam sanctum animum Creatori transmisit, magnis ut in vita, sic à morte prodigiis, devotioni & necessitatibus fidelium commendatus, ad cujus Cænobium succrescens deinceps Oppidum ab ipso cognominatum, inter celeberrima hodie

Oppidum S. Au-

& munitissima Belgii loca numeratur. Cujus concivis sui Constantienses cultum, merito summa devotione æternum prosequuntur, ejusq; nomine gloriantur.

A. C. 696.

Digitized by Google

A. C. 696. Vitam mortalem deſerit Beatus Tozzo Auguſtenſis Eccleſiæ Pontifex, S. Magni feliciſſimus, ex Parocho Waldhofenſi diſcipulus, ejusdem etiam opera, etſi invitus admodum electus Epiſcopus, S. Galli cultor devotiſſimus, ad cujus ſepulchrum cum aliquando inviſeret, cereum manu præferens, hic de nocte cœleſti virtute incenſus, viro ſancto lumen prætulit, imbribus & ventis inoffenſum, cerâ præterea indeficiente. cujus mortem etſi alii aliter & aliter referant. certum tamen eſt, quinque annis & 3. menſibus poſt obitum S. Magni contigiſſe, adeoque vel hoc ſuperiore anno ipſum deceſſiſſe. *Moritur B. Tozzo Epiſc.*

A. C. 697. Moritur Rex noſter Clodovæus, ſuccedente fratre ejus Childeberto, Pipino tamen omnia Regni negotia curante, ita ut nemo non tanti Principis gratiam non exambiret. *Obiit Clodovæus.*

A. C. 698. Poſt Fidelem Theobaldus Conſtantienſis Epiſcopatus tenet Cathedram, de ſua Diœceſi & urbe ſua haud minimum meritus, cujus rationes, quomodocunque licuerat, promovere ſatagebat. *Theobaldus Epiſc.*

A. C. 699. Ultimus è nobili illo, Conſtantienſium olim juvenum, quaternione, Sanctus Mommolenus ſub hoc tempus vitâ defungitur, etſi alii maturius deceſſiſſe opinentur, cum prius ſacris munitus populo ſolemniter valedixiſſet, idem Noviomenſis & Tornacenſis Epiſcopus de Aula Regia, non minus quam populo meritus, Pauperum alias pater dictus immortali cum Conſtantiæ noſtræ gloria nominandus. *Moritur S. Mommolenus.*

A. C. 700. Godefridus, qui pro Attico cognato Duce, ſuperiori Alemanniæ aliquamdiu præerat, neſcio qua de cauſa, Pipino Majori domus Regiæ infenſus, dum arma parat, ab eodem exauctoratur, Arnoldo quodam in ejus loco ſubrogato. *Godefridus Dux exul.*

A. C. 701. Theobaldus Conſtantienſis Epiſcopus Romam profectus efficit apud Rom. Pontificem, ut Monaſterium Fridolinianum in urbe, Cathedrale fieret, & Monachi illius Cathedrales Canonici appellarentur, publicisque cum Epiſcopo curis adhiberentur, iis qui quietius ſibi & ſoli DEO vacare mallent, ad Monaſterium Scotorum migrantibus, & Abbati illorum loco nihilominus inter Canonicos Monachos aſſignato, ut ex Archivo Cathedrali Gregorius Mangoldus deſcripſit. *Conſtantia Monaſterium Cathedrale.*

A. C. 702. Conditur ſub hoc tempus SS. Mauritii & Leodegarii Monaſterium, Lucernæ ad Urſæ amnis è magno lacu egreſſionem à Wighardo Presbytero Ruperti Ducis, militiæ Helveticæ, Allaticæ & Alemannicæ Imperatore; cui cum tempore inſignis accrevit civitas ſingulari Diœceſeos noſtræ ornamento, hodie inter præcipuas & ſpectatiſſimas Helvetiæ habita. *Canobium Lucernenſe.*

A. C. 703. Reconciliatus Pipino Godefridus Alemanniæ pro Attico Rector Chriſtianam fidem multa ſollicitudine propagat, Canonicis Monachis juxta Theobaldum Epiſcopum rem ſtrenuè promoventibus. *Godefridus reſtituitur.*

Digitized by Google

Monaſt. SS. Felicis & Regulæ.

A.C 704. Wighardo fratri nequid liberalitate cederet Rupertus militiæ Helvetiæ,&c. Dux, partem ſuæ Ditionis Regni aſſignat, hâc conditione, ut prope Caſtrum Thuricinum (Tigurum hodie vocant) in honorem BB. Felicis & Regulæ Martyrum illic quieſcentium, ſacras ædes conderet, Monialibus deinceps aſſignatas, juxta quod altera urbs, æmula primis initiis Lucernæ, Tigurum deinceps accrevit, hodie ampliſſima ditione & opibus ſpectatiſſima.

S. Galli reflo-reſcit.

A.C. 705. Sangallenſe Monaſterium ad incitas, injuriis aliquamdiu vicinorum redactum, S. Galli illic quieſcentis reverentia & miraculorum reſpectu, paulatim reſurgit, Sancto rerum ſuarum etiam è cœlo ſatagente.

Wighardi donatio.

A.C. 706. Wighardus Presbyter Ruperti Ducis germanus frater, haud multum à morte ſe abeſſe ſentiens condito à ſe noviter Lucernati Cænobio providè conſulit, & quidquid ab lacu ad Albim usque montem Tiguro vicinum poſſidebat eidem dono dat, plures illic Monachos congregans ſucceſſoremque ſui Alvicum quendam nominans.

S. Othmarus claret.

A.C. 707. S. Othmarus ex Amiſii Dynaſtis Presbyter & Canonicus Curienſis, Sangallenſis poſtea Abbas egregiis vitæ meritis & exemplis, late ſe commendat, famâ ejusdem ad Regum usque Aulam perlatâ, & longius percrebreſcente, in Monaſterio S. Lucii Benedictino educatus.

Audonius Epiſc.

A.C. 708. Mortalitatis curſum abſolvit Theobaldus Conſtantienſis Epiſcopus Canonicorum Monachorum Cathedrali collegio ſanctiſſimè fundato, & Eccleſiæ ſuæ ſtatu tranquilliſſimo, ſuccedit Audonius, ex eodem procul dubio Cathedrali collegio aſſumptus.

Leutfridus Dux.

A.C. 709. Leutfridus Princeps Agilolfingus patre Godefrido hoc anno mortuo, in Alemanniæ & Rhætiæ Ducatu ſuccedit, Princeps religioſiſſimus, quo nemo ferventius, in Idololatria exſcidenda, Audonio Epiſcopo noſtro cooperante, laboravit.

Varia caſtra.

A.C. 710. Occaſione Regum noſtrorum & Ducum plurimi ejusdem ſanguinis, multo plures Gallicæ Nobilitatis pulchertimo lacus Acronii tractu capti & mirificè delectati, ſedes figunt, & varias arces & caſtra condunt.

Florens ſtatus.

A.C. 711. Pipino Majorem domus Regiæ agente nunquam feliciora tempora, adeo conſultum omnibus cupiebat, oppreſſum neminem quo ipſo tempore urbs noſtra ſummoperè floruit, vicinis circum omnibus & agro, & vineis colendis quietiſſimè vacantibus.

S. Pirminius innoteſcit.

A.C. 712. Magnus ille Monaſtici inſtituti propagator S. Pirminius Meldenſis Epiſcopus, in Germanias delatus Luitfrido Duci innoteſcit, de Conſtantienſi deinceps Diœceſi meritiſſimus, cujus ſæpius dein mentio facienda.

Grimoaldus occiſus.

A.C. 713. Pipinus Major domus, Regũ & Patriæ pater graviter decumbens, & mortem ſibi imminere prævidens, Grimoaldum majorem natu filium ſucceſſorem deſignat, is magno & ſuperſtitis parentis & Regnorum omnium luctu, ſcelere Radbodi Friſiorum Regis, perfidi ſui ſoceri, interimitur.

A.C. 714.

Digitized by Google

A.C. 714. Creſcit in immenſum luctus ſublato hoc anno ipſo quoq; Pipino in quo ſpes gentium & quies verſari videbatur, prævidente miram rerum mutationem & mille pericula urbe noſtra, ſuaq; libertati retinendæ intenta & attenta, Alemannis, Rhætis & Helvetiis diverſum ſtatim contuentibus, nec quo ſe verterent ſatis proſpicientibus. *Moritur Pipinus.*

A.C. 715. Vix periculoſior à multo tempore urbis noſtræ ſtatus, Agilolfingis Alemanniæ, Helvetiæ, Alſatiæ, Rhætiæ Ducibus Regii. Generis Principibus Carolum Martellum ſibi præferri, ut qui ex pellice natus eſſet, indigniſſimè ferentibus, provinciasq; omnes adverſus ipſum concitantibus, Conſtantiâ præcipue invigilante, ne cui factioſo, ſuæ portæ paterent, civesq; factioni cuiunq; adhæreſcerent. Dagobertum Juniorem hoc anno defunctũ Contractus ſcribit, eiq; Chilpericum ſubrogatum, aliis aliter ſentientibus. *Res turbatiſſima.* *Chilpericus Rex.*

A.C. 716. Tot Principum adverſus Martellum conjuratione Leutfridus quoq; Alemanniæ & Rhætiæ Dux, eo quoque cum Rhætis & Alemannis inclinavit. arma paſſim correpta, delectus militum habiti, Conſtantia noſtra ſola nil rerum innovante, ſed eventum expectante. *Inquieta tamdiu.*

A.C. 717. Hoc primũ anno, concitante Reginfredo, Dux noſter Leutfridus, cum Alemannorũ & Rhætorum exercitu Chilperici partibus jungitur. Inde prælio cruentiſſimo Martellus victor ſtragem ingentem edit, Leutfrido ipſo cum plurimis Rhætorũ atq; Alemannorũ in acie cadente & interempto. *Triumphat Martellus.*

A.C. 718. Læta urbs noſtra bello ſe non immiſcuiſſe, voluntate ſuprema Pipini, quâ Carolus Martellus ſucceſſor deſignabatur, contenta non ſolum, ſed victoriis ejusdem animata atq, exhilarata, benevolentiſſimum deinceps tantum Heroem meruit. qui hoc anno victorias proſequutus grandi rurſum ſtrage, Chilpericum, Reginfredum & Eudonem contrivit. *Proſequitur victorias.*

A.C. 719. Waltramus quidam vir potens per Turgoviam & Helvetiam Religione tactus, loci & tumuli S. Galli, de reſtaurando cogitans intellectâ famâ de mira vitæ S. Othamari integritate & ſanctitate, ipſum inhiantiſſimè deſiderat, & à Victore Rhætiæ Comite ſibi mitti impetrat, cui Cellam S. Galli, cum omnibus quæ ad eam pertinebant commendat. *S. Othmarus evocatus.*

A.C. 720. Idem Waltramus, ipſe ad Carolum Martellum contendit, & propoſitum de fundando S. Galli Cœnobio aperit. Hic evocatum S. Othmarum & probatum primum S. Galli Abbatem renunciat, eidemque Regulam S.P.N. Benedicti tradens, à Waltramo donata confirmat, auget, multisque Privilegiis locum extollit, præcipuus ejusdem Fundator habendus. *Fit I. Abbas S. Galli.*

A.C. 721. Inquieta etiamnum circa Conſtantiam omnia, rerum potiente poſt cædem germani fratris Ducis Leutfridi Theodebaldo; qui & ipſe partes Reginfredi contra Martellum ſequutus, arma Rhætorum & Alemannorum concitare perrexit.

A.C. 722.

A.C. 722. Surgit feliciſſimis initiis Archiſterium Helvetiæ Sanct. Galli, ſub magni omnino Principis Martelli auſpiciis, ſingulari Numinis benedictione, futurum deinceps Armarium perfectionis, Schola eruditionis, promptuarium ſanctorum virorum & Apoſtolorum.

A.C. 723. Theodebaldi & Alemanniæ rebellionem armis caſtigat Carolus Martellus, & Victorias etiam per Boicam proſequitur, magna gratulatione urbis noſtræ, cujus plurimum intererat, quietem circumpoſitis provinciis reddi, ne commercia diutius turbarentur.

A.C. 724. Potentiſſimum illud ſplendidiſſimumque Augiæ cognomento Divitis Monaſterium conſtruitur, à S. Pirminio, in ampliſſima elegantiſſimaque Rheni infra Conſtantiam Inſula, quam Sindlisaugiam tunc à Sindeslao Turgoviæ Comite appellarunt, hoc, atque inprimis Carolo Martello annuente, & Regia magnificentia plurima elargiente, ope etiam Bertholdi & Vehi Principum, aliorumque magnæ huic molitioni cooperantium cum prius inde Sanctus Fundator Pirminius, innumeram ſerpentum & venenatorum animalium multitudinem magno prodigio profligaſſet. Ipſo anno cum Eudone Aquitaniæ Principe congreſſus Carolus noſter, exercitum ejus pene internecione delevit.

A.C. 725. Peſſimo exemplo nequiſſimus Princeps Eudo, ut cladem à Martello Principe noſtro acceptam ulciſceretur, Saracenos contra eumdem evocat, magno terrore omnes provincias implente. Subſiſtit in Augia Divite S. Pirminius, inducitque novam Coloniam, è noſtræ Urbis Cœnobiis procul dubio poſtulatam.

A.C. 726. Incredibili Urbis noſtræ & Regnorum omnium gratulatione Princeps noſter Carolus, memorabilem ad omnem æternitatem triumphum ex Eudone & Saracenis reportat, trecentis ſeptuaginta millibus hoſtiũ trucidatis, urbe etiam noſtra, magnæ famis & ruinæ metu liberata, cum Alemanni Rhætique omni deinceps injuria abſtinerent, etſi Theobaldus Dux iniquis oculis contueretur.

S. Pirminius ejicitur.

A.C. 727. Martello in ſubigendis rebellibus occupato, Theodebaldus Dux, in odium contemptumque ejuſdem S. Pirminium ex Augia ejicit, qui in Alſatiam profugus, ab Eberhardo Alſatiæ & Alemanniæ Duce ſumma lætitia excipitur, cujus inſtinctu hic celeberrimum fundat Monaſterium Murbacenſe. Idem Pirminius Augienſibus Ethonem mittit & Abbatem præficit diſcipulum ſuum, ex familia & ſanguine Comitum Habſpurgiorum S. Trudperti Fundatorum. Ipſo anno Burgundiam ſubigit Martellus, Helvetia Conſtantiæ viciniſſima victorem ultro adorante.

B. Etho fit Abbas.

S. Othmari calamitates.

A.C. 728. Admirandæ ſanctitatis ſignis Epiſcopatum ornat S. Othmarus S. Galli Abbas, & ſummo totius Diœceſeos emolumento, ſuæ ſanctitatis piè æmulos diſcipulos, magno numero educat, invidentiæ nihilominus parente

Digitized by Google

rente Cacodæmone alios ipſi æmulos excitante, qui adverſus Monaſterium omnia hoſtilia molirentur.

Eudone mortuo, mox Aquitaniam ſine armis ultroneam occupat Carolus noſter Martellus, nimiisque potentiæ incrementis Alemannorum Rhætorumque animos, haud leviter percellit. *Aquitania occupata.*

A. C. 729. Magnus ad Augiam Divitem concurſus eſt, Ethone Abbate Scholas publicas inſtituente, quo factum ut vel maximè illuſtres, Magiſtrorum & eruditione & vitæ exemplo capti, prout quisque indole meliore erat, certatim cucullum exambirent, tanto numero, ut vix deinceps aliis, niſi ſummo genere natis Baronibus & Comitibus aditus pateret. *Schola Augienſis.*

Ipſo anno Princeps noſter Martellus movens in Friſiam, Popponem Ducem acie victum interficit, fana incendit, & victor ad ſuos revertitur. *Concurſus Nobilitatis.*

A. C. 730. Etſi tantopere omnem provinciam demerentur, Apoſtolico labore, litteris & admirabilis virtutis exemplo, Sangallenſis & Augienſis Cœnobiorum Aſcetæ, mirum tamen eſt, quam indigna paterentur ab ipſis Principibus, quorum populis ſummo uſui & commodo erant, ſingulari inſuper toti patriæ ornamento, Theodebaldo & cognatis tanto magis eos perſequentibus, quanto magis à Carolo Martello honorabantur & temporalibus Beneficiis locupletabantur; quæ tamen viri ſancti ſummo patientiæ exercitio & exemplo, erga hoſtes affectu charitatis propenſiſſimi æquanimiter tolerabant, donec Numini aliter diſponere viſum eſſet. *Perſecutio Aſcetarum.* *Patientia ſanctorum.*

A. C. 731. Mirum omnium tantis incrementis ſubitùm adoleviſſe Sanctiſſimum Aſcetarum Cœtum in præfata Augia, ita ut hoc anno, monente ſic Sancto Fundatore ſuo Pirminio, lectiſſimam duodecim Monachorum coloniam, Fabariam B. Adaberto ejus loci deſignato Abbati mitteret, poſtquam is cœptum à Pirminio clauſtri ædificium ibidem abſolviſſet. *Duodecim SS. Colonia.*

A. C. 732. Theodebaldus Dux, Martello contra Saracenos occupato, B. Ethonem Augiæ Abbatem illi & Pirminio chariſſimum in odium utriusque Cœnobio eiicit. quem paulo poſt reſtituit victo & ejecto Theodebaldo, non multo poſt mortuo ex mœrore an trucidato, Luitfrido Juniore in Ducatum ſuccedente. *B. Etho ejectus.*

A. C. 733. Summâ urbis noſtræ gratulatione, etſi Principum vicinorum & Rhætiæ Alemanniæ non minima conſternatione, Princeps & Benefactor noſter ſingularis Martellus, cæſis ad internecionem Saracenis, terrore ſui nominis implet omnia, Leutfrido Duce jam ultro gratiam ejusdem exambiente & merente. *Saraceni victi.*

A. C. 734. Benè uſus victoria Martellus, opima ſpolia magnosque theſauros in Monaſteria elargitur, illa inprimis quæ S. Pirminius, cui impensè favebat, recens ſtruxerat, Augienſibus noſtris aliisque ipſius munificentiam *Liberalitas Martelli.*

Digitized by Google

immortaliter celebrantibus. Ipſo anno Etho Augiæ Abbas eligitur Epiſcopus Argentinenſis.

Etho Epiſc.

A. C. 735. Ingentibus meritis mirè provinciam obligat S. Othmarus communis egenorum omnium occurrentium pater, exemplar inſuperabile charitatis, ita ut ſuismet ſeſe veſtibus exſpoliaret, & pauperes veſtiret, ſæpè ſolo caputio ſive ſcapulari, ſymbolo Monaſtices inſigni, absque tunica, domum reverteretur.

S. Othmari laudes.

A. C. 736. Vitam mortalem deſerit Adonius ſive Audonius Conſtantienſis Epiſcopus, ſuffecto in ejus locum Erenfrido, Augiæ Divitis Abbate, ipſo Carolo Martello adnitente, viro inſigniter litterato, quem alii Anefridum, nonnulli Anaſtedium appellant.

Audonius Epiſc. obiit.

A. C. 737. Obitum meritiſſimi de Diœceſi noſtra Apoſtoli, S. Pirminii, huic anno nonnulli tribuunt, de quo non contendimus, nec vero ſimile multum ſupervixiſſe. Ejus ſanctitatis & meritorum illectus fama magnus ille Germanorum Apoſtolus, & primus Moguntiæ Archiepiſcopus Bonifacius, virum DEI ipſus convenire voluit, & in Monaſterio Hornbacenſi repertum, arcte complexus ſummo in honore habuit. Ejus potentiſſimum patrocinium usque hodie eſt contra venenum & animalia venenata cujus tunica parturientibus impoſita plurimis prodigiosè profuit.

Moritur S. Birminius.

Miracula.

A. C. 738. Inſignis Benefactor Eccleſiarum DEI & Monaſteriorum Martellus, Cathedrale Monaſterium Conſtantiæ, ut & Scotorum inſigni liberalitate proſequitur, in Augienſe & Sangallenſe ad invidiam profuſus.

Monaſteria dotata.

A. C 739. Ehrenfridus, ſive Erenbertus Conſtantienſis Epiſcopus inter Epiſcopales quoque labores litterarum ſtudioſus, & promotor ſtudiorum, inter alia ingenii monimento Chronicon Monaſterii S. Blaſii Herciniæ ſcripſit, fortè illic Aſcetam olim agens, priusquam in Augia Monachum profiteretur, & Abbas, ac dein Epiſcopus crearetur.

Ehrenfridus Epiſcopus Scriptor.

A. C. 740. Altiſſima Regnorum pax, Carolo Martello domitis hoſtibus univerſis, ſecurè jam rerum potiente; Alemannis denique Conſtantiam noſtram æquius contuentibus, etſi hæc minas illorum parum curaſſet, certa fidei civium & virium, ſollicita ſolummodo, ne Regibus inter ſe contendentibus de hæreditate incerta dubio Domino adhæreret.

Altiſſima Pax.

A. C. 741. Inter ſumma Regnorum & urbis noſtræ gaudia, & de fortuna ſui Principis applauſus, hic quietis impatientior quam belli, in morbum incidit, eoque Cariſiaci invaleſcente extinctus Rex Regum, imperare ſe malle Regibus quam Regem eſſe olim aſſeverans, funere nihilominus Regio in S. Dionyſii ſepultus eſt, in filiis nihilominus ſuis Pipino & Carolomanno immortalis.

Moritur Martellus.

A. C. 742. Theobaldus Alemanniæ Dux, ſive libidine propriâ ſive ſuorum concitatione, morte Martelli audentior factus, dum circum Conſtantiam & tota Alemannia omnes ad arma convocat, à Pipino & Carolomanno illico oppreſſus, criſtas cum armis ponere coactus eſt, filios Patris ſimillimos, nec minus generoſos expertus atque victorioſos. *Theobaldus Dux repreſſus.*

A. C. 473. Apud Campidonum usque ad hæc tempora ſuperſtes ſanctus Theodorus Apoſtolicis meritis ſe commendat, etſi & ipſe indigna ſubinde à gentilibus paſſus, & peſſimè exagitatus, invidia Cacodæmonum, quos ipſe loco expulerat. *S. Theodorus bene meretur.*

A. C. 744. Memorabili pietatis exemplo, ſtruendorum Leproſoriorum exemplar primùm provinciæ noſtræ præbet S. Othmarus, qui non ſolum in omnes pauperes effundens præcordia & charitatis viſcera, piâ condolentiâ leproſos complexus ædes iisdem commodas exſtruxit, ipſeque eorum curam ſuſcepit, ſordes abluit, ulcera exterſit, in iisdem Chriſtum exoſculatus. *Leproſorium S. Othmari.*

A. C. 745. Inſigne Diœceſeos noſtræ ſydus, uti jam dictum, in Alſatiam translatum inferiorem, Etho ſive Hetto Ottperti Comitis Habſpurgii filius Augienſis Monachus & Abbas Argentinenſi nunc ſedi cum honore præſidet, in cujus gratiam, multa Epiſcopatui collata ſunt. *Etheo Epiſc. Argentin.*

A. C. 746. Poſt egregia vitæ & Pontificii muneris merita & exempla, ad præmia felicisſimæ æternitatis vocatur Ernfridus ſive Ehrnbertus Conſtantienſis Epiſcopus Augiæ Divitis Abbas vir religioſus & eruditus, cui ex eodem monaſterio ſuccedit in utroque munere, etſi indigniſſimus Sidonius, vir, ut poſtea apparuit, ſimulator, ambitioſus & ſordide avarus, uti acta dein vitæ exhibebunt & demonſtrabunt. *Moritur Ernfridus Epiſc.*

A. C. 747. Stupente Europâ universâ, Princeps noſter & Rex Carolomannus poſt egregia facinora, ad S. Galli prius ſe Numini commendans, repente à mundo ſe abripit, & Monaſticen in Caſinate cœnobio ſolemniter profitetur, Pipino deinceps rerum noſtrarum ſatagente. *Carolomannus Rex, monachus.*

A. C. 749. Motus iterum novos ſpectat Conſtantia, ipſa & Regnis omnibus ſuper amiſſo Carolomanno Principe ſuo lugentibus, ſola Alemannia plaudente, & ad libertatem denuo aſpirante, cui tamen paulo poſt ſuperveniens magno urbis noſtræ plauſu Pipinus, conſilia turbavit, conatus repreſſit & motus compoſuit. *Novi motus belli.*

A. C. 750. Warinus & Ruthardus Alemanniæ Principes, Monaſterii S. Galli potentiam & opes, ægris contuentes oculis, ſibi deceſſiſſe rati, maximis injuriis viros religioſos, & ſanctiſſimum eorumdem Antiſtitem Othmarum infeſtant, multaque quæ Cœnobii erant ad ſe rapiunt, *S. Galli Monaſt. vexatur.*

perque vim usurpant, sancto Abbate frustra ipsos humillimis precibus conveniente, & ne sacris manus commacularent dehortante.

S. Theodorus redit ad S. Galli.

A. C. 751. Confugit ad S. Othmarum S. Theodorus noster, & ad tumulum Sancti Magistri sui Galli, questus de maximis persecutionibus quam apud Campidonum pateretur, quem dein Sanctus Abbas benigne consolatus apud se retinuit, donec ipse in carceres abriperetur.

Pipinus Rex salutatur.

A. C. 752. Inexplicabili gaudio & gratulatione urbis nostræ & Regnorum Galliæ atque Germaniæ Princeps noster Gratiosissimus & Major Domus Regiæ Pipinus, à S. Zacharia Papa, redacto in ordinem inutili Rege Childerico, Rex Galliarum & Germaniæ renunciatur. qui mox jubente Pontifice à S. Bonifacio nostro Magno Germanorum Apostolo solemniter inungitur & coronatur.

Coronatur cum filiis.

A. C. 753. Succedens S. Zachariæ S. Stephanus III. Papa in Gallias profectus, ut opem novi Regis contra Aystulphum Longobardum impetraret renovat solemnia, & de novo coronationem Pipini, sed & filios ejusdem Carolum, deinceps à factis Magnum cognominatum & Carolomannum Reges inungit.

S. Trudtpertus elevatur.

A. C. 754. Satagunt rerum Monasterii sive Cellæ S. Trudtperti Comites Habspurgii & eundem sanctum Martyrem loci Tutelarem solemniter elevari curant, grandi prodigio repertum incoruptum.

S. Othmarus Pipinum adit.

A. C. 755. S. Otthmarus indigna nimirum passus à Principibus, cum nihil precibus, nihil salutaribus monitis proficeret, ipse ad Pipinum Regem profectus, super rapinis & injuriis conqueritur & à Rege benevole excipitur, & multis beneficiis honoratur.

Congeminata injuria.

A. C. 756. Graviter commoniti à Rege Principes, & restituere quæ abstulerant omnia jussi, nisi gratia Regia velint excidere, deteriores facti, rapinas congeminant, & bona Monasterii S. Galli ac subditos, cen jure Ducatus ad se pertinentia sibi vendicant.

Etho noster Argentinensis Episcopus ex Augiæ monacho, Monasterium novum condit à se Etthonis-Cellam, hodie Ettenheim-münster cognominatum.

S. Othmarus capitur.

A. C. 757. S. Otthmarus, dum denuo questum ad Pipinum iter suscipit à satellitibus Warini & Rutthardi Ducum interceptus, ad arcem Potamum abripitur, crudeliter tractatur, in tenebrosum carcerem iniicitur, fame enecandus, nisi Patcozus religiosissimus Monachus viam & modum reperisset, ipsum pascendi. Cæterum & sceleri causam prætexerent Principes conductum promissis Pseudomonachum Lambertum accusatorem S. Abbatis adduci curant, ipsum vitiatæ mulieris insimulantem, mox sententia Sidonii Episcopi damnatum & exauctoratum, qui Abbatiæ inhians, à seipso nominatus Abbas, non meliore jure quam Principes bona Monasterii usurpat.

S. Theo-

S. Theodorus ſub hoc ipſum tempus ad S. Galli moritur, cum jam antea S. Otthmarus diſcipulos aliquot illius locum Campidoni occupare juſſiſſet. *S. Theodorus moritur.*

A.C. 758. Miſertus calamitatum S. Othmari Gosbertus quidam vir Nobilis Principibus familiaris, ipſum ſibi in cuſtodiam tranſmitti in Augiam quandam Rheni prope Stein oppidum, & credi impetrat, incluſumque benigne habet, captivitatem ſuam precibus & Numinis contemplatione ſolantem. Interim Lambertus ulciſcente falſam delationem Numine, verſo ad terram capite inſtar quadrupedis contractus, in ſanctum DEI peccaſſe ſe confiteri nunquam intermiſit; Epiſcopo interim arrogantiſſimè pro Abbate S. Galli ſeſe habente, & liberè dominante. *S. Othmarus transfertur.* *Vltio Divina.*

A.C. 759. Abſolvitur denique à carnis & carceris vinculis S. Othmarus vocante ad præmia patientiæ amantiſſimo Numine, & grandi incorrupti cadaveris prodigio, ſanctitatem viri comprobante. *S. Othmarus moritur.*

A.C. 761. Sidonius Conſtantienſis Epiſcopus, ſuæ profeſſionis immemor, ambitione turgidus, ſuperbia DEO inviſus, dum ad S. Galli, infenſiſſimus Monachis, arrogantiſſimè invehitur, ulciſcente Numine, dum templum turbulente ingreditur, ante ipſum S. Galli altare, flagello Divino correptus, profluvio ventris extis ipſis erumpentibus horribiliter plectitur, & ad cloacam delatus ipſam animam ſupremam, intolerando cum fœtore efflat. *Sidonius Epiſc. perit.* *Res mira!*

A.C. 762. Succedit in Epiſcopatu & Abbatia utroque Augienſi & Sangallenſi Joannes Augienſis Monachus, à ſapientiæ laude plurimum commendatus; manſuetiore multo, quam Sydonius, ingenio, Nepotiſſimi tamen, ut vocant, indigniſſimo Pontificibus infectus ſtudio, quod tamen tanta nominis infamia, quanta Numinis indignatione, multi æterno animi diſpendio, poſtea imitandum quaſi de induſtria ſuſcepere. *Joannes Epiſc. Conſtant.*

A.C. 763. Inſignibus incrementis conſurgit vetuſtiſſimum S. Trudperti Cænobium, & magna peregrinorum frequentia Sacri Tutelaris corpus colitur, quod adeo prodigioſe DEUS ab omni corruptione tanto tempore conſervavit, fuitque ſingulare etiam deinceps Monaſterium illud Diœceſeos noſtræ ornamentum, ex quo plurimi DEO acceptiſſimi viri prodiere. *Monaſt. S. Trudperti.*

A.C. 764. Solemniſſima Comitia Cariſiaci celebrat Comitia Rex noſter glorioſiſſimus Pipinus, in quibus Principes etiam & Status provinciæ noſtræ comparuere; tympana dein etiam noſtris in partibus mota, & conſcripti adverſum Saracenos milites, ſubſidio Cantabrorum plurimum periclitantium. *Comitia Regni.*

A.C. 766. Plurimum meretur de ampliſſimo Epiſcopatu Argentoratenſi Beatæ memoriæ Ettho ſive Hettho ex Augiæ Divitis Monacho Epiſcopus, Simoniaca Hæreſi profligata, quæ etiam inter Ejusdem Canonicos invaluerat. *Symoniaca Hæreſis.*

Moritur Pipinus. A. C. 768. Deliciæ urbis noſtræ, Patronus ejusdem ſingularis, Rex noſter Pipinus, mortalibus eximitur, Pariſiis, dum Victor ex Aquitania, cæſo & occiſo Varifario Duce reverteretur 8. Cal. Octobris, ad S. Dionyſii ſepultus, cui tanto poſt, Cœnobii noſtri (etſi alia primùm Diœceſi) ante annos quinquaginta conditi præcipuo Dotatori, imo Fundatori, ſic juvenili ætate parentavimus:

Sepulturæ.

Epitaphium Pipini Regis.

PIPINO cogn. PUSILLO
Puſillorum Maxumo
Maxumorum Primo
Heroum Illuſtriſſimo
Principum Optumo
Regum potentiſſimo.
Auguſtorum Patri.
Pontificum Liberatori.
Eccleſiaſticæ Libertatis Vindici
Regiæ Dignitatis Amplificatori
Chriſtianæ Fidei Propagatori.
Rebellium Domitori.
Hoſtium Triumphatori
Scelerum Oppreſſori.
Virtutis eruditionisque Remuneratori
Monachorum omnium Mecœnati
Solo puſilli corporis pugillo mortali
Animi incomparabili magnitudine
Præclare geſtorum, digne partorum gloria immortali.
Fundatori Meritiſſimo P. P.

Longè dignius, quod ipſius honori poſitum elogium Ravennæ legitur, his verbis:

Elogium Ravennæ poſitum.

PIPINUS PIUS PRIMUS AMPLIFICANDÆ ECCLESIÆ, VIAM APERUIT ET EXARCHATUM RAVENNÆ CUM AMPLISSIMIS MUNERIBUS S. PETRO DONAVIT.

A. C. 759. Succedit in Regnum Carolus Filius, re non minus, quam cognomine Magnus, dignus tantis parente & avo filius, de quo pluries mentionem faciemus.

Translatio S. Othmari. A. C. 769. Singulari Numinis inſtinctu concitati S. Galli Archiſterii Aſcetæ, de transferendo ſancto ſuo Abbate, ex Strain Inſula conſilium ſuſcipiunt, & terra effoſſa ſacrum ejus corpus integerrimum & incorruptiſſimum in-

Digitized by Google

mum inveniunt, solo majore pedis digito in aquis jacente, ab his mutationem aliquam passo, cujus sanctitatem multiplici prodigio, cum navi inferretur comendavit, inter maximos fluctus illa velut sepe seu muro circumdata, nihil concussionis patiente, cereis inter ventorum & imbrium vim inextinctis, imo ne gutta quidem ex effusissimis circumundique navigantes vel obiter contingente lagunculâ item vino inexhaustâ, quantumcunque inde laboratores haurirent. ut prægnans miraculorum miraculorum merito obstupescas. Ita ad S. Galli translatus est, miro solatio suorum Religiosorum, perpetuis deinceps miraculis gloriosus. *Stupenda prodigia.*

A. C. 770. Joannes Episcopus Constantiensis, indignissimo prorsus conatu, nepotes tres, unum ad Cathedram Pontificalem, alios duos ad Abbatias Augiensem & Sangallensem promoturus, ut sibi decedenti certo succederent, Monachis cùm Cathedralibus, tum prædictorum Cœnobiorum, eâ conditione facultatem liberrimæ electionis, & à Cæsare, & à Pontifice Rom. se impetraturum promittit, quod & facto ipso præstitit. *Ioannis Epiſc. Nepotismus.*

A. C. 771. Moritur Rampertus Hettoberti filius Hettonis sive Etthonis Argentinensium Præsulis frater germanus Habspurgi Comes, vir religiosissimus, qui Monasterium S. Trudperti, præteritis bellis vastatum, magno merito restituit, & novis censibus ac possessionibus locupletavit; ibidem manu Religiosorum planctu tumulatus. *Rampertus C. Habſp. obiit.*

A. C. 772. Pergunt laborare pro omnimoda Electionis libertate apud Regem impetranda Sangallenses, sed artibus Joannis Episcopi litteris quædam inseruntur, quæ suspectas easdem Ascetis redderent; ita ut ad mortem usque Joannis rem differendam censerent. *Fraudes litter.*

A. C. 773. Carolo Magno arduum contra Longobardos in Italia, rogatu Pontificis bellum suscipiente S. Hildegarda lectissima ejusdem conjux, splendidissimum Campidoni Monasterium molitur, paupertinè eousq; habitantibus S. Theodori discipulis & eodem loco successoribus, & frugaliter viventibus, cum multi etiamnum circumpositi gentiles, viros DEI ægerrimè toleraſſent, & magnis injuriis affeciſſent. *Campidoni conſtructio.*

A. C. 774. Approbat conatus optimæ conjugis Magnus Carolus & Fundationem non solum confirmat, verum etiam Regiâ auget liberalitate, & ut loco major gratia & respectus accedat, corpora Sanctorum, Gordiani & Epimachi à Rom. Pontifice impetrat, eoque transferri curat, magno plausu sanctæ Reginæ, & Religiosorum SS. Othmari & Theodori discipulorum. *SS. Gordianus & Epimachus translati.*

A. C. 775. Contigit sub hoc ipsum tempus memorabile illud in Diœcesi nostra, cum Irmentruda soror germana S. Hildegardis Reginæ Isanbardi Alemanniæ Ducis conjux, duodecim gemellos uno partu in arce Ravenspurgensi ederet, & ex his undecim mergi juberet, his superveniente *Memorabilis partus.*

patre

patre Principe ſervatis, cum quæ mergere debebat, catulos degeneres diceret ſive Guelphos, Guelphorum dein nomine apud familiam de induſtria conſervato. De qua Hiſtoria, plura parte II. Germaniæ noſtræ Topo-Chrono-Stemmatographicæ, memoravimus.

Guelphi.

Weingartten Virg conditur.

A. C. 776. Factum hoc anno initium Monaſterii Virginum in Weingartten ſive Altorff cenſemus, à memorata Irmentruda S. Hildegardis ſorore, ejusque marito Iſenbardo, ob liberos de quibus ſupra ſervatos, in quod cum S. Hildegarda ſororis amantiſſima, & per abſentiam Regis ſæpe rumq; apud ipſam Ravenſpurgi commorata, haud minimas quoque expenſas feciſſe videatur, idque probante & extollente marito Magno Carolo; factum eſt, ut nonnulli fundationem eidem Regi, poſtea Cæſari adſcripſerint.

Dedicatio Campid.

A. C. 777. Mira miranda ſunt, quæ Vetuſtiſſimus Manuſcriptus incerto Authore liber memorat, de ſolemniſſima dedicatione & Baſilicæ & Monaſterii Campidonenſis, conſecrante ipſomet ſummo Pontifice Hadriano I. In præſentia ipſius Magni Caroli, S. Hildegardis, plurium Cardinalium & Epiſcoporum, nec non potentiſſimorum Germaniæ Galliæ & Italiæ Principum. magno deinceps conſequente fructu, cum paulo poſt Religioſorum illius loci ſtudio tota Regio Chriſto nomen dediſſet.

Ioan. Epiſc. moritur.

A. C. 778. Moritur Joannes Epiſcopus, Sangallenſibus, excluſo ejus nepote, præoccupto Caroli Regis per Reginam animo, libera ſibi conceſſa electione, Rantpertum ſive Rautpertum Abbatem ſalutantibus. Augienſibus Petrum eligentibus, è Ducum Alemanniæ familia oriundum; Eginone quodam in Epiſcopatum ſuccedente. Joannis funus in Augiam deductum, ſepultum eſt in Sacello S. Kiliani. Fundat Monaſterium Rhenaugienſe Wolfehardus Comes Kyburgius. loco ad miraculum eleganti.

Egino Epiſc.

Moritur Etho Epiſc.

A. C. 779. Moritur Beatæ memoriæ Etho ſive Hettho, ſingulare Diœceſeos noſtræ ornamentum, quondam Augiæ Monachus & Abbas dignus S. Pirminio diſcipulus, genere ſuo Habſpurgio ſurculus. Argentinenſium Pontifex, Simoniæ protritor felicitſimus, in ſuo quod condiderat Cœnobio Ettenheimenſi ſepultus. quem nonnulli ſequenti anno mortuum opinantur. Quo ipſo anno Rampertus quoque S. Galli Abbas obiit, cum vix annum præfuiſſet. quo mortuo Fratrum ſuffragiis Walto ſuffectus eſt, annuente Rege, ab inſigni prudentia plurimum commendatus.

Rampertus Abb. ob.

A. C. 780. Hoc primum anno morte ſublatum Joannem Epiſcopum Conſtantienſem contendunt, ſed fruſtra, reclamantibus proximis ætate & loco ſcriptoribus, & maximè ſummi nominis Hepidano Aſceta Sangallenſi. Carolus Magnus Romam orandi gratia pergens Conſtantiam noſtram, Augiam & S. Galli inviſit, ubivis in omnes Eccleſias largus & liberalis.

Carolus Mag. Conſtantiæ.

A. C. 781.

A. C. 781. Intolerandæ arrogantiæ & ambitionis Egino Episcopus, plurima negotia facessit Waltoni S. Galli optimo Abbati, Sidonii exempla sequutus, cum omnino à se ipso creatus Abbas locum illum quibuscunque insidiis & fraudibus exambiret. *Eginonis ambitio.*

A. C. 782. Infinitis, ut Ratpertus sanctæ memoriæ scriptor habet, in aula largitionibus efficit Egino Episcopus, ut ipse Monasterio S. Galli potiretur. Carolo autem Rege rem componere volente, ita ut Walto sive Waldo, Abbatiam retineret, Episcopus nihilominus Monasterio frueretur, Waldo disertè Regi contradixit, & cum ingenio atque eruditione plurimum valeret, tres digitos scriptioni servientes exporrigens, *nequaquam*, inquit, *dum horum trium digitorum, vigorem integrum teneo, vilioris personæ manibus me subdere decrevi.* cumque consensu Caroli Abbatia cedens, ad Augiam Divitem secessit, Præsulis dein munere ibidem honoratus, & multo altius postea evectus. *Insigne responsum Waldonis.*

A. C. 783. Transit â terreni ad cœlestis Regni gaudi beata Hildegarda Regina Caroli Magni conjux felicissima, Campidonensis Fundatrix meritissima, Dotatrix Cœnobii Virginum Weingarttensis, quo ipso anno Caroli quoque mater Bertha, Hildegardam ad felicem immortalitatem consequuta scribitur. *Moritur S. Hildegarda.*

A. C. 784. Obtrudit Sangallensibus, viris sanctissimis & litteratissimis Abbatem, forensem quemdam presbyterum, Werdonem nomine Egino Episcopus, quem cum ipsi nullatenus reciperent, nedum agnoscerent, is ipsus ordinem expetiit, & Monachum cucullo non solum, sed & moribus induit, de cætero iniquior illis, Episcopo addictissimus, causa magnæ confusionis extitit. *Pseudo-Abbas Werdo.*

A. C. 785. Quanto deterius cum S. Galli Monasterio actum, tanto felicius Campidonense floruit, Carolo Magno suam erga conjugem observantiâ etiam à morte attestante, & Monasterium illud instar Fuldensis elevante, ita ut Andegarium primum loci Antistitem inter Principes Regni considere faceret, & jure gladii, juxta ampliissimas possessiones & immunitates donaret. *Princeps S. R. I. Campidon.*

A. C. 786. In Augia Divite Petrus Abbas Agilolfingici generis Princeps, decrepitæ ætatis senex, vitâ religiosè exactâ, ad Superos emigrat, Waldone, ut supra vidimus, nuper S. Galli, à se ipso exauctorato Abbate, apud Augienses exule, ob egregiam eruditionem & vitæ merita, successore Petri salutato, & confirmato. *Petrus Abb. moritur.*

A. C. 788. Egregiis incrementis accrescit novo Lucernati Cœnobio urbs nova, dum magnis meritis, Ascetæ illius religiosissimi, vicinos circumundique Christo lucrantur. plurimis amore tantorum solida dilectione Patrum, iisdem pro solatio animæ propius cohabitare, & quasi convivere, eligentibus, & sedes prope Cœnobium figentibus. *Lucernense Monast.*

Moneta cudenda facultas.

A. C. 789. Monetæ quoque cudendæ licentiam Campidonensi Abbati & successoribus perreniter concedit Magnus Carolus, & ut Abbati ac Principi majorem conciliaret auctoritatem, magnos Principes & Regni Comites ipsi inservire jubet: Marischalli munere Ducem Bavariæ; Pincernæ Saxoniæ Ducem; Dapiferi Montfortium; Camerarii Nellenburgium Comitem; qui reverentia ordinis libenter. hæc munia & humillimè susceperunt.

Officiales Campidon.

S. Galli calamitas.

A. C. 790. Indigna planè patitur, nulla loci nec Sanctorum reverentia, nullo contuitu tot tantorumque meritorum S. Galli Monasterium, variis casibus ab Episcopo, & Pseudo-Abbate Werdone exagitatum, dum uterque in Monachis plane ad servitutem redigendis laboraret, & cum immunitatis aliquod privilegium ab iisdem clandestinè asservari intellexissent, in eo extorquendo, omnes artes & conatus converteret.

Scholarum Institutio.

A. C. 791. Magno Diœceseos nostræ emolumento, Germaniæ exemplo Waldo Augiæ Abbas, cum esset eruditorum in his partibus facile Princeps, & florentissimum opibus regeret Cœnobium, omnes ferè easdem ad propaganda litterarum studia convertit, scholas varias instituit, lectissimos professores præfecit, & instructissimam variis & pretiosissimis libris Bibliothecam comparavit.

Bibliotheca prima.

Vinearum Virg. Cœnobium.

A. C. 792. Sacrarum DEO sub Regula Divi Benedicti Virginum unicum ferè superioris Alemanniæ Collegium, & exemplar eorum quæ postea constructa sunt, floret Monasterium Weingartense; donec ad S. Galli, multo tamen post, & ad singula fere virorum etiam virginum aliquod, sejunctissimum tamen ædificiis, & clausura perenni, Monasterium consurgeret, in quibus Regum Regi sponsarum lectissimarum magna multitudo, sese perenni devotione emancupavit.

Memminga urgo.

A. C. 793. Gronenfurtensis pagus amplissimus, dono datus à Magno Carolo Cœnobio Campidonensi, Andegarii primi Abbatis & Principis opera, plurimis ædificiis in magnam excrescit magnificentiam, ab ejus successoribus etiam deinceps ita excultus, ut urbs spectatissima redderetur, Memminga hodierna, ita ut hæc quoque Diœceseos amplissima civitas, splendorem suum viris sacris debeat, sicut de plurimis aliis dicemus.

S. Trudperti virtus.

A. C. 794. Sancti Trudperti quoque Cœnobio, amplissimis reditibus aucto, & viris sanctis referto, integra, & amplissima quidem accrescit civitas, ingenti confluxu populorum, fama miraculorum & gratitudinis ergo eodem occurrentium, ac dein sub tanti Patroni tutela, ac sub cura sanctorum loci incolarum Monachorum commorari & vitam exigere gestientium, quæ tamen postea cum tempore, hostili furore pessumdata est, amplissimis usque hodie apparentibus vestigiis.

A. C. 795.

Digitized by Google

A. C. 795. Æquior in Cathedrales Aſcetas Canonicos Egino Epiſcopus quam in Sangallenſes, rebus illorum plurimum conſulit, etſi ipſe Monachus non eſſet, aliaque inter crucem gemmis cultiſſimam, cum imagine crucifixi, ex auro & argento confici curavit, & dono obtulit, ſeptem ſupra triginta argenti marcas, & unam auri habentem, cum ſequenti verſuum inſcriptione: *Eginonis Epiſc. crux.*

Hoc Trophæum Chriſti Egio pro luce perenni
Virgo Maria tuo ſacro dicavit honori,
Cûi prece quæſo tua tribuantur regna polorum.

A. C. 796. Extinguitur poſt multa præclarè geſta Andegarius ſive Amelgarius, primus Campidonenſis Cœnobii Antiſtes & Princeps, vir genere, moribus & doctrinâ nobilis Rolandi de Brunſuico filius, Carolo Magno chariſſimus, in hujus olim præſentia ab ipſo Romano Pontifice ſacris initiatus. Succeſſit Agapitus ab Hattenhorn ſive Hartenhorn, à ſingulari prudentia celebratus. *Andegarius Abb. obiit.*

A. C. 797. Singulari Numinis ductu S. Fintanus Hybernus Laginiæ Ducis filius, poſtquam ſacra Apoſtolorum limina viſitaſſet & coluiſſet, in Germaniam occurrit, & Wolveno Comiti Kyburgio à ſacris factus, mitâ ſeſe ſanctitatis opinione commendat, quatuor annis cum ipſo commoratus. *S. Fintanus.*

A. C. 798. Tigurinum Virginum Cœnobium multis bonis & immunitatibus donat Magnus Carolus, pago paulatim in urbem excreſcente, quæ ſeſe hodie magnâ potentiâ ſuperbè circumſpicit, originis immemor ſuæ, quæ conſideratio feliciorem redderet, quam tot Comitatuum & Dominiorum poſſeſſio, quæ ſuperbiam civium alit nil indè habentium, concitat invidiam vicinorum. *Tigurinum Cœnobium.*

A. C. 799. Inſignis Augiæ Divitis Dotator, Benefactor & Patronus Geroldus Agilolfingus Princeps, ab egregia vitæ integritate celebratiſſimus, incredibili Religioſorum luctu, contra hoſtes fidei Hunnos pro Carolo fortiter pugnans, gloriosè occumbit, cujus funus in Augiam deportatum, multis cum lachrymis honorificè tumulatum eſt. Ipſo anno Baſilica S. Petri Augiæ Divitis, ab Eginone Veronenſi Epiſcopo ſanctæ recordationis (ne Eginonem Conſtantienſem ſuſpiceris) multo ſumptu conſtructa, ſolemniter dedicatur. *Geroldus Dux occub.* *Augienſis Dedicatio.*

A. C. 800. Hoc anno Fintanus cum quatuor annos cum Wolfeno Kyburgi Comite ipſi à ſacris factus ſanctiſſimè vixiſſet, altiora meditatus, Numini totum ſe devovere in cucullo ſtatuit, & monente Comite, Cœnobium, ab hujus parente Wolfehardo, in Rheni Augia fundatum ingreſſus, illud deinceps admirabili vitæ ſanctitate illuſtriſſimum reddidit. *S. Fintanus fit Mon.*

Digitized by Google

Carolus Mag. Coron. Imp. Ipſo anno Magnus Carolus urbis noſtræ & Diœceſeos Patronus longè maximus Romæ à S. Leone Papa ipſis Natalitiis Chriſti feriis ſolemniter Occidentis coronatur Imperator Auguſtus.

S. Blaſii Prioratus. A. C. 801. Ad S. Blaſii in Hercinia Heremiticæ vitæ pluribus jam ſæculis ibidem feliciſſimè exercitæ, Monaſticam juxta ſecundum leges Divi Benedicti, plurimis antea annis, adjungunt Sanctiſſimi loci illius incolæ, quam Abbatiali honore inſigniretur Monaſterium, cui eo usque Prioris titulo præfuêre aliqui, cæteris virtute & meritis præſtantiores. Viguit hoc præcipue tempore loci dignitas, S. Trudperti juxta Aſcetis (à quibus Regulæ Sanblaſianis communicatæ videntur) Herciniam ſuo exemplo, ex umbroſa illuſtriſſimam reddentibus.

Ob. Egino Epiſc. Veron. A. C. 802. Supremus Eginoni Veronenſi Epiſcopo hic annus, qui, incertum, priusne quam crearetur Epiſcopus, Augiæ noſtræ Monachus fuerit, an Epiſcopatu relicto cucullum amplexus, ſancto nunc fine in ſua ibidem cella concluſit, & tumulum meruit. quo ipſo tempore plures ibidem Epiſcopi Monaſticen profeſſi, ſancto exemplo Diœceſim noſtram fulgentiſſimam reddidêre.

Waldo & Heytto. Carolo Magno ab intimis conſiliis Waldo Abbas Augiæ, ſed & Heytto ejusdem Cœnobii monachus, ſumma apud eumdem in gratia fuêre, ad diverſas poſtea Cathedras pro meritis evecti.

Azanes Rex. Hieroſ. A. C. 803. Azanem Jeroſolymorum Regem vehemens cupido cum inceſſeret, contuendi Magnum Carolum, ut id impetraret interceſſorem Leonem Papam adhibuit, qui ægrè ab occupatiore Cæſare impetravit, ut in Italiam cum ipſo condiceret. Eo occurrens Carolus, cum in Corſica Azanem morbus retineret, perſuaderi non potuit ut ad ægrum inviſeret, eo quod mortem non tantopere atqui mare timeret.

Waldonis legatio. Proin Waldonem noſtrum Augiæ Abbatem ſuo loco miſit, qui legatione præclarè functus, magna & ſanctiſſima ad Carolum munera retulit: Vas Onichinum plenum SS. ſanguine Servatoris, ejusdem coronam ſpineam, inſignem Dominicæ crucis portionem, & clavum unum quo ad crucem affixus fuit. quibus plurimum exhilaratus Auguſtus, Waldonem Baſileenſi Eccleſiæ tunc vacanti Epiſcopum præfecit, ſed & de præfatis reliquiis partes conceſſit, quibus hic Augiam ſuam beavit.

Munera pretioſa.

Chriſti Sanguis repertus. A. C. 804. Memorabilis inprimis hic annus eſt, inventione Theſaurorum orbis maximi SS. ſanguinis Dominici, illius, quem currentem ex Chriſti latere Longinus centurio, mirè illuminatus, ſuismet manibus & ſpongiâ excepit, & Mantuæ Chriſtum prædicans, ibidem metu perſecutionis, plumbea ſervatum arcula cum inſcriptione profundius terræ credidit maximis nunc terræ motibus aliisque prodigiis proditum & celebratum. Ejus dein cum tempore portio feliciſſimam Diœceſim noſtram reddidit, cum in

ejus

Digitized by Google

ejus divisione Papam inter & Cæsarem, tertiumque Mantuæ Marchionem, ea quæ Cæsaris erat Weingarttensi Cœnobio obtigit, usque hodie summo in cultu habita atque veneratione. *Portio in Weingartten.*

A. C. 805. Natalis hic annus S. Meinrado sive Meginrado Sulgovii Comiti familiæ Zolleranæ fuit qui deinceps Diœcesim nostram eximiæ sanctitatis radiis mirificè illustravit. *Nascitur S. Meinradus.*

Ipso anno S. Fintanus Princeps Laginiæ, cum jam quinque annos sanctissimè in vita Monastica exegisset, ad majora animum erigens Inclusorum nostrorum perfectionem exambiens, arctissimè concludi petiit. vere mortuus mundo, & quasi vivus illatus tumulo, qui cum aliquando coram S. Blasii Reliquiis, Româ Rhenaugiam allatis in hæc verba erumperet: *S. Blasi, qui peregrinus his locis, sicut & ego esse cognosceris, pro meis ad DEUM intercede peccatis.* Sequentia distinctè audire meruit: *Sedes tua in cœlo, jam dimissis peccatis parata est.* *S. Fintanus reclusus.*

A. C. 806. Post Waldonem Augiensibus Hayto sive Hatto præest, fama non minore eruditionis & virtutis quam Waldo, nec impari apud Cæsarem auctoritate, quæ Eginonem Episcopum malè habuêre, quod non ita liberè Augiæ atque S. Galli Monasterio inhiare & frui speraret. *Haythonis fama.*

A. C. 807. Ingens ad Augiense Monasterium cùm propter florentissima illic studia, tum Religionis Monachicæ desiderio concursus, ita ut Illustrissimorum Germaniæ Magnatum liberi certatim cucullum exambirent, potentissimi religiosissimique Pontifices infulas abiicerent, ultimi Monachorum esse expeterent. è quibus sub hoc tempus Hartricus, Lambertus aliique plures, in eodem Monasterio, sese jugo sanctissimæ regulæ subjecerunt. *Florens Augia.*

A. C. 808. In sacra Vischingensi Hæremo videtur hoc etiam tempore, pro Heremitica successisse Cœnobitica institutio, etsi multo post Cœnobium in Abbatiam erigeretur. *Vischingen. Monast.*

In Monasterium Campidonense scholæ etiam introductæ mirificè floruêre, & Agapitus Abbas ibidem insignem Bibliothecam condidit.

A. C. 809. Insigni erga Augiam ejusque Monachos affectu Carolus Magnus Imperator, iisdem hoc anno inter alia dona & gratias, Ulmam (potentissimam hodie urbem) elargitur, cum omnibus juxta quæ ad ipsam pertinebant. quam ad annum usque Christi 1346. subjectam possederunt. Ipso anno Werdone extincto, Wolfleos Abbas S. Galli eligitur, ita Divo Hermanno Contracto attestante, Ratperto autem Sangallensi Gozbertum ponente, quem Contractus (& benè) Wolfleoni ad Episcopatum promoto substituit. *Ulmam donata Augiæ.*

A. C. 810. S. Meginradus sive Meinradus Comes Sulgoviæ, quinquennis etiamnum in Augiam Divitem ducitur, & Heyttoni cognato Abbati, *S. Meinradus in Augia.*

Zollerano Comiti educandus committitur & commendatur. Hic Erlebaldo consanguineo item, nepotulum avunculo erudiendum litteris tradit, qui sanctitatis non minus studiis, quam litterarum puerum præclarè imbuit, ita ut jam tunc omnibus esset ob virtutem summæ admirationi.

Legatus Orientis.

A. C. 811. Nicephorus Orientis Imp. Arsaphium Aulæ Archimariscallum Legatum ad Carolum mittit, pro pace firmanda & Amicitia sancienda, quo fine cum eodem Carolus Heyttonem Augiensem Legatum destinat sibi apprimè charum, in cujus prudentia & dexteritate plurimum confidebat. Interea, cæso Nicephoro Stauratius filius successit, juvenis arrogans, juratus Romanorum hostis, qui Heyttonem contemptum suscepit, viliter habuit, ita ut nuspiam de vita securus, & ægre admodum ad Carolum reverteretur.

Haytthonis querela.

A. C. 812. Reduxex Oriente Heyttho, cum per suam absentiam, ab Advocato loci Bertholdo Juniore Pussii Comite pessimè afflictos Augienses intelligeret, Carolo supta omnes Græcorum injurias, acerbius questus, litteras impetravittanto Cæsare dignas, explicantes munus Advocati, & Monasterii cujusque & Abbatis in Advocatos potestatem, pro libitu deiiciendi ut famulum, non Dominum, & liberè semper quemcunq; semper vellent eligendi. Ipso anno luit Legationis violatæ scelus permittente Numine Stauratius, à suis interemptus, successorq; Curopalata, Michaelem Episcopum & Theognostem Legatos ad Carolum misit, quæ Nicephorus cœperat prosequuturos. Meminit injuriæ Legato suo illatæ Cæsar, & Orientis Legatos per avia & invia circumduci jussit, donec rebus omnibus deficerent. Excepit denique tanta majestate, ut verbis, mox animo deficerent, cum Cæsari proximum, ante filios ipsos consanguineosque Hayttonem conspicerent, quem nupertam indignè tractaverant. Ita abjecti ad Cæsaris pedes veniam rogant, & intercedente pro eis Haythone, impetrant.

Advocati Sacrilegi.

Ultio Divina.

Caroli Majestas.

A. C. 813. Fatalis hic tandem annus Eginoni Constantiensi Episcopo in S. Galli crudeliter injurio, quorum privilegia ex parte falsificavit, ex parte omnino combussit. successit Wolfoleus sive Wolfleon S. Galli Abbas, multo quidem rerum usu & comptus prudentiâ, modica tamen fide & nulla in confratres pietate; nec multum Eginonis dissimilis, cujus ex fratre nepos erat. Sangallenses non rogato Wolfleone Gezbertum Abbatem salutant, Episcopo nihilominus jus sibi in Sangallensium bona arrogante.

Egino Episc. obiit.

Wolfleos Episc.

Gozbertus Abbas.

Heyttho.

Heytto Episcopus simul Basileensis & Abbas Augiensis, dissimillimus Wolfleonis, Fratrum suorum, uti parens filiorum, curam diligentissimam habuit, utrobiq, Principem optimè meritum agens, qui hoc anno privilegia Augiensium solemniter ab Imp. confirmari impetravit.

Ipso anno initium facit condendi Monasterii S. Georgii in Hercinia Hezelo quidam.

A. C. 814.

Digitized by Google

A. C. 814. Luctuosissimus hic annus Constantiæ nostræ, ob amantissimi sui Principis, Magni Caroli mortem fuit, quem uti alterum Conditorem cives nostri merito venerati sunt, qui tractus nostri mirifica temperie & plausibilitate delectatus, sæpius, quantum per negotia Imperii licuit, & diutius substitit, & Episcopatu ejusque Monasteria & Ecclesias plurimum extulit & locupletavit, Cathedrale, Augiense, Sangallense, Campidonense sæpius invisit, & scholas in iisdem litterarum que studia mirificè promovit & fovit, siquis unquam Cæsarum, jure merito, re & nomine Magnus cognominatus. Certè ad Waldonem & Haytthonem Augiæ Abbates & Basileæ Episcopos ita propensus fuit, ut Episcopatum illum, in illorum gratiam tantopere extolleret, ut alter ejus Fundator haberi possit. Cujus memoria in omnium mortalium ore & corde, ob egregia de orbe Christiano merita æternum versatur, & sancta habetur.

Mors Caroli Magni.

Merita.

Waldo & Heyttho.

A. C. 815. Nunc primum Gozberti electionem ponunt nonnulli, quæ nisi maturius suscepta à Sangallensibus fuisset, mille interea & pericula & impedimenta intervenissent. Wolfleos siquidem oeconomiam & munia omnia â religiosis suis confratribus auferens, sæculatibus, & hostibus Monachorum omnia credidit, & professionis suæ omnino oblitus, in propriam matrem & suos fratres impius, nihil non per summam arrogantiam & regnandi libidinem agit, merito à sanctis scriptoribus, pessima nota inustus.

Wolfleonis iniquitas.

A. C. 816. Absolvit hoc anno Basilicæ Marianæ in Augia Divite structionem Heyttho sive Hatto ejusdem loci Abbas & Episcopus Dasileensis, magnoque concursu vicinorum Principum & Magnatum, ipsius solemniter consecrat. Fundationem Cœnobii Lucernatis ad hos primum annos referunt nonnulli, nos superiore sæculo dedimus, nunc autem de novo dotatum arbitramur.

Dedicatio Augiensis.

A. C. 817. Tristissimo incendio in cineres collabitur, Illustrissimum Campidonense Cœnobium, per incuriam Tyronis canditati incensum, cum forte lucernam minus curaret, nec de cujuscunque amissæ rei damno tantopere doluêre Ascetæ, quam de instructissima Bibliotheca, quam ex Manuscriptis pretiosissimis libris comparavit Abbas Agapitus, hoc ipso anno mœrore in mortem actus.

Campidonum exustum.

A. C. 818. Restaurat sollicitè Campidonem Gotthardus de Kaltenberg Agapiti defuncti successor. Aquisgranensis patria, integritate vitæ ac probitate morum, haud minimùm commendatus & ante omnia Dormitorium, ac Refectorium, ut vocant, pro dignitate loci, ac religiosissimi & nobilissimi Ascetarum cœtus, exstruit.

Campidonum restaurata.

A. C. 819. Sedulius Scotus sub hoc tempus celebratur, pietatis doctrinæque laudibus insignis, non Presbyter ille, qui Theodosio Imp. clarnit.

Sedulius Scotus monachus.

Digitized by Google

claruit & ipſe patria Scotus, nec ille Hildeberti Epiſcopi diſcipulus, qui aliquot ſæculis hoc noſtro poſterior fuit; ſed Sangallenſis procul dubio Monachus, ubi primis initiis omnes deinceps plurimi Monachi ex Scotia fuêre oriundi.

Iudith. Aug. Imp.

Ipſo anno, magna urbis noſtræ gratulatione, & vicinorum plauſu maximo, Ludovicus Imp. poſt mortem Irmgardæ primæ conjugis Juditham ducit Guelphonis I. Alemanniæ Ducis filiam, Iſenbardi neptem ex Irmentrude S. Hildegardis ſorore.

Heiggo Epiſc. fit mon.

A. C. 820. Heiggo (diverſus ab Heytthone, qui Baſileenſis fuit Epiſcopus) Epiſcopatu relicto, qui non memoratur, in Augia Divite Monachum profitetur, quod Monaſterium iſtud, haud minus inſula Lirinenſi, ſanctitatis opinione celebre haberetur.

Translatio S. Marci.

Veneti hoc anno Sacrum Divi Marci Evangeliſtæ corpus Alexandriâ ad urbem ſuam transferunt, cuſtodibus ejusdem Stauratio & Theodoro, Barbarorum jugi pertæſis eodem quoque commigrantibus, quod deinceps in Augiam Divitem translatum, noſtri contendunt.

S. Meinradi progreſſus.

A. C. 821. Miris cùm in virtute, tùm ſtudiis litterarum progreſſibus ſeſe in Augia commendat S. Meinradus, ſive Meginradus, in ſacros inprimis codices propenſiſſimus, Sacras Teſtamenti utriusque tabulas ſuâmet manu deſcribendo, Joannis Caſſiani præterea lectione ita ſuccenſus, ut omnia quæ legerat ſuo exemplo conſignaret.

Heyttho Legatus Imp.

Eodem anno legatio inſignis delata à Ludovico Cæſare Heythoni noſtro Augiæ Abbati & Baſileenſi Epiſcopo ad Paſchalem Papam quam ipſe Romam profectus ſummo cum honore dexterrimè obiit, Pontifici non minus quam Cæſari charus & plurimum commendatus.

Heytho fit denuo Mon.

A. C. 822. Memorabili & iterato quidem rerum mundi omnium contemptu Heytth› (Hatthonem alii, nonnulli Otthonem & Hettonem vocant) ex illuſtriſſimo olim pauper monachus, inde Abbas Augiæ opulentiſſimus, mox Baſileæ Epiſcopus, ſanctiſſimorum Cæſarum & potentiſſimorum Conſiliarius intimus, utrique intime charus, ſummis pro utroque legationibus perfunctus, denuo honoribus omnibus ſeſe abdicat, ultimus eſſe deligens in domo DEI, ubi exitum vitæ ſperaret proſperiorem, Cæſare haud minimum talem perdidiſſe conſulem dolente. Baſileæ Udalricus, in Augia Inſtitutor S. Meinradi & avunculus Erlebaldus Haythoni ſufficiuntur.

Ejus honores publ.

S. Meinradus fit. Mon.

A. C. 823. S. Meinradus tantis Sanctorum cognatorum exemplis accenſus, etſi ad ſæculi illecebras & voluptates, certa magnæ hæreditatis ſpe alliceretur, nec mali ſuaſores, Cacodæmonis inprimis artes deeſſent, generoſiſſimo tamen omnium contemptu & irriſu in Augia ſolemniter DEO ſe devovet, & Monachum profitetur, Tartaro deinceps apertis

Digitized by Google

apertis minis atque insidiis illustrissimum juvenem tentante & persequente.

A. C. 824. Nominatissimus hic Augiensibus Chronicis annus memoranda & inprimis celebranda B. Wettini Augiensis Monachi quadam extasi & visione, de pœnis peccatorum à morte, quam mortis ipse suæ præscius Haythoni nuper Episcopo & Walafrido Straboni etiamnum puero aliisque dictavit. ipse paulo post, pridie Nonas Novembris hoc ipso anno, ad præmia æterna evocatus. Fuit Wettinus Waltonis Abbatis postea Episcopi ac S. Dionisii Archi-Abbatis, nec non Grimaldi, qui Ludovici Pii Imp. consanguineus extitit consanguineus, cujus visiones, B. Heytto prosa, Walafridus Strabo jussu Adalgisi metro descripsit. *B. Wettini Visio.* *Mort.*

Ipso anno celebrantur initia celeberrimi in Diœcesi nostra Cœnobii S. Georgii in Hercinia, Hessone & Edvardo, Hezeloni, qui ante annos undecim tale quid, sed alio loco, moliebatur adstipulantibus, & alium locum commodiorem eligentibus, in quo sese ipsos Numini devoverunt, & quinquaginta quatuor Fratres insuper ibidem collegerunt & congregarunt, sub Patrocinio S. Georgii à quo Cœnobium est cognominatum. *S. Georgii Hercinia struitur.*

A. C. 825. Erlebaldus Augiæ Abbas, non minus sanctè quam prudenter administrat omnia, rei inprimis litterariæ plurimum consulens, ita ut Alemanniæ totius Archigymnasium Augia audiret, ubi etiam Bibliothecam pretiosissimo Manuscriptorum thesauro auxit, suoque exemplo etiam alia Cœnobia conciravit, ut siqua alia re utiliter orbi, istà utilissime consulerent, & infinitos quasi thesauros orbi omnique ejus posteritati reservarent. *Erlebaldus Abbas.* *Bibliotheca Augiensis.*

A. C. 826. Versatur jam tertium annum in molienda nova Basilica Gozbertus Abbas S. Galli, florente nihilominus eo loci Ascetarum insigni sanctitate, etsi à proprio confratre, Wolfleone Episcopo indignis modis tractarentur. quem tamen bonum Numen, incertum quo anno, insigniter castigans, manifestum in oculis Cæsaris ipsius evidentissimæ nequitiæ reddidit, cum falsificatum, summeque injurium in confratres, prolaturus instrumentum, per errorem manus, volente Numine, Caroli Magni protulit, quo Religiosis omnimoda libertas, & summæ gratiæ decernebantur. Exoscu- lante litteras sancti parentis pio filio, easque quamprimum solemnissimè approbante. impietate Episcopi toti aulæ patefactâ, Ascetasque magno plausu prosequentibus. quod quantum Wolfleoni doluerit, facile quivis ominetur. *Nova S. Galli Basilica.* *Wolfleoni confusio.*

A. C. 827. Illustrissimus hic annus cœloque ipsi plausibilis, felicissimo à terris transitu magni omnino Diœceseos nostræ syderis S. Fintani Principis lectissimi, Rhenaugiensis Ascetæ, cum 27. annos à conversione, vitam incredibili atque intelerabili pene rigore, sibi revera Martyri ipsus Carnifex, mirâ patientiâ exegisset, miraculis & crebris cœlestibus visionibus illustratus. *Moritur S. Fintanus.*

Vita mirabilis.

Deceſſit autem XV. Novembris, cujus vitam & glorioſiſſima contra totos inferi exercitus certamina Anonymus quidam fide digniſſimus Scriptor accuratè deſcripſit, & Goldaſtus atque Henricus Murerus typo evulgarunt. ad quos brevitatis ſtudio lectorem mittimus.

Ludovicus Pius conſtantiam colit.

A. C. 828. Urbi noſtræ plurimum favet Ludovicus Imperator, & omnibus totius Diœceſeos Cœnobiis, ipſe non minus quam Aſcetæ religioſus, quibuscum ſæpius religioſè converſabatur. In Augiam autem valdè liberalis, Benefactoris ſingularis titulum meruit. In ſtructione Baſilicæ S. Galli, Miraculum. nunc eveniſſe videtur, ut cum columna quædam lapidea ruptis funibus præceps ferretur, Religioſus quidam invocata patroni ope ſuſpenſam in aëre mereretur, donec denuo ligata, ritè collocaretur.

S. Meinradus Bollingæ.

A. C. 829. Bollingenſibus Doctorem ab Erlebaldo Abbate Divitis Augiæ poſcentibus S. Meinradus jam Presbyter eodem deſtinatur, ubi ſanctitatis ſpecimina inſignia edidit, fama longè lateque propagata, ita ut ad ipſum tanquam Delphicum oraculum undique concurreretur.

Baſilica abſoluta.

A. C. 830. Abſolvit hoc denique ſeptimo ſtructionis anno Baſilicam Sangallenſem Cozbertus ſive Gosbertus Abbas, & ſolemniter dedicari curat; Translato inde Sacro Divi Othmari corpore in Eccleſiam S. Petri. Laborem manuum commendat in ejusdem Eccleſiæ conſtructione B. Notkerus Balbulus, Sanctis loci Aſcetis totius rei ſatagentibus:

Juſtitiæ Gozbertus Heros, Fratris Winhardi
Artibus eximiis, faſces portantibus omnes
Pauperibus Monachis, lapidum, calcisque & harenæ, &c.

Translatio S. Marci.

Ipſo anno memoratur à Chronicis Augienſibus celeberrima translatio corporis Magni Evangeliſtæ Marci, Venetorum Tutelaris mirifici, opera, ut ferunt, Ratoldi ſive Ratolphi veronenſis Epiſcopi, cujus Hiſtoriam MS^tam. tomo II. Conſtantiæ noſtræ Benedictinæ tranſcripſimus, quam Veneti quidem pernegant, nos autem neutros offenſuri (cum utrique rationes & argumenta afferant) in fide ſua & opinione utrosque relinquimus.

Moritur Wolfleon Epiſc.

A. C. 831. Extinguitur denique ſuo ipſo nomine dupliciter notatus Wolfleos Conſtantienſis Epiſcopus, indignus olim S. Galli Monachus, fratrum deinceps ſuorum hoſtis juratus, ambitione turgentiſſimus, etſi ſub vitæ finem remiſiſſe non nihil videatur. Cui Solomon eo nomine primus

Salomon I. Epiſc.

ſucceſſit, haud imparigeneris nobilitate, nobilior animi generoſitate, qua tantus auri contemptor, quantus ille improbis artibus conquiſitor extitit. In-

Epiſcopi cella.

ſigne enim Canonicorum in commune viventium, nullâ certâ adhuc Regulâ, ſed ſub unius Præpoſiti derectione degentium, in pago à ſe cognominato Salmſach ſive Salmonſach fundavit, quibus majorem partem etiam electus & conſecratus Epiſcopus, cohabitavit, & ad Divinorum amorem excitavit.

A. C. 832. S. Meinradus fama ſanctitatis proditum ſe dolens, Bol-

lingâ

lingâ ſe ſubducit, & ad Ecelii radices primùm, dein in ipſo montis vertice conditò viduæ cujusdam ope ſacello & ædicula, ejusdem liberalitate alimentoq́; vitam heremiticam toto ſeptennio continuat ſibiq́; ſoli ac Numini vacat. qui locus usque hodie religiosè colitur, & à peregrinis frequentatur. *S. Meinradus in Ecelio.*

A. C. 833. Stupente orbe, & urbe inprimis noſtrâ ac Diœceſi, Ludovicus Opt. Imperator à propriis filiis exauctoratur, cui nemo non pius plurimum condoluit, Religioſi inprimis, quorum omnium parens extitit, qui pro ipſo ſollicitè Numen precibus interpellare non ceſſaverunt; caute interim agentibus civibus noſtris, ne Ludovicum Germanicum poſtea dictum offenderent, cui provincia noſtra credita erat, urbe nihilominus ad parentem pertinente. *Religioſorum precat.*

A. C. 834. Nunc primum plerique Baſilicam S. Galli à Gozberto Abbate ante triennium abſolutam ſolemniter dedicatam contendunt, à Salomone Conſtantienſi Epiſcopo, Præſentibus etiam Udalrico Baſileenſium Pontifice & Erlebaldo Augiæ Divitis Abbate. *Dedicatio S. Galli.*

A. C. 835. Ratoldus ſive Ratolphus Epiſcopus, inſigne à ſe cognominatum, Divi Benedicti ſub Regula, prope cellam ſuam, condit Cœnobium coloniamque Monachorum ex Augia Divite inducit; cui cum tempore inſigne accrevit oppidum, Cellenſe hodie nuncupatum, nullis porro Cœnobii veſtigiis apparentibus. *Ratolphi Cella.*

A. C. 836. Felici ad Superos tranſitu annum hunc conſignat beatus Heytho ſive Hattho Augienſis quondam Abbas & Baſileenſium Pontifex, iisque ſponte reſignatis, humilis monachus, non tam genere quam virtute S. Meinradi cognatus. qui in Monaſterio Augienſi vitam S. fine concluſit. cujus extat Hodæporicum, quo ſuæ ad Orientis Imperatorem à Magno Carolo Legationis læta adverſaque deſcripſit. ſed & Wettini viſiones ab eodem deſcriptæ, quas dein Walafridus Strabo metro complexus eſt. *Moritur B. Heytho.*

A. C. 837. Moritur, non ſine ſanctitatis opinione, Gozpertus S. Galli Abbas, alter ejus loci Fundator, forti in adverſa animo Præſul & inſigni prudentia; Sed & eruditione conſpicuus, qui alia inter vitam S. Galli compoſuit, cujus, Strabo, libro I. cap. ultimo, & libro 2. cap. 10. meminit. ſucceſſit Bernwicus (aliis Berewicus, & Pertiwicus, quem ſibi ſuperſtiti Adminiſtratorem adjungi ipsè Gozpertus expetierat. *Moritur Gozbertus Abbas.* *Bernwicus Abbas.*

A. C. 838. In Augia Divite Beatæ memoriæ Erlebaldus Abbas, Divi Meinradi avunculus, Præſulatu ultro ſeſe abdicat, pertœſus injuriarum à filiis Cæſari illatarum, & diſcordiarum inter eosdem concitatarum, & quod periculoſus in partes favor & inclinatio eſſet, diſcipuli item & nepotis S. Meinradi, contemptum mundi exempla excitarent, ne Magiſter à diſcipulo vinceretur. Subrogatus decedenti Rudhelmus ſive Rodhelmus. Ipſo anno crebrioris ad ſeſe hominum occurſus impatiens S. Meinradus, Ezelium monachem deſerens, interiora deſerti penetrat, ibiq́; domicilium quærit, ubi pridem *Erlebaldus reſignat.* *S. Meinradus locum mutat.*

Regina Cœlitum ſibi elegit, hodieque habitare grandibus prodigiis prodit, cujus cum tempore ibidem Aſceterium Einſidlenſe fuit conditum.

Erlebaldus obiit. A. C. 839. Erlebaldus, non diu ſuperſtes poſt reſignationem, ſub hoc tempus vitâ excedit, non ſine ſanctitatis & ipſe opinione, in Augia ſepultus. Inſigni liberalitate Ludovicus Pius Imp. varia Monaſteria demeretur, & nunc quidem una donatione Augiæ Diviti pagos: Altheim, Riedlingen, Walthauſen, Oſtheim, Meringen (aliis Beringen) Tettingen, & Rödelingen, elargitur.

Mors Lud. Pii Imp. A. C. 840. Varia prodigia mortem Ludovici Imperatoris noſtri verè Pii deſignant, qui coactus movere in filium Ludovicum Juniorem, congreſſus in fugam compulit, non multo poſt ſanctè in Domino obdormiens, cum vix aliquod Cœnobium ſua liberalitate non complexus eſſet, filiis Ludovici mox à morte patris omnia turbantibus.

Conſtantia periculum. A. C. 841. Conſtantia noſtra haud leviter periclitatur, armis circumundique crepitantibus, dum Ludovicus Junior, ingenti cum exercitu lacui Potamico imminens, à Lotharii Imperatoris exercitu prope Brigantium invaditur. *Pugna atrox.* Prælium atrociſſimum commiſſum fuit, quo Cæſareani victi & recipere ſeſe coacti ſunt non paucis ſuorum amiſſis, Adalberto inprimis Rhætiæ Præſide, lectiſſimæ notæ Principe, quem nemo non vicinorum magno luctu deploravit. *Gotthardus Abb. ob.* In Monaſterio Campidonenſi moritur Gotthardus Abbas, ſuccedente Erckenberto (quem nonnulli Adalbertum vocant) Moringero ab Hopfenbach, Hittonis Friſingenſis Epiſcopi germano fratre, & in Epiſcopatu ſucceſſore, quam etiam dignitatem juxta Campidonenſem Abbatiam & Principatum retinuit, & utroq; munere ſtrenuè functus eſt.

Grimaldus S. Galli Abb. A. C. 842. Engelberto etiam S. Galli Abbate hoc an priori anno defuncto Grimaldus ſive Grimoaldus Ludovici Regis Archi-Capellanus locum & ſedem vacantem exambit, & à Rege Beneficii loco accipit. Id etſi acerbè ſentirent Aſcetæ, & vix confirmata à parente Ludovici & avo liberè eligendi *Commendatarius.* jura, à filio & nepote violari plurimum dolerent, ne tamen victoria recenti tumidum offenderent, tolerarunt, Commendatario hoc ita ſe habente, ut meliorem eligere è gremio non potuiſſent.

Walafridus Strabo Abb. Rodhelmus ſive Ruthelinus, Augiæ Abbas, ne ſe Regum litibus commiſcere cogeretur. Præſulatu ſponte ſe abdicat, Walafrido Strabo, ſive Strabone in ejus locum delecto, viro ſancto æquè ac docto, cujus fama usque hodie magna in orbe eſt, atque ingens inde Diœceſeos noſtræ ornamentum.

Judith Imp ob. A. C. 843. Magno luctu Urbis & Diœceſeos noſtræ vitâ excedit Judith Guelphica Imperatrix Auguſta, Ludovici Pii Imp. conjux. mater Caroli poſtea Imperatoris, cognomento Calvi, quam ut Principum noſtrorum *Concivis noſtra.* filiam & concivem, & gloriam ſingularem Diœceſeos noſtræ, ſingulariter

omnes

Digitized by Google

omnes coluere, & viciſſim gratioſiſſimam experti ſunt, Weingarttenſe autem ſive Altorffenſe Monaſterium, alteram quaſi Fundatricem coluit ſuſpexitque. Uſi benevolentia Commendatarii Abbatis Grimaldi Sangallenſes, ipſius ſingulari adniſu, violatum nuper libere eligendi jus, confirmari à Lothario impetrant, moxque ipſomet volente exercent, Hartmuoto unanimi conſenſu electo, qui Grimaldo decedenti ſuccederet. Grimaldus autem de diſciplina non minus ſollicitus, quam ſi in ipsâ à puero fuiſſet educatus, Monaſterium mirè excoluit, omnibus pater extitit. *S. Galli libertas redditur.*

A. C. 844. Nulla ſola absque ſocia calamitas. Sequitur ſororem Auguſtam morte Conradus Major Domus Regiæ, æterna Diœceſeos noſtræ, in qua natus & educatus eſt, gloria, Princeps ſapientiſſimus & glorioſiſſimus, parens Roberti Fortis, avus Roberti Ducis & Regis Franciæ, proavus Hugonis Magni, Hugonis Capeti Regum omnium Galliæ in hodiernam usque diem Archiparentis abavus. ut nunquam ſatis ſibi gratuletur Diœceſis noſtræ & Auſtriacæ Domus Regum & Cæſarum, & Galliarum, ſeſe principem patriam extitiſſe. *Conradus Guelphicus.* *Gloria Diœceſeos.*

A. C. 845. Etſi florentiſſima eſſent litterarum apud nos ſtudia in Monaſteriis, Cathedrali Conſtantienſi, Sangallenſi, Augienſi Campidonenſi, &c. eoque inſignis etiam concurſus ſæcularium eſſet, ipſi tamen Religioſi, pro fama Profeſſorum, & majore ſpe profectus, ſuos Religioſos longè lateque miſerunt, in omne ſcibili inſtituendos, quod dein etiam aliis traderent & totam demererentur poſteritatem. Ita ſub hoc ipſum tempus, cum totam Europam admiratione raperet B. Rabanus Maurus Fuldenſis Monachus, *Armarium Scientiæ* appellatus, miſſi ad ipſum è S. Gallo diſcipuli ſunt. Helpericus & Werembertus Monachi, mirificè in Theologicis & Philoſophicis, Aſtronomicis & Græca lingua aliisque profecêre. Nec dubium ſuos quoq; miſiſſe ſtrabus & ipſe nuper Rabani diſcipulus, ita ut deinceps litterarum & ſcientiarum omnium ſtudia, Arabicæ item, Chaldaicæ, Hebraicæ, &c. linguæ peritia & notitia in Germania, & Diœceſi inprimis noſtra ejusque nunc memoratis Cœnobiis, ad miraculum effloreſcerent. *Florentiſſima ſtudia.* *Armarium Scientiæ.* *Viri docti.*

A. C. 846. Ludovicus Germaniæ Rex apud nos Paſcha celebrat & cum aula ſua aliquamdiu prope lacum Potamicum moratur. Clarent apud nos Nothardus Princeps Agilolfingus & Rorinna conjux ejusdem, Amberti Lotharingiæ Ducis filia, utrique in Campidonenſe Cœnobium profuſiſſimi, cui Rorinna, alia inter, varia ex auro argentoque ornamenta ad cultum Divinum & Eccleſiæ contulit. Grimaldo in aula & regiis negotiis occupato Hartmuotus Adminiſtrator conventum ſplendide ſtruit, & ædes inſuper tanto Abbate dignas molitur, qui tantopere de S. Galli meruiſſet. *Ludovicus Rex, &c.* *Donatores Campidonii.*

A. C. 847. Marcus quidam Scotiæ Epiſcopus, una cum Marcello, ſuo ex ſorore nepote, dum ad S. Galli, tanquam concivis reliquias devote peregrinatur, *Marcus Epiſcopus mon.*

regrinatur, totus amore ſancti & loci captus, ibidem ſe devovet Marcello viro inſigniter erudito, Divis humanisque litteris inſtructiſſimo ſcholæ commendatæ, quibus magnâ cum nominis famâ, fructuque diſcipulorum incomparabili præfuit, aliosq; inter diſcipulos, tres longè illuminatiſſimos mente ſanctos Notkerum, cognomento Balbulum, Ratpertum & Tutelonem habuit. de quibus ſæpius deinceps erit mentio facienda.

Diſcipuli letiſſimi.

A. C. 848. Celebris modo habetur memoria Salomonis Comitis de Ramſchwag, juvenis non minus ingenio quam ſanguine Nobilis, Salomonis Conſtantienſis Epiſcopi, niſi fallimur, cognati ſeu nepotis, ab eodem cognominati, qui ſub hoc ipſum tempus Iſone Magiſtro, viro ſanctitatis nomine non minus illuſtri, quam eruditionis, inſigniter tam in litteris, quam pietate profecit, donec cum tempore ſæculum ejurans, Sacro illo Monachorum collegio inſereretur. S. Meinradus interea, in obſcurâ, de qua ſupra, denſiſſimarum ſilvarum latebra, inferis odioſiſſimus, inſtar Magni Antonii variè tentatur, mire affligitur. Clara aliquando die, immenſo agmine totus convolare Cacodæmonum exercitus, denſitate ac tenebris lucem involvere, inſtare minacibus & trucibus formis, intentare minas, necem, jam jamque in virum DEI irruere; cum ille projectus paſſis in crucis formam brachiis opem cœlo devocare. nec fruſtra, effulſit quamprimum cœleſtis ab Oriente fulgor, in quo Tutelaris Angelus in monſtra involans, terriculamenta omnia quamprimum diſſipavit, & immunem deinceps fore ab ejusmodi infeſtatione promiſit.

Salomon C de Ramſchwag.

S. Meinradi ſolitudo.

Triumphus de Inferis.

A. C. 849. Walafridi Strabonis morte lugubris Germaniæ, plauſibilis cœlo annus, qui hoc anno Augiæ extinctus, cœlo illuxit. nec deſinit usque hodie etiam terris lucem præferre, relictis egregiis magni ingenii monimentis. quæ inter æternitate digniſſima eſt *Gloſſa* quam Ordinariam & Magiſtralem vocant, ſuper totis Bibliis collecta ex dictis ſanctorum Patrum: In Geneſim Comment. lib. unus; in Exodum lib. 1. in Leviticum liber I. Plures item libri in diverſos ſcripturæ libros. Commentarius in Epiſtolam S. Hieronymi ad Marcellam de Hebraicis nominibus. Eclogæ Tractatorum in Pſalterio, volumen unum. Vita S. Galli, libri 2 Eadem metrice lib. 1. Vita S. Othmari lib. 1. De officiis Divinis, exordiis & incrementis rerum Eccleſiaſticarum liber 1. De comparatione mundanarum & Eccleſiaſticarum dignitatum, liber unus. Epiſtolarum ad diverſos liber unus. Opus integrum vitæ S. Mammetis Martyris & Monachi, &c. Viſio Wettini. Hortulus ejusdem ad Grimaldum Abbatem. Tractatus de ſubverſione Hieruſalem in caput 19. Lucæ. Chronicon Fuldenſe, quod tamen non perfecit. Libellus de Arithmeticis dimenſionibus, &c. Ut facile animadvertas, quantum hujus unius viri ſplendor Conſtantienſi Diœceſi afferat, qui Eccleſiam & Orbem illuſtrat univerſum.

Mors B. Walafridi.

Gloſſa Ordinaria.

Opera Ejusdem.

Libri Strabonis.

A. C. 850.

Digitized by Google

A.C. 850. Nec minore luce nunc effulget ad S. Galli beatus Iso ejusdem loci Monachus & Professor insignis, illustri natus genere parentibus non minus sanctitatis famâ, quam familiæ splendore radiantibus, cujus fama & eruditionis, & sanctitatis, non Germanias solum, sed vicinas quoque provincias latè est pervagata, multosque Illustrissimorum & Illustrium virorum liberos ad studia cum pietate jungenda utilissimè attraxit, & voti utriusque compotes reddidit. Nec puduit aut tœduit virum tantopere doctum & illuminatum, etiam parvulos, prima docere elementa, quod matri eo etiamnum prægnanti prænunciatum à Numine est, cum videretur sibi ericium parere puerulosque plurimos accurrere videret, ipsique stimulos eruere. quod Matri sollicitæ super hoc interpretatus B. Eusebius (de quo suo loco) hisce respondit: *Filium pariet, qui Doctor erit Magnificus, & multos pueros, ipse asper disciplinis, stylis armaturus, &c.*

B. Iso Mon. S. Galli.

Visio Matris ejusdem.

A.C. 851. Salomon eo nomine, ut diximus, primus, multa ad honorem DEI motus, alia inter jam cœperat insigne Cœnobium Ordinis S. Benedicti condere, ad amnem Sintriam, vulgo Sitter, haud procul Ramsvvagio, avita Majorum, ut opinamur, sede, quod avitis quoq; possessionibus, etiam, prius quam ageret Episcopum, dotare proposuerat; Episcopus autem majore studio promovebat, ita ut nunc plurimum consurgeret, in eoque jam libentius, cum Religiosis suis, quam Constantiæ, inter frequentem Nobilium & civium occursum consideret, quod à se deinceps cognominari, Episcopi Cellam voluit.

Episcopi Cella.

Lucernense Cœnobium & opibus crescit & civibus, paulo post oppidum ac deinceps urbem molientibus, quod hoc anno confirmat tanquam jam pridem proprium membrum, Monasterio Murbacensi Cæsar Lotharius, etsi Lucerna ad nostram Diœcesim pertinere non ignoraret.

Lucernense Cœnobium Murbaco subjectum.

A.C. 852. Post Regulares habitationes Monachorum, & ædificium Abbatiale & commodè & splendidè ab Hartmuoto ad S. Galli constructum, idem pro Grimaldo in aula degente rerum Administrator totus ad Basilicæ ornatum convertitur, sed & multus est in Bibliotheca augenda & majoris momenti libris comparandis.

Hartmuoti conatus.

A.C. 853. Tigurinum SS. Felicis & Regulæ Cœnobium, sive disciplinâ collapsum, sive temporum injuriâ & calamitate, sive etiam Oeconomiæ minus felici administratione Ludovicus Germaniæ Rex præclarè restituit, Regiâ donat munificentiâ, & Hildegardem præficit filiam, cucullum enixè præ omni regia purpura & voluptatibus ambientem.

Tigurini Monasterii Abbatissa.

A.C. 854. Lotharius Imp. altiora jam mente concipiens, & de Regnorum omnium Principe & æterno cogitans, indicibili penè liberalitate Sacrorum hominum exambit favorem, & maximis thesauris in Ecclesias & Christi pauperes effusis, amorem sibi Cœlitum & Numinis conciliat, in nostræ etiam Diœceseos Monasteria regia Magnificentia liberalis-

Lotharii Imp. Liberalitas.

Ipso

Erckenbertus Abb. moritur. Ipso anno moritur Erckenbertus, aliis Erenbertus & Adalbertus Campidonensis Princeps & Abbas, idemque Frisingensis Episcopus, ab insigni maximè castimonia commendatus. Sepultus est Frisingæ, ubi etiam supremum decubuit, cum sequenti Epitaphio, in Sacello, quod ipse construi curaverat, S. Petri.

Lotharius Imp. monachus. A. C. 855. Stupente orbe universo, subito diadema & sceptrum florentissimis rebus abiicit Lotharius Imperator Augustus, & in Prumiensi Monasterio Monasticen profitetur. Ludovico filio in Imperium succedente.

Thesaurus repertus. Contadus Dorn de Kalbstaugusta post Erckenbertum Campidoni Princeps & Abbas, dum puteum in arce Hillermontana effodi curat, cistam ferream reperit aureis & argenteis numismatibus plenam aliisque thesauris, quæ omnia ipse pro cultu Ecclesiæ expendit, multaque spectatu digna confici curat.

S. Eusebius Scotus. A. C. 856. Effulget admirabili vitæ sanctitate egregium Diœceseos nostræ sydus, S. Eusebius, Scotus patria, professione Sangallensis, vir prophetico spiritu clarissimus, ex licentia sui Abbatis in campo S. Petri, monte, qui S. Victoris hodie appellatur, vitam solitariam degens, quem maximi Reges & Cæsares, cùm invisere, tum de rebus gravissimis consulere consuevere, ab ipso frequenter, de eventuris edocti.

Hercinia florens. A. C. 957. Hercinia instar Paradysi Domini germinans germinat fructus mirificos virtutum omnigenarum, in tribus maximè Cœnobiis Divi Blasii, S. Trudtperti, & S. Georgii, quæ magna sumentes incrementa, sanctitatis splendoribus mirificum decus Episcopatui Constantiensi contulerunt, magno in vicinos à tantis exemplis fructu redundante.

Volcuinus Abb. ob. A. C. 858. Volcuinus sive Chalcionius Augiæ Divitis Abbas moritur, de quo nihil præter nomen Annales memorant, succedit Waltharius, florentissimis Augiæ rebus, Salomone Episcopo communem quasi omnium Monasteriorum patrem agente, imo sedem figente in suo Cellensi, sive Episcopi-Cellensi Cœnobio, & Monasticis exercitiis vacante, quibus vel maximè delectabatur, sibique ac suis consulebat.

Sancti Sangallenses. A. C. 859. Apud S. Halli admirabili vitæ sanctitate plurimi effulgent, trias in primis præstantissimorum virorum SS. Notkerus cognomento Balbulus, Tutelo, & Ratpertus, quorum cor unum erat & anima una, qui & eruditorum suæ ætatis principes erant, terrestres Angeli, cœli spiritibus familiares.

Obiit Hildegardis Abb. A. C. 860. Vitâ excedit hoc anno Hildegardis Ludovici Germaniæ Regis filia, prima SS. Felicis & Regulæ Tiguri Abbatissa, perituroru contemptu glorioſissima, morum non minus dignitate quam Natalium splendore illustrissima, in cujus gratiam Ludovicus Rex plurima illi Monasterio contulit, & alia inter Comense sive Comesii Dominium Monasterio contulit Virgini Hartmuotus, an Ratpertus? Epitaphium posuit.

Hoc

Hoc jacet in tumulo Chriſti digniſſima Virgo,
Hildigarda nitens moribus egregiis.
Hæc fuit eximii Ludovici filia Regis,
Mentem ſponte ſuam voverat ipſa Deo.
Bis denos octo, vitæ compleverat annos,
Migrans ad ſponſum virgo beata ſuum.

Epitaphium ejusdem.

Succeſſit ſorori lectiſſimæ Bertha, non impari morum elegantiâ & virtutum ſplendore. ut ex tantis Antiſtitibus facile de reliquo Virginum cœtu omineris. *Bertha ſuccedit.*

A. C. 861. Mortalitatem exuit Conradus Abbas & Princeps Campidonenſis, multa vitæ innocentia, animi & corporis puritate, & quammaximè ſummâ in Deum religione. Cui communibus Fratrum ſuffragiis Gerungus ſucceſſit, familia Ambergerus, patria Auguſtanus; quem mirè Bruſchius notat: *Vir magis Strennuus & Martius, quam deditus Religioni* etſi juxta, *bonis Monaſterii pater*, fuiſſe perhibeatur. *Obiit Conradus Abb. Camp.* *Succedit Gerungus.*

A C. 862. Evolat longè lateque fama S. Notkeri Sangallenſis ab egregia ſanctitate non minus, quam mirâ eruditione. Sanctitatis præconia omnia referre longum nimis eſſet, quæ Henricus Caniſius tomo VI. memorat recitata in Actu Canonizationis ejusdem. Eruditionis breve elogium indè deſcriptum damus: *Fuit in Scripturis Divinis eruditiſſimus; in ſæcularium quoq; litterarum diſciplinis, omnium ſui temporis facile doctiſſimus, Philoſophus, Poeta, Muſicus, Aſtronomus, Theologus celeberrimus, diſciplinarum exactor acerrimus, in dictando, legendo, orando celeberrimus; Sophiæ doctrinâ famoſiſſimus, meritorumq; ſanctitate beatiſſimus; & ut in brevi omnes ſanctitatis ejus complectar dotes, vas erat Spiritus Sancti, quo ſuo tempore abundantius nullum, &c.* Ad ipſum proin modo non aliter atque ad Delphicum oraculum, magnus concurſus erat, nemine absque fructu ab eodem diſcedente; famâ hâc non Conſtantienſem ſolum Diœceſim, ſed Germaniam & Gallias univerſas implente ſummosque Principes alliciente. *S. Notkerus celebratur.* *Inſigne elogium.* *Fama nominis.*

A. C. 863. Illuſtri coronatur Martyrio, inſigne illud Diœceſeos noſtræ ornamentum, & Columniæ ſive Sulgovianæ & Zolleranæ familiæ columna ſyderea S. Meinradus Augienſis Monachus primus Eremi illius incola, quam Regina Martyrum, ſui Martyris ſanguine primùm conſecratam, ſibi præcipuam in Germaniâ & Diœceſi noſtrâ ſedem elegit, quamque deinceps tantæ Matris filius, Ipſusmet hujus ejusdem honori, ſacravit, ſolemniſſimè inunxit & dedicavit. Occubuit autem XII. Cal Jan. â duobus latronibus, quos amicè refecerat crudeliſſimè mactatus; cœleſti quamprimum odoris fragrantiâ, non cellam ſolummodo ejus, ſed totum nemus adimplente; quo territi miraculo Parricidæ, quod ab ipſis rogaverat, dum *Fit Martyr S. Meinradus.* *Miracula varia.*

cereos duos unum ad pedes, alterum ad caput Divi ſtatuunt, & lumen iis accendendis in facello quærunt, reverſi, novo jam prodigio accenſos repere-

Ultio Divina. re. Cæterum fuga dilapſos, manus Numinis aſſequuta, concitatis in ultionem corvis duobus, quos alere ſanctus conſueverat, & indeſinibili crocitatu, unguiumque infeſtatione, etiam in hoſpitio Tigùri ſceleratos perſequentibus, donec detenti & examinati, crurifragio manifeſtum & confeſſum ſcelus luerent.

Translatio S. Meinradi. A. C. 864. Sacrum Divi Meinradi corpus Waltharius Abbas Augiæ hoc an ſuperiori anno curaverat, multa confratrum devotione ſuſceptum, quod cum ex Eremo jam jam Deiparæ adoptatâ, & Martyris ſanguine ſacratâ efferretur, moveri ſe facile permiſit; ſecus cum Ecelium adeo conſpicuum montem, ſeptennii habitatione à Divo excultum delatum eſſet, immobile deinceps, & lacertos omnium fatigans, imo vincens, donec inteſtina

Waltharius Abb. obiit. loco illi à Numine deſignata illic conderentur. Inde facilis deinceps in Augiam translatio, Walthario Meinradum ſuæ voluntatis interpretem, apud Numen merente, ita ut non multo poſt ſolemnitatem iſtam translati ſacri corporis vocantem ad præmia Tutelarem ſequeretur. Hatthone II. ſubrogato.

Canonizatur S. Othmarus. Ipſo anno pervagantibus totam Diœceſim noſtram & Germaniam encomiis & laudibus S. Othmari, grandibusque ſeſe prodentibus ad tumulum ejus prodigiis, cœleſtibus, lumine & odoris fragrantia, nec non Muſica Angelica, Salomon Epiſcopus noſter ſynodum congregat, & ex ejusdem conſilio Eundem Sanctum Anniverſaria ſolemni memoriâ celebrat.

Grimaldi Abbatis exercitia. A. C. 865. Grimaldus Commendatarius, ut vocamus, S. Galli Abbas, melioris tamen notæ, imo Præſul incomparabilis Aulæ Auguſtæ laboribus fatigatus, tœdio ac faſtidio victus, ad ſuum S. Galliſe recipiens, & Hartmuotum Vicarium ſuum & Adminiſtratorem Regiis negotiis adhibens, ipſe ſe totum Monaſticis exercitiis dedit, diſciplinæ ſatagit, exemplum & exemplar omnibus factus vitæ integrioris & verè religioſæ.

Miracula S. Othmari. A. C. 866. Salomon Epiſcopus, non minus propoſito & exemplo Monachus, quam Grimaldus, feſtivam peragi memoriam S. Otthmari Anniverſariam juſſerat. Hujus minus quam oportebat memor Cellarius Cœnobii, vietoribus ſive doliariis ipſo feſto S. Othmari laborem conſuetum injunxerat, res mira! non ſolum labore totum diem nil profecere, quin & tabulæ dolii violenter obnixæ ſuo ſemper è loco reſiliere, donec

Oculati teſtes. errore agnito ad tumulum Divi accurrerent, & veniam errati exorarent. Nec minoribus deinceps prodigiis non Germanos ſolum ſed Gallos invitavit, Aurelianenſi cive hucusque occurrente, qui Romam fruſtra antea adiverat, cœleſti mandato ad S. Othmarum occurrere juſſus, ubi puer filius ejusdem, miſerrime contractus, evocato ad contuendum miraculum, qui tunc aderat Salomone Epiſcopo, & Heythone Augiæ Abbate, illo quam-

primum

Digitized by Google

primum in ſolemnem Hymnum: *Te DEUM Laudamus, &c.* prorumpente, in omnium oculis prodigiosè curatus eſt.

A. C. 867. Inter alia Hartmuoti Adminiſtratoris per abſentiam Grimaldi, & hujus ipſius nunc ſibi ſoli Deoque vacantis opera erat nova Baſilica, quam honori S. Othmari fabricaverant, quæ hoc ipſo anno abſoluta, ſolemniter à Salomone Epiſcopo dedicata eſt. In quam 8. Kal. Oct. ſacrum Divi corpus idem Epiſcopus tranſtulit, & ſub altari in Sarcophago lapideo condidit, incredibili populi concurſu, devotione & plauſu, magnis deinceps miraculis à Numine illuſtratum. *Baſilica S. Othmari.* *Tranſlatio.*

A. C. 868. Hepidanus S. Galli monachus, Cometa inſignem hunc annum notat, fame provincias noſtras longè lateque premente, quam paulo peſtilens lues conſequuta eſt. *Peſtilens lues.*

Gerungus Campidonenſis Abbas & Princeps, ſenio gravis an infirmitate preſſus, Landtfridum ſibi Adminiſtratorem adjungit, qui & mortuo poſtea ſucceſſit, familia prænobili natum Hochtannerorum de Hattenweil, virum inſigni & prudentiâ, & eruditione.

A. C. 869. Multis rurſum poſſeſſionibus & opibus augetur SS. Felicis & Regulæ Tigurinum Monaſterium, Lothario inprimis Lotharingiæ Rege multis illud Privilegiis & Immunitatibus, hoc anno, donante. *Monaſterium Tigurinum.*

A. C. 870. S. Deſiderii Viennenſis Epiſcopi & Martyris Reliquiæ præſtantiſſimæ hoc anno ad S. Galli transferuntur. Claret ibidem Hartmundus Monachus vir doctiſſimus, Rabani Mauri nuper diſcipulus, Græcæ, Latinæ, Hebraicæ & Arabicæ linguæ peritus, qui multa tam proſa quam metro ſcripſit, & Commentarios diverſos ſuper Bibliorum libris edidit. *Hartmundus Mon.*

A. C. 871. Hermannus & Hartmannus mortem Salomonis Epiſcopi huic anno aſſignant, alii 73. & hi melius. Hermannus idem & Hepidannus Iſonem quoque defunctum volunt, cum tamen certiſſimum ex Eckehardo fiat, longe ulterius ſupervixiſſe, imo hoc primum anno ad inſtantiam Rudolphi Burgundionum Regis in Burgundiam miſſum eſſe. Ita Burgundiæ etiam illuxit magnum hoc Diœceſeos noſtræ ſydus, hoc tamen pactus Iſo, ut Regis ſumptibus, ſibi ter quotannis ad S. Galli inviſere liceret, fide quoque datâ non ultra triennium retinendum. Ipſo etiam anno nimis quam pretioſo theſauro Dives, Patrono felix Diœceſis noſtra redditur, illato in Augiam Divitem corpore S. Januarii Beneventanæ urbis Epiſcopi, ſed & pluribus Sociorum corporibus SS. Feſti Diaconi, Deſiderii, Soſii, Proculi Eutichetis & Acutii, quæ omnia metu hoſtium in locum minimè ſuſpectum, Baſilicam quandam translata, Ludovici Regis Illuſtri genere miles, cuſtodi presbytero *Hiſtorici inter ſe diverſi.* *B. Iſonis pacta.* *Tranſlatio S. Januarii.*

Ingens Thesaurus. familiaris factus, indagans curiosè, secum abstulit, & pro suo in nostros affectu Augiæ intulit, Januarii tamen capite diligentius Neapoli asservato, quam ut eo miles potiri posset.

Grimaldus Abb. obiit. A. C. 872. Apud S. Galli moritur Grimaldus Abbas senio grandævus de Monasterio optimè meritus Idibus Junii, succedente Hartmuoto Agilolfingo, Rudolphi cognomento Altorffensis, Burgundionum Regis consanguineo, qui Grimaldo superstite, diu res administraverat. Utrique debetur impetrata à Ludovico Rege omnimoda S. Galli Monasterio libertas, quam Antecessores Salomonis Episcopi plurimum violaverant, & certam denique pensionem aliaque impetraverant. quæ Grimaldus paulo ante mortem possessionibus quibusdam Episcopo concessis redemit, & ut S. Galli nemini deinceps nisi soli Cæsari subjaceret impetravit.

Hartmutus Abbas.

Gerungus Abb. ob. Eodem anno Gerungo Campidonensi Præsuli extincto, Landfridus succedit, Gerungi aliquamdiu Coadjutor.

Moritur Salomon. Episc. A. C. 873. Nunc demum vitæ terminum concludit Beatæ memoriæ Salomon eo nomine primus Constantiæ Episcopus, æternâ memoriâ dignissimus, quam ipse sibi egregiè factis condidit, & alia inter Salmonsacense Canonicorum collegium à se cognominatum honori S. Stephani, quod postea in urbem nostram ad S. Nicolai translatum Ecclesiam, S. Stephani deinceps ibidem audiit, fundavit, sed & sub nomine & honore B. M. V. Cœlitum Augustæ ac S. Theodori Martyris insigne Benedictini ordinis Cellense, ut supra vidimus. Monasterium constituxit, utrumque & Collegium illud & Cœnobium in fundo suo & ditione, ut nemini dubium esse debeat, fuisse Ramschwagium Baronem seu Comitem genere & illum, qui deinceps tantum apud Cæsares potuit, & post Bathegonem, Gebhardum I. & Salomonem II. successit, cognatum, an ex fratre nepotem, ob reverentiam procul dubio Episcopi Salomonis quoque nomen accepisse.

Merita ejusdem.

Oppidum Episcopi-Cella. Succrevit paulo post Monasterio insigne oppidum, in gratiam Episcopi Fundatoris Episcopi-Cella (vulgo Bischoffs-Zell) appellatum. Suffectus in demortui locum Bathego, è Cathedrali procul dubio Monasterio & gremio Canonicorum electus, è quo plerique Episcopi fuêre assumpti.

Hartmuoti opera. A. C. 874. Hartmuotus, dignè genere suo, nihil non magnificum & regium molitus, postquam rerum à morte Grimaldi liberius potitus est, Basilicam quoque vere Regiam esse voluit, quam multo auro, etiam parietibus inducto splendidam voluit. magnos quoque sumptus in cætera templi ornamenta faciendo; tumbam inprimis S. Othmari auro, argento, gemmisque vestiit; alia similiter, & Evangeliorum quam maximè libros eodum cultu esse voluit, & gemmis pretiosis radiare, quæ & plura alia apud Ratpertum exactissimum rerum Sangallensium scriptorem reperies.

Ornamenta templi.

Triennio in Burgundia exacto Beatus Iso noster, adeo Discipulorum illic

Digitized by Google

illic profectu recreatus est, ut ab his porro avelli non posset & jam ultro licentiam subsistendi peteret, qui ante exceperat ne supra triennium morari cogeretur. Impetravit, magnumque sibi apud Burgundos comparavit nomen, prodigiosæ non minus virtutis quam eruditionis, cum sua dissimulans, quæ per ipsum DEUS operabatur miracula, herbis aliisque adhibitis, cœcos languidosque sanos à se dimisit, id unum agens, ne pro Sancto haberetur seu coleretur, etsi nemo non sanæ mentis animadverteret supra naturam esse, quæ tantus Medicus operaretur. *B. Isonis fama.*

A. C. 875. Morbo confectus & senio Ratolphus sive Ratoldus Veronensis Episcopus, Augiæ Monachus, ad Superos concedit; magnorum in Germaniam & Diœcesim nostram illatorum thesaurorum donatione æternum memorandus, si ossa ad ossa accederent, & Itali cum Germanis sincera mente colloquerentur, quantum alterutri parti & accessisset & decessisset? Ochemium Augiæ Chronographum sequuti sumus in hujus designatione mortis; nonnulli priore anno voluere. *Mors Ratolphi Episc.*

A. C. 876. Decessit sub hoc tempus B. Marcellus Scotus, sanctitate non minus quam eruditione Illustrissimus, Notkeri, Tutilonis, Ratperti aliorumque Sanctorum Virtutis æque atque omnium scientiarum traditione Magister expertissimus, singulare Diœceseos nostræ decus, cujus loco scholis Sangallensibus deinceps, Ratpertus memoratus præfuit. Disciplinæ nihil ominus Regularis observantissimus, ejusdemque Zelator maximus, cellulæ custos fidelis admodum & pertinax cultor, ita ut excursus mortem, labem maximam claustri vocaret impunitatem. *Ratpertus Gymnasiarcha.* *Ejus sanctitas.*

A. C. 877. Mortem hoc anno communem mortalium semitam subit Patecho sive Bathego Constantiensis Episcopus. in cujus locum subvectus est Gebharduseo nomine primus, Comes Habspurgius, Augiæ Divitis, ut Syllabus quidam Episcoporum ex Augia assumptorum habet, Monachus, vir tanto munere dignissimus, ut qui ab optimis moribus & insigni Religione plurimum commendetur. Ipso anno, Wolo Kyburgi Dilingæ & Wittislingæ Comes Hartmanni ex sorore S. Notkeri filius, Hupaldi sive Hugobaldi frater germanus, incomparabili ingenio juvenis S. Galli monachus, à scalis lapsus, cervicem frangit, magno dolore avunculi sanctissimi, in cujus amplexibus, SS. Ecclesiæ Sacramentis munitus, animam supremam efflavit, ad aram Sanctarum Virginum, optimo usus sponsore tanto cognato, qui sic morientem commendavit: *Sanctæ Virgines, in vobis confisus, Fratris istius cirmina super me tollo, & ambos nos vobis committo.* *Moritur Bathego Episc.* *Mors Wolonis Mon.* *Commendatio.*

A. C. 878. Tristissimus terris, cœlo plausibilis hic annus, illis S. Isonem singulare Episcopatus nostri decus abstulit, isti dedit, in Burgundia extinctum, ut è S. Galli, Gallia etiam lumen haberet singulare. & sanè discipulos illic tales habuit, qui plurimum lucis Regno dein universo intulerunt: *B. Iso moritur.*

Discipuli lectissimi. runt: ejus enim & doctrinæ & sanctitatis fama illecti, è remotissimis provinciis Auditores confluxêre. ita ut multi summum gloriæ ducerent, audire Isonis discipuli si vel ad horam tantum Magistrum audivissent. Claruit á morte non minus, quam in vita miraculis, quæ causa fuit, ut sacrum corpus è S. Germani in cujus conditum erat Basilica, furto auferretur.

Ingenii monimenta. Reliquit haud pauca egregii ingenii monimenta, eaque inter Lexicon quoddam, ex omnibus Veterum Glossariis collectum, nomine discipuli sui Salomonis, postea Episcopi, editum, quod Cathedrali postea Constantiensis Ecclesiæ Bibliothecæ Salomon intulit, hodie in Weingarttensi

Carolus Crassus Imp. asservatum. Constantiæ fuit Carolus Crassus Imp. Aug. inde in Augiam evectus, multa Regia liberalitate Monachis concessit, Ruthone sive Rudilone Abbate.

B. Tutelo celebratur. A. C. 879. Beati Tutelonis magna & ab eruditione & sanctitate fama; qui Comitum an Principum editus prosapia, juvenili ætate pompas aspernatus, generositatem tamen animi, Heroico & pene gyganteo in corpore tegere non potuit, ita ut Carolus Crassus staturam & formam tanti viri miratus crasso, attamen veniabili errore succensere illi se di-

Ejus Laudes. ceret *qui talis naturæ hominem Monachum fecerit.* Claruit Oratoriâ, Poëticâ, Musicâ, Apellæâ, Sculptoriâ, ad miraculum, artibus, cujus nos ipsi vidimus, quæ Cæsarum thesauris digna viderentur, ebore expressâ, Divinarum tamen rerum scientia sublimissimus, humillimus juxta, & dono lachrymarum á Numine peculiariter donatus, de quo plura alias dicemus.

Chadoldus Epis. Novar. A. C. 880. Hoc anno Chadoldus, Luitwardi Vercellensis Episcopi, Archi-Capellani Divi Caroli Crassi Augusti, germanus frater, ob egregias animo insitas dotes ab eodem Imperatore Episcopus Novariensis designatur ex Monacho Divitis Augiæ, dignum se tanto munere, egregiè factis comprobans. Ad Divi Galli Theothardus monachus celebratur, in tanto sanctorum virorum numero dignissimus habitus, qui nullo non fere Superioris in Conventu amplissimo, munere fungeretur.

Carolus Imp. sæpius Constantiæ. A. C. 881. Mirificè lacus Potamici & Constantiæ situ delectatus Carolus Crassus Imp. Constantiam, Augiam frequentior invisere consuevit, in Episcopum, & Abbatem liberalis. Huic hoc anno Zurzachium dono dedit, una cum Abbatia illic condita, quæ demum Canonicis sæcularibus cessit. Litteras donationis in Castro Potamo expedivit. Fuit

Fundat Zurzachium. autem Fundator Cœnobii prædicti idem Imperator, & quo melius curaretur idem Rudeloni Abbati subjecit; quod pluribus deinceps sæculis Augiensibus paruit.

S. Trudtperti fit Abbatia. A. C. 882. Nunc primum S. Trudtperti Luitfrido ejus nominis secundo, Comite Habspurgio Auctore, Abbatiæ honore sublimatur,

cum

Digitized by Google

cum antea per Priores, seu Præpositos regeretur. Ad S. Galli ingens virorum sanctorum numerus ita ut ducenti trecentique simul, sanctitatis opinione celebres convixisse memorentur; magna omnino gloriâ & fructu in Diœcesim nostram redundantibus.

A. C. 883. Constantiam nostram ejusque cùm in urbe, tum in vicinâ Cœnobia singulis ferè annis invisens Carolus Augustus, nunquam non regiè liberalem sese exhibet, hoc præcipue anno datis litteris Sangallensi Cœnobio Wolfesreütti, &c. & alia donat, quin & ad instantiam Beati Eusebii triginta jam annos illic degentis Montem S. Victoris prope Veldtkirchium & Ranckvillam, proprium esse Sangallensium jubet. & in gratiam Berthæ sororis Abbatissæ, Tigurum muris & turribus circumdans, Civitatis juribus extollit, ut hæc quoque amplissima & potentissima Diœceseos nostræ civitas, in gratiam religiosorum exaltata, sua Principia & successus merito trahat in dignam suæ fortunæ considerationem. *Liberalitas Imp.* *Tigurum fit civitas.*

A. C. 884. Idem nunc primum memoratus Eusebius S. Galli Monachus, ad quem Romani Imperatores frequentius pro consilio & sacro solatio occurrere & invisere solit erant, quos de eventuris prophetico Spiritu edocuit, & piè instruxit hoc anno immani scelere rusticorum, de quibus optime meruerat, interimitur. Cum enim scelera eorumdem solida charitate cogente ferventius argueret, quidam fœnaria falce caput sancti illico demessuit prope pagum Brederis, quod ipse ingenti prodigio suismet attollens manibus, ad cellam usque suam longo admodum & arduo itinere deportans, ibidem se denique ad sepeliendum composuit, terra sub pedibus impiorum dehiscente, ipsosque devorante. *S. Eusebius.* *Bene meretur.* *Ingens prodigium.*

Ipso anno Hartmuotus Abbas, Altorffensis Comes, Rudolphi Altorffensis Burgundiæ Regis cognatus, ægre assentientibus Carolo Imp. & Conventu Religiosorum, ætatem & vires causatus Abbatiam resignat, nec multo post moritur, rogans juxta cognatum sibi unicè charum, Lancelinum Habspurgi Comitem Treverensem Archipræsulem, in S. Galli Beneficium, & ibidem sepultum consepeliri. *Hartmuoti mors.*

Carolus Imp. ad dilectissimum suum Notkerum ad Divi Galli invisens, insigni miraculo recreatur: dum enim elatiore supercilio Capellanus quidam ejus, spectare Monachum illum cuperet, cujus gratia Cæsares tantum itineris insumere non pigeret, demonstratumque in choro, contemptius affari non veretetur. *Scimus*, inquit, *homo doctissime, omnia Te nosse: Quid autem DEUS in cœlo nunc faciat, à Te cupimus, si nosti, audire?* (Eckehardi sunt verba) *Scio, respondit Sanctus, & optime scio. Nam enim facit, quod semper fecit. utique & Tibi quam mox facturus est:* *Carolus Imp. ad S. Galli.* *Temerarius Capellanus.*

Exaltat

Digitized by Google

Exaltat enim humiles, & humiliat ſuperbos, &c. Ita factum: nam cum quamprimum diſceſſuri Cæſaris ſignum tubis daretur, & ipſius tunc eſſet Cæſarem proximè antecedere, equo cadens & faciem turpiter alliſit & crus confregit; quem, cum Chyrurgi nihil proficerent, ad ſe adductum confitentem reum, ſolo tactu, vir ſanctus, ſanum ad Cæſarem remiſit.

Vindicta Numinis.

Monaſterium Tiguri.

A.C. 885. Carolus Imp. Berthæ ſorori Abbatiſſæ SS. Felicis & Regulæ Tiguri, poteſtatem cudendæ monetæ concedit.

Confraternitas.

Memorabilis jam hoc tempore in Diœceſi noſtra Monaſteriorum Ordinis Benedictini, utriusque ſexus congregatio quædam inſtituta ſive Confraternitas, ut ſi quem in ſociatis illis Cœnobiis mori contingat, in omnibus Monaſteriis, non aliter atque proprio, certâ Sacrificiorum & precum oblatione, Fratri ſeu Sorori cuicunque ſubveniatur. plurimis ex diverſis etiam Diœceſebis, Conſtantienſi huic adſcribi exambientibus & merentibus, è quibus fuêre Fratres in Argentina, Moguntia, Wormatia, Bobienſes in Italia, &c. Sorores in Chazes, Schennis, Argentina, &c. Quo ex catalogo liquet, quamplura Cathedralia Collegia, jam nunc, & ex tunc fuiſſe Monachorum.

Catalogus Confr.

Hugo Princ. fit mon.

Ipſo anno Hugo Lotharii ex Waldrada filius, rebellionis compertus, capitur, & Cæſaris juſſu ad S. Galli commendatur. unde tamen poſtea ad Prumienſe Cœnobium deportatus, in cucullo vitam finiit. Moritur Gebhardus Conſtantienſis Epiſcopus, cum paulo ante S. Marci Reliquias elevaſſet.

Obiit Bertha Abb.

A.C. 886. Bertha ſoror Cæſaris Abbatiſſa SS. Felicis & Regulæ Tiguri felici fine vitam abrumpit, de Monaſterio illo, & nova Tiguri civitate immortaliter merita. ſuccedente Giſelâ.

Cæſar Conſtantia.

Eodem Anno Conſtantiæ fuit amantiſſimus Imperator, & in Augiam delatus duplici inſtrumento immunitatibus & libertati ejusdem Cœnobii conſuluit. Conſtantiæ ſuccedit Salomon II.

S. Richarda Imp. fit monial.

A.C. 887. Luithwardus Archi-Capellanus Cæſ. & Cancellarius idem Vercellenſis Antiſtes, Chadoldi Augienſis frater, de hoc Monaſterio optimè meritus, ſtupri cum Auguſta inſimulatus, Aula eiicitur & S. Richarda, probata candenti ferro innocentia, licentiam ab Auguſto impetrat ſeſe DEO conſecrandi, ad Andlavienſi à ſe conditum ſe conferens Cœnobium & cucullum amplexa. Nec multo poſt, animo & corpore deficiens Cæſar optimus, in conventu Triburienſi, menſe Novembri exauctoratur.

Exauctoratur Cæſar.

A.C. 888. Deſertus ab omnibus, pauper & inops Ex-Imperator Carolus, nuper Cæſarum omnium ipſoque major Magno Carolo Neidingæ ignobili ad Danubium vico moritur, eo uno felix, quod uti vivens tumulum ſibi deſtinaverat & elegerat, in Augia Divite ſepeliri mereretur; quo cum funus absque ulla pompa deferretur, cœlum honorem detulit, cœleſti lumine facibus apparentibus & comitantibus. Viſitur etiamnum ſub humili

Mors Imp.

Sepelitur in Augia.

lapide

Digitized by Google

lapide tubam ultimam, & majorem prioregloriâ expectans, optimus Imp. adeo dum viveret erga Religiosos affectus, ut illis etiam ad mensam inservire dignaretur. cujus quidem & fortunæ & patientiæ exemplo felix & Augia & Constantia nostra, de sepultura ejusdem & tanto sibi relicto pignore, merito gloriantur. Placet in gratiam tanti Augusti tantopere humiliati, pauca subiicere: Transmiserat Aquisgrani commoranti Carolo, B. Notkerus solemnem illam à se compositam sequentiam Xenioli loco: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia, &c.* Nec vinci pio munere pius commisit Imperator, sed paria ausus, eumdem in vota Spiritum invocans, Hymnum illum Ecclesiæ universæ æstimatissimum: *Veni Creator Spiritus, &c.* composuit, & Notkero reposuit ac tramisit per eumdem latorem, Sempiternum revera Cæsareæ pietatis symbolum; quæ nos Ejusdem honori, Epitaphii loco, memorare voluimus, & Constantiam atque Augiam tanti Benefactoris commonere Beneficiorum.

Humilitas & Charitas.

Xenium S. Notkeri.

Imperatoris compositio.

Epitaphium.

Ipso anno Salomon Comes de Ramswag eidem Cæsari charissimus tædio procul dubio Aulæ, & mutabilis ipsorum Cæsarum fortunæ, amplissimi Patrimonii & Ditionis aspernator, Monachum ad Divi Galli profitetur. Moritur etiam Rutho, Rudelo, sive Rudolphus, mœrore non minus quam morbo à tanti Cæsaris casu affectus, succedente Hatthone, è Franciæ Regibus oriundo, viro Religiosissimo, summaque eruditione, magnisque Numinis favoribus plurimum conspicuo.

Salomon fit mon.

Hattho Abb. Aug.

A. C. 889. Vix annum à professione exegerat Salomon Ramschwagius & mox concordibus omnium votis, Abbas eligitur, cedente sponte Abbatia Bernardo sene emerito, tantoque proptius, quo major de tanto successore spes affulgeret. Ipso anno ad instantiam Hatthonis Abbatis Arnulphus Imperator Augiensibus omnia concessa ab Antecessoribus privilegia confirmat.

Salomon fit Abbas.

A. C. 890. Constantiam nostram suâ præsentiâ honorat Arnulphus Imperator Augustus, inde ad Hatthonem nostrum ad Augiam invisit, in Religiosos non minus quam Antecessor propensus. Moritur hoc ipso anno Salomon eo nomine 11. incertum cujus familiæ, optimæ tamen vitæ, qui S. Pelagii Martyris honorem plurimum coluit, & Sarcophagum Reliquiarum insigniter adornari curavit. Successit hoc indubie anno, uti ex Instrumento compertissimæ fidei apud Tschudium liquet 3 Kal. Sept. Ejusdem dato, Salomon eo nomine Tertius, Monachus & Abbas S. Galli vir incomparabilis, ipso Arnulpho Imp. & Hatthone Abbate electionem dignissimi viri promoventibus. Natalis idem annus esse dicitur S. Udalrici Augustani dein Pontificis, Constantiæ nostræ & nostrorum omnium Amicissimi de quo suo loco sæpius agemus.

Arnulphus Imp. Constantiæ.

S. Pelagii corpus.

Nascitur S. Udalricus.

A. C. 891. Magno plausu & gratulationis urbis nostræ & Augiæ

Hatthofit Archiepisc.

Hattho Augiensis, amicissimus nostri Episcopi Salomonis creatur Archiepiscopus Moguntinus, post Sunderoldum sanctæ memoriæ Pontificem, qui prælio contra Normannos gentiles Christianos corroborans, pro fide Christi gloriosè occubuit, & ipse, ut vetustissimus habet Catalogus, Monachus Augiensis, & studiosus Fuldensis, quæ causa fuit nonnullis, ipsum Fuldensem nominandi. Resignavit quamprimum, memorabili exemplo contemptarum multiplici Beneficiorum usu opum, & liberam eligendi potestatem Augiensibus relinquens, ipso quoque Cæsare denuò confirmante. Sed cum denuò concordibus votis, calculi omnes Hatthonem repeterent, mirificè delectatus Cæsar, & Hatthonem & Augienses singulari affectu complexus, nihil non deinceps utrisque honorandis excogitavit.

Denuo Abbas eligitur.

Obiit Landfridus Abbas.

A. C. 892. Moritur Landfridus Campidonensium Princeps & Abbas, multis præclarè gestis, qui inter Campidonum primus muro cinxit, & jura Civitatis impetravit, novo iterum ad Imperii splendorem augmento, sacrorum in prophanos beneficio. Idem jus moneram cudendi primus usurpavit, & multa præclara ædificia condidit. Excepit honorem Fridericus Gremlich dictus ab Ochsenbach, vetustissima familia & Nobilissima, quæ deinceps ab Jüngingen & Zustorff atque Hasenweiler cognomentum obtinuit.

Ius monetæ cudendæ.

Pipinus Monachus.

Intruditur in S. Galli Monasterium Pipinus Gibbosus, rebellionis insimulatus, qui tamen non multum seu diu supervixisse creditur.

Ludovicus IV. nascitur.

A. C. 893. Nascitur Arnulpho Imperatori Ludovicus IV. filius, cujus Patrinum Augustus ipse neminem alium, quam Hatthonem nostrum Moguntiæ Archipræsulem & Augiæ Abbatem esse voluit, cujus deinceps etiam mortuo patre Tutor extitit. Nec solitus aliter Arnulphus est, quam Hatthonem Compatrem suum appellare. Eodem anno idem Hattho Cellam & Basilicam Divi Georgii honori in Augia condit, cui & ipse, & Cæsar plurima elargiuntur.

Moritur Gisela Abb.

A. C. 894. Moritur Gisela SS. Felicis & Regulæ Tiguri Abbatissa, cui S. Richarda Imp. Aug. Caroli Crassi quondam uxor Virgo præficitur, magno ornamento Episcopatus nostri, tantam Augustam, tanti mariti & virginis, conjugem virginem, in Ditionem nostram concessisse. Claret admirandis virtutibus ad S. Galli B. Notkerus Balbulus, sub Waltrammo Decano, & doctrinâ non minus quam vitæ excellit sanctitate.

S. Tutelonis laudes.

A. C. 895. Tutiloni viro æquè sancto atque illustri deberetur hic annus, verum multa nimis referre prohibet libri intentio, & destinata brevitas. Metas pro ornanda Basilica expetitus sub hoc tempus, dum illic Deiparæ imaginem moliretur, proditus & ipse ab Angelis est, & ipsa Divina Mater, quæ visa est ipsi assistere & seipsam pingendam exhibere, & colo-

Digitized by Google

& colores miniſtrare. Celebratum hoc anno Triburiæ Concilium 22. Germaniæ Epiſcoporum, præſente Arnulpho Cæſare, præſidente Hatthone noſtro, cujus acta à Severino Binio referuntur. *Concilium Triburienſe.*

A. C. 896. Salomonis Conſtantienſium Pontificis, toto Romano orbe celebre nomen, & prima ab Rege ac Hatthone noſtro auctoritas, nihilque quam volentibus his in Imperio geſtum. Inde Hatthonem Cor Regis dixère; & dubium habueritne verius cor Regis, an fuerit. neque hic aliquid, neque Rex absque Salomone. quæ Conſtantiæ noſtræ gloria ſingularis eſt, multis ſæculis tales edidiſſe; quos tantum non adoraverint Cæſares, plerosque non tam conſiliorum in terris directores, quam in cœlis deinceps Patronos & Advocatos eisdem extiſſe. *Salomonis fama.* *Cor Regis Hatthо.*

A. C. 897. Sub hunc annum ſeptuennis ferè puer S. Udalricus, ad S. Galli mittitur, & Adalberoni Comiti Kyburgio patruo tunc temporis ſcholarum Magiſtro erudiendus creditur, ſed & cognato S. Notkero commendatur. Adalbero Waningo minorum ſcholarum Magiſtro, inſtruendi negotium commiſit, ubi mox illos in litteris progreſſus fecit, ut admirationi omnibus eſſet; ea autem ſanctioris vitæ ſpecimina edidit, ut jam Magiſter aliorum eſſe poſſet. Ita Auguſtæ, ita plerisque Germaniæ Epiſcopatibus noſtra Monaſteria memorabili felicitate Pontificum præcipuos educavêre, magnâ omnino gloriâ ad Diœceſim noſtram pertinente. *S. Udalricus in S. Galli.* *Adalbero patruus.* *Epiſcopatus gloria.*

A. C. 898. Illuſtrat Diœceſim noſtram, ſua relicta B. Wiggarius ſive Widogerus, ex monacho & Abbate Ottoburano Auguſtanus Epiſcopus, qui ſtudio infidelium Chriſto lucrandorum in Helvetiam ſecedens, Anachoreticam ſimul vitam Apoſtolicæ conjunxit, & plurimos Chriſto lucratus eſt. *S. Wiggarius Helvetiæ Apoſtolus.*

S. Notkerus Balbulus, præter mira ſanctitatis exempla & miracula egregiis etiam ingenii monimentis poſteritati conſulit, eaque inter etiam Martyrologium conſcripſit, & libros Perihermenias Ariſtotelis è Græco vertit, Sequentiarum autem ut ſacri vocamus, & proſarum in Miſſa primus author extitit. *S. Notgeri ſcripta.*

A. C. 899. Magno luctu urbis & Diœceſeos noſtræ extinguitur Imperator noſter Arnulphus, Salomone inprimis Epiſcopo noſtro, & Hatthone, omnibusque Monaſteriis communem patrem lugentibus. Succeſſit Ludovicus IV. filius, à Principibus Forchemii congregatis, Imperator ſalutatus, dum etiammum ſeptuennis eſſet; cui magna noſtrorum gratulatione Augienſium laude, Hattho Augienſis Tutor deſignatus eſt. *Arnulphus Imp. obiit.* *Ludovicus IV.*

Vrſpringen conditur. A. C. 900. Inſigne Virginum in Diœceſi noſtra Monaſterium Urſpringenſe prope Schelklingenſe Caſtrum & oppidum ab Hugobaldo Kyburgi & Dilingæ Comite, S. Udalrici parente conditur, quod Schelcklingæ deinceps Comites inſigniter dotavêre. Monachorum S. Galli totæ cohortes cœlo adoleſcunt, Sanctorum Magiſtrorum æque ſancti diſcipuli. ſub Salomone florentia omnia niſi quod opibus Principes vicini inſidiarentur, Præſidis inviderent auctoritati.

Sancti Sangallenſes.

S. Wiborada Incluſa. A. C. 901. Claret admirabili vitæ ſanctitate prope S. Galli incluſa ſancta Wiborada Baroniſſa de Klingen, quæ Conſtantiæ, aliquandiu idem complexa inſtitutum à Salomone poſtea Epiſcopo, ad Lindovienſe deſtinata Cœnobium, ad S. Galli demum melius accommodata fuit. Huic familiaris factus S. Udalricus, multa ab illa ſibi eventura didicit, inſtructionesque ſalutiferas plurimas habuit. Sub hoc ipſum tempus naſcitur Altorffi Suevorum S. Conradus poſtea Epiſcopus noſter, Henrico Altorffenſi, Regii generis Agilolfingo Principe editus, Juditæ Imperatricis ex fratre pronepos, Conradi I. Imp. patruelis.

S. Conradus naſcitur.

S. Wigarius moritur. A. C. 902. Apoſtolicis clarus meritis B. Wiggarius ex monacho & Ottopurano Abbate Auguſtanus Epiſcopus Helvetiorum Apoſtolus ad præmia æternitatis evolat.

S. Trudtperti Incrementa. Luitfridus Habſpurgi Comes, haud minus primo Fundatore meritus, S. Trudtperti Monaſterium præclare reſtituit cujus extant litteræ Fundationis, à nobis parte 1. Germaniæ noſtræ ſacræ & prophanæ typo vulgatæ.

B. Ratpertus moritur. A. C. 903. Cœlum plauſu implet felici tranſitu B. Ratpertus Divi Galli Cœnobita S. Notkeri & B. Tutelonis amiciſſimus ab illo *Animi ſui* nomine appellatus, diuturno morbo, ut ipſe DEUM rogaverat excoctus, Illuſtriſſimo & ipſe genere editus & S. Notkeri conſanguineus, plura relinquens ingenii egregia monimenta, quæ inter notiſſimus ille liber eſt; de origine & diverſis caſibus Monaſterii S. Galli.

S. Notgeri pugna. A. C. 904. Memerantur ſub hoc tempus mirabiles conflictus S. Notkeri Balbuli cum Cacodæmone, ſed & varia præclare geſta ſocii ejusdem B. Tutelonis, quorum nonnulla in Menologio noſtro, die cujusque natali deſcripſimus, & hic brevitatis ſtudio ſupersedemus. Apud Auſtnaugiam jam clarus habetur S. Adalricus, qui ab Angelo edoctus, de rigore vitæ S. Wiboradæ, ipſam per nuncium dehortati monetur, quod & fecit.

Salomon Epiſc. A. C. 905. Conſtantiæ noſtræ æternum decus B. Salomon Epiſcopus, rerum Diœceſeos mira ſollicitudine ſatagit; ſæpius tamen ad S. Gallum recurrit, & ad incluſam ſuam S. Wiboradam inviſit, ſemper ſecum referens ad Cathedrale Monaſterium quæ fervorem ſpiritus Canonicorum Monachorum, ad ſublimiores conatus accendebant.

A. C. 906. S. Udalricus juvenis, dum tantis ſeſe cùm in ſtudiis litterarum, tùm in Virtutum curſu profectibus, S. Galli Aſcetis commendaret, exoratus non ſolum in loco ſubſiſtere, ſed ordinem exambire, tunc quidem ſuadente S. Wiborada, ad alia reſervatus diſtulit, domum autem vocatus, mox Adalberoni alteri, cognato item, & ex Abbate Elvacenſi, Auguſtano Epiſcopo commendatus, huic quoque tantopere ſe probavit, ut facile omnes Canonici, quantus olim futurus eſſet ominarentur. *S. Vdalricus à S. Galli evocatur.*

A. C. 907. Hatthoni noſtro, Archiepiſcopo Moguntino, Augienſi Abbati optimo, proditi Adelberti Bambergenſis Comitis & juſſu Cæſaris decollati facinus impingunt ſcriptores non pauci, uno Præſulem optimum in ſuſpicionem trahente & cæteris perſuadente, quos omnes merito falſitatis arguit, Nicolaus Seranus, & nos in tomi II. Conſtantiæ Benedictinæ parte 2. ex reliquis ejusdem ſanctioris vitæ geſtis, innocentiam viri manifeſto comprobamus. *Hattho Excuſatur.*

A. C. 908. S. Conradus Septuennis, à Sereniſſimis parentibus ad S. Galli mittitur & Salomoni Epiſcopo & Abbati commendatur, qui ipſum B. Notingo, probatæ ſanctitatis viro, erudiendum committit, juvene Illuſtriſſimo, non minus ſanctæ vitæ exempla, quam litterarum ſtudia cordi habente, & Magiſtrum optimum in magnam ſpem, uberrimi fructus excitante. Inviſit hoc & ſuperiore anno, perſuaſus procul dubio à credito ſibi juvene S. Udalrico, ad S. Galli Adalbero Epiſcopus Auguſtanus, & ſacras Reliquias veneratus eſt. Redux inde interrogatus: *Eſſetne illic*, ut fama ferret, *Religio cum doctrina, ſeveritas cum diſciplina? Egomet*, reſpondit, *unum Sanctum & hunc defunctum quæſivi, vivos autem Sanctiſſimos, ut verè fatear, Fratres inveni.* doctrinam inde & diſciplinam commendans, ſe vix expectare præ deſiderio retulit, donec eorum contuitu denuo potiatur. quibus deinceps pretioſa munera attulit & obtulit. *S. Conradus ad S. Galli.* *Adalbero Epiſc. Auguſt.* *Ejus opinio de S. Galli.*

A. C. 909. S. Meinradi miraculis etiam procul innoteſcentibus, major ſolitudini honor, inter peregrinos etiam occurente Bennone Regii Burgundici ſanguinis Principe, Monacho Canonico Argentinenſi, qui primus locum curavit diligentius, & habitabiliorem reddidit. Conſtantia eminus Alemanniam ardere flammis conſpicit, & maturè ſibi de neceſſariis providens Hunnos ſive Ungaros palabundos, facile eludit, omnibus circumcirca provinciis haud immerito graviter conſternatis. Ad Superos eodem anno emigrat B. Tutelo Monachus S. Galli ſolo jam ſuperſtite ex triade illa ſingularium Amicorum S. Notkero Balbulo, qui Amiciſſimo devotiſſimè parentavit. Sepultus eſt in Sacello Divæ Catharinæ cum hoc Epitaphio: *Benno Canon. Mon.* *Hunni palabundi.* *Mors S. Tutelonis.*

Virginis Almificæ egregius pictor Tutelo
Exellens meritis & pietate potens.

Epitaphium.

Nemo tristis abit, qui Te colit & veneratur
Fers cunctis placidam quippe salutis opem.

S. Udalricus Romæ.

Hoc ipso anno ad limina Apostolorum invisens S. Udalricus à B. Marino Papa benevolè exceptus, de Adalberonis Episcopi morte, suaque post aliquot primùm annos successione edocetur.

Monasterium Altorff.

A. C. 910. Altorffense Virginum Cœnobium Ungarorum procul dubio vastatione dirutum Henricus Agilolfingus Princeps, S. Conradi parens insigniter restituit, & liberaliter locupletat, alter ejus Fundator, cum Hattha Andecensi sua conjuge habitus.

B. Simeon Augiensis.

In Augia Divite excellit insigni vitæ sanctitate B. Simeon, cognomento Bardo, & illustrissimo Græciæ Principe, primo Magnatum Aulæ Constantinopolitanæ, & exercituum Duce, pro Christo sponte exul, & Monachum in Augia professus, qui hydriam unam ex sex illis nuptiarum Gallilææ, Monasterio dono obtulit, & Augiensem Insulam, sanctioris vitæ exemplo mirificè illustravit.

Obiit Ludov. Imp. Aug.

A. C. 911. Magno urbis nostræ dolore in juvenili ætate extinguitur Ludovicus Imperator turbatissimis Imperii rebus, qui in Augiam Divitem amore Hatthonis Tutoris sui adeo liberalis & beneficus extitit, ut præcipuis Dotatoribus adscribi meruerit. Alii sequenti anno mortuum contendunt, sepultus est in S. Emmerammi Ratisbonæ.

Conradus Imp.

Mox Principum votis Conrado Franconiæ Duci, Agilolfingo Regiæ stirpis Principi diadema defertur, qui egregium sanè difficillimis rebus Heroem exhibuit, erga urbem nostram, Diœcesim omniaque ejus Monasteria mirificè propensum & liberalem.

Moritur S. Notkerus.

A. C. 912. Morte S. Notkeri Balbuli celeber cœlo & terris annus, viri sanctitate & eruditione eximii, genere Illustrissimi, ex Caroli Magni prosapia oriundi, Sequentiarum in Missa primi Authoris & Inventoris, Prophetiæ spiritu illustris, Cacodæmonem mastygis, ante & post mortem

Cæcus fit ante mortem.

innumeris penè miraculis à DEO honorati; qui litterarum & lachrymarum studio cæcus demum effectus, tanto inhiantius ad beatificam aspirans visionem, totam Diœcesim transitu suo, luctu implevit, cujus etiamnum apud Numen potentissimum agit Advocatum. Extat tomo VI. Canisii liber de miraculis ejusdem & processu Canonizationis, ad quem lectorem remittimus.

S. Walfridus Abbas.

Occumbente uno sydere Diœceseos, alterum oritur, imo sexcenta, in S. Galli, Augia, Hercinia, &c. eluceſcunt. præ aliis tamen effulget S. Welfridus, primus Duelli (Hohentwiel) Abbas, Comes de Calw & Nagolt, Astolphi an Erlafridi Comitum filius, quod Monasterium sub hæc ipsa tempora Burcardus Alemanniæ Dux & Hedwiges Burgundiæ Regis filia, ejus conjux lectissima, condidêre.

Digitized by Google

A. C. 913. Triſtiſſimus Salomoni Epiſcopo noſtro, Conſtantiæ & Augiæ Diviti, magno theſauro ſubtracto hic annus, morte nimirum Hatthonis Archipræſulis Moguntini & Augienſium Abbatis, Salomonis Amicorum intimi, quocum etiam ſummo in honore, vitæ rigore & abſtinentiâ, pie ambitioſus, certare conſueverat; cui longè dignius Cæſar Hiſtoricorum Baronius, quam Lambertus Schaffnaburgius & qui ipſum ſequuti, parentavit, dum *totius Germaniæ bono* electum affirmavit: utpote qui *ad reſtituendam collapſam diſciplinam plurimum laboraverit.* Hunc tantum Archipræſulem quantum deplanxerit Salomon noſter facilius eſt ominari quam deſcribere; in Augia ſucceſſorem habuit Hugonem, de cujus genere nihil reperimus; Moguntiæ Herigerum, quem Augiæ quoque Monachum fuiſſe Catalogus quidem perveteſtus docet, & quidem ut veteſtus MS. habet *diuturna Religionis exercitatione commendabilem.* Sub hoc ferè tempus, Notingus S. Conradi Magiſter è S. Galli poſtulatus Cathedralis Conſtantienſis Monaſterii Decanus efficitur.

Hatthe Archiepiſc. obiit.

Elogium ejus.

Herigerus ſucceſſor.

A. C. 914. Hatthone extincto, cujus auctoritatem nemo non Principum Imperii exhorruerat, Bertholdus & Erckingerus Duces libertatem nacti, nullo jam reſpectu ſolius Salomonis, conceſſa nuper ab extinctis Cæſaribus, ſuo detracta Juri & ditionibus cauſati, bona Sangallenſis inprimis Cœnobii invadunt; quiritantem obnixumque Salomonem, paulo poſt conjicere in vincula aggreſſi, ipſo dilapſo, delataque ad Cæſarem cauſa, citati, ventilato negotio, capite luiſſent, niſi Salomon ipſe interceſſiſſet. ita ut exinſimularent potius amicitiam, quam hoſtilitatem exuerent.

Salomonis periculum.

Ultio.

Ipſo anno Conradus Imp. Natalis Dominici Feſtum Conſtantiæ celebravit, cumque reliquos etiam illic religioſè ſtatueret tranſigere, perſuaſus à Salomone feſto S. Stephani conſcenſis navibus Rorſchachium enavigans, inde ad S. Galli aſcendit, triduumque illic ſumma hilaritate commoratus, quarto poſt cum Salomone Conſtantiam revertit. Hugoni Divitis Augiæ Abbati, vix annum poſt electionem ſuperſtiti. Thietingus in honore ſufficitur.

Conradus Imp. Conſtantiæ.

Ad S. Galli.

A. C. 915. Duces ſupradicti, Salomoni infeſtiſſimi, dum injurias injuriis accumulant, ab ipſomet conventi rogatique ſusque deque monita precesque habent, quibus cum Cæſaris nuper vix exorati rigorem ingereret, haud parum quin interiret abfuit, captus quamprimum ac Diepoldisburgum in vincula abreptus, quem tamen re intellectâ Sigefridus cognatus collecto repente milite, caſtro expugnato captisque improviſo Ducibus, vinculis exemit, & Conſtantiam reduxit, tota in occurſum urbe effuſa, & Pontificem ſuum lætis vocibus conſalutante. Principes carcere clauſi, donec de tota re Cæſar informaretur.

Salomonis captivitas.

Liberatio.

A. C. 916.

Duces damnati. A.C. 916. Imperator injurias Salomoni ſuo, ut ſibi illatas, & ægrius ſufferens, indicto Principum conventu, ipſos capitis damnat, dilata tamen, incertum quas ob cauſas in annum ſequentem ſententia, ne fortè præcipitare, & in proximo ſanguinis jure junctiſſimos, odio, aut prætenſione aliqua hæreditatis animadvertere videretur.

Mortuum maritum luget Wendilgarda. A.C. 917. Magno Conſtantienſium luctu amiciſſimus urbi vicinus, Udalricus Linzgoviæ Princeps, Buchornenſis Comes Heros Mavortius inſigni contra Hungaros comparato exercitu, graviſſimam cladem accipit, ipſe in poteſtatem hoſtium deveniens; quem cum Wendilgardes conjux mortuum crederet, cucullum amplexa, Adelhardum filium cognatis educandum commendavit, ipſa prope Cellam S. Wiboradæ Numini ſerviit.

Duces Alemaniæ decollati. Ipſo anno, nec quidquam intercedente pro hoſtibus Salomone Epiſcopo noſtro Erckingerus, Bertholdus & Luitfridus, juſſu Conradi Imp. eorumdem conſanguinei Endigam abducti, capite plectuntur, & in deteſtationem injectæ in Salomonem manus, arces eorumdem, & Palatium ſplendidiſſimum Potamus, funditus ſubruuntur.

S. Welfridus moritur. A.C. 918. Sub hoc ferè tempus S. Welfridus Comes de Negolts & Calro, primus Duelli Abbas felicissima morte defunctus cœlis immigrat, DEO ſanctitati ipſius teſtimonium perhibente, doliolo quodam illius perenni miraculo, tanto poſt ejus exceſſum, ad hæcusque tempora noſtra, oleum reddente, ut nemini non admirationem concitante. Salomon Epiſcopus noſter ſuper morte hoſtium Principum inconſolabiliter lugens, pœnitentiæ ergo Romam contendit, per benigne à Rom. Pont. exceptus, à quo corpus S. Pelagii Conſtantienſis olim Martyris (incertum quo caſu Romam perlati, ſingulari tamen Numinis deſtinatione Conſtantienſibus reddiri) impetravit. Contigiſſe nunc illud miraculi videtur; quod cum tam procul poſitus ageret, & in pervigilo Palmarum Fratrum ſuorum ad Divi Galli ſacrum fervorem non ſine lachrymis recoleret, & illic eſſe deſideraret, exauditus à DEO pro reverentia, intra ſex horas (ſtupenda res! conſcenderat Equos horâ diei tertiâ & nonâ ejusdem ad S. Galli ingreſſus eſt) totum iter conficeret, & Antiphonam *Pater juſte, &c.* ipſe in choro inchoaret.

Salomon Romam pergit.

Corpus S. Pelagii refert.

Res ſtupenda!

Moritur Salomon Epiſc. A.C. 919. Acerbiſſimo luctu triſtiſſimum hunc annum Conſtantienſes & Sangallenſes experti, multis lachrymis Salomoni Epiſcopo ſuo & Abbati mortuo parentarunt, cum Nonis Januariis feliciſſimè in Domino obdormiiſſet. Vir ſanctitate præcipua, ſublimis ingenio, ſtatura grandi, aſpectu decoro, humanitate ſingulari, moribus optimis, animi ſinceritate inſigni, quem quinque ſucceſſivè Cæſares Ludovicus II. Carolus Craſſus Arnulphus, Ludovicus III. & Conradus I. eximiè coluere, ejusque conſiliis & arbitrio utiliter uſi ſunt. Succeſſit pari ſanctitate Notingus Veringenſis Comes S. Galli Monachus, S. Conradi præceptor, Decanus nunc Conſtantiæ Cathedralis, ex Decano Epiſcopus meritiſſimus.

Notingus fit Epiſcopus.

Ad S.

Ad S. Galli ſubſtituitur paribus ingenii & naturæ talentis Hartmannus Abbas, de quo paulò poſt plura afferemus. Moritur Conradus I. Imperator. ſuccedit Henricus I. Cogn. Auceps.

A. C. 920. Hoc anno inſigne rurſum Diœceſeos noſtræ ſydus effulgere incipit B. Rachildes nobili Argoviana gente Virgo, contemptis vitæ voluptatibus, ſacro caput velo, ſummo vitæ rigori corpus addicit, rigidum Incluſorum noſtrorum amplexa inſtitutum egregiè ſeſe juxta Wendilgardem Linzgoviæ Principem, S. Wiboradæ Magiſtræ probans & commendans. Verum hoc ipſo tempore, niſi & anno, prædicta Princeps, cum de Wiboradæ licentiâ Buchornam enavigaret, ut illic marito Principi anniverſaria ſolemnitate parentaret, eleemoſynas in pauperes diſpertienti è filii theſauris res, indigna primum viſa, at memorabilis contigit, cum manum dantis, è mendicis quidam, violenter arripit, actè ſtringit, & Deo ſacram publicè amplexatur, graviter ſentiente illâ, & jam jamque mortem intentantibus ignoto homini miniſtris filii Principis, cum rejecto â facie capillo manusque ex nota cicatrice maritum agnoſcit Wendilgardis, & filius patrem. Plauſus haud minor & ſtupor quam mortuo tam charo reſuſcitato. Inde & ex atris, candida & fulgida omnia, remque cognoſcens Notingus Epiſcopus, marito ſolemniter reddit Conjugem, ſacro velo in ſcriniis Eccleſiæ recondito, dum marito vidua reſumeret. Voti proin cauſa & gratitudinis ergo ad S. Galli uterque profecti, Wendilgarde, ſi deinceps liberis donaretur, primùm quem editura eſſet filium Numini & S. Gallo devovente.

S. Rachildes fit mon.

Wendilgardis marito parentat.

Maritus ſuo pervenit.

Illa marito redditur.

A. C. 921. In Augia Divite Abbatem induſtrium agit Heribertus, vulgo Herprecht Abbas, ſub cujus diſciplinâ, & ſtudia litteraria plurimum & ſanctior diſciplina, viguere, incredibili confluxu Illuſtriſſimorum genere juvenum loci & religione & elegantiâ captorum, ſacrum vitæ Inſtitutum, tanto fervore exambientium, ut qui Equeſtri nobilitate eſſent, nec aſpirare quidem præſumerent. Ad S. Georgii Herciniæ, ob elucentes inde ſanctitatis ſplendores, intenti non ſolum longè poſiti Germaniæ, nedum vicini Diœceſeos oculi, ipſa quoque fœcundiſſima cæteroquin Sanctorum Genitrix Galliareſpicit, mirata & capta S. Theogeri ſive Diegeri illuſtriſſimo vitæ exemplo, ita ut ſummis votis à Notingo Epiſcopo noſtro illud toti Regno exemplar ſanctitatis expeteret, & Metenſi Cathedræ Epiſcopali tunc vacanti, talem paſtorem poſtularet. Nec abnuit Epiſcopus ſibi ipſi gratulatus, tales fructus Diœceſeos ſuæ eſſe, qui tam procul, tamque inhianter expeterentur. Eodem anno, Imperatori Henrico adſunt fideliter Conſtantienſes & generoſitatem ſuam probant, bello, graviſſimo contra Obotritos, quod paulo poſt magnâ felicitate confectum, Cæſare deinceps in auxiliares ſeſe quam liberaliſſimum exhibente.

Heribertus Abbas.

Concurſus ad Augiam.

S. Georgii ſplendor.

S. Theogerus Abbas.

Fit Epiſcopus.

Heribertus deiicitur.

A. C. 922. Oppresso recens laudato Præsule Heriberto, quibus de causis, an odio invidentiaque nemo memorat, cæteris qui faverant exauctoratis, Luithardus, sive Linthardus Præpositi titulo à Burcardo Sueviæ Duce (de Notingi Episcopi voluntate consensuque nulla mentio) Monasterio præficitur sive obtruditur.

SS. Sanguinis thesaurus in Augia.

Beatur insigni Dominici sanguinis thesauro hoc ipso Anno *Augia*, hoc uno, si nullo alio fuisset, solidè *Dives*, quem cum Suavahilda Waltharii Comitis uxor ad germanum suum Udalricum Augiæ Ascetam invisura secum deferret, indè referre conata, morbi violentia subita edoceri sibi visa est à Numine, tantum thesauri ad cæteros Augiæ deberi, vel invita reliquit, magno deinceps in pretio habitum, quem Azanes olim Hierosolymorum Rex per Legatos Magno Carolo miserat, Hunfridus vero Rhætiæ Comes, Legatus, legationis lucrum sibi ab Imperatore impetraverat, hæreditate ad Waltharium devolutum.

S. Conradus floret.

A. C. 923. Sub Notingo olim Magistro, nunc Episcopo, egregiis sese meritis commendat, ob eadem Præpositus Cathedralis designatus sanctus Conradus, summo sanctissimi Pontificis solatio Conradi etiam commodo, cum sese mutuo sanctitatis exemplis & mirè succenderent, & feliciter confoverent.

S. Vdalricus fit Epis.

Ipso anno amicissimus Conrado amicus & cognatus S. Udalricus, Hiltino Episcopo Augustano mortuo, in ejusdem locum succedit.

S. Wiborada prædicit.

A. C. 924. S. Wiborada hoc anno edocetur divinitus, de calamitate sequentis anni, & Germaniæ, nec non Sangallensis Cœnobii per Ungaros vastatione; quod Engilberto suasu Waltrammi revelans, dum moneret sibi ac suis consulere, & ille vicissim ipsam rogaret se subducere: *De me*, inquit, *noli sollicitus esse; nam ego confidens de adjutorio DEI, non timebo quid faciat mihi homo; si circumdabunt me sicut apes, & si exardescunt in me, sicut ignis in spinis; fortitudo mea Dominus fiet mihi in salutem.*

Non vult fugere.

Nec porro quidquam Engilbertus, sed vultum lachrymis suffusus, precibus se Virginis commendans, abiit.

Ungari vastant Germaniam.

A. C. 925. Ungaris, uti prædixerat S. Wiborada Germaniam immenso cum exercitu obruentibus & nobilissimas quasque civitates vastantibus, Cœnobia exurentibus idem quoque calamitatis S. Galli evenit, Abbate & Ascetis maturè sese in ditionem Abbacellanam subducentibus. Constantia nostra insigniter defensa, hostes elusit, qui tamen suburbia, necdum munita, flammis absumpsêre.

S. Wiborada Martyrizata.

S. Wiborada post tertium in caput acceptum ab Ungaris vulnus, pro mortua relicta, sequenti die gloriosè occubuit. B. Rachildes mortem metu supplicii deprecata, in cellula sua intacta mansit. Wiboradæ funus octiduo post, cum metu hostium nemo accedere ausus esset, curatum est, adeo integrum dum lavaretur repertum, ut nec cicatrix appareret, præter voluntarium vulnus, ex catena ferrea quam mortis præscia, juxta altare cellæ absconderat, visa post mortem & jubens, ut indè sumpta cum

Catena ejus ferrea.

corpore

Digitized by Google

corpore ſepeliretur. Difficultas in ſepelienda erat, quod pede & brachio incurvis obriguiſſet & ſic Libitinæ non congrueret. inter deliberandum quid facto, an ſectione aliqua opus, ſeſe repente corpus ipſum extendit, brachiumque & pedem aptavit, faciemque egrato rubore perfuſa, in riſum quaſi apparuit hilareſcere. quam deinceps Deus magna miraculorum gloriâ, fidelium devotioni commendavit, & Illuſtriſſimam reddidit. *Magnum miraculum.*

Ipſo anno B. Theogerus ſive Diegerus Metenſis ex Monacho & Abbate S. Georgii Herciniæ, Epiſcopus, mortalitatis exuens ſarcinam, immortalitatis præmia meretur, cui S. Benno, Einſidlenſis DEI paræ domeſticus eo in munere ſubrogatur, uterque inſignia Diœceſeos noſtræ ſydera, firmamenti illius longe illuſtriora, ab Empyreo cœlo magis, quam Galliarum Regno expetita. *Moritur B. Theogerus Epiſc.*

Hirſaugienſes è S. Galli Diethmarum Abbatem poſtulant, expetitum jam pridem & impetratum Profeſſorem. *Diethmar. Abb.*

A. C. 926. Burcardus Alemanniæ Dux, comminata ſibi à S. Wiborada ex improviſo morte, niſi ab injuriis abſtineret, & ablata S. Gallo reſtitueret, hoc anno moritur; Hermanno in ejus locum ſuffecto. *Burcardus Dux obiit.*

S. Galli Cœnobium ab Ungaris nuper exuſtum, novum nunc à fundamentis Engilbertus Abbas molitur.

A. C. 927. Moritur Burcardus Campidoni Princeps & Abbas, vir inſigni generis nobilitate, nec levi præditus eruditione, qui augendæ Bibliothecæ & promovendæ ad altiora ſtudia juventutis ſacræ fervori plurimum impendit, cui Theobaldus Preytfelder ab Aichſtetten in regimine ſuffectus fuit. Magna miraculorum gloria invaleſcit nomen S. Wiboradæ, ita ut ad tumulum ejus è remotiſſimis etiam locis magnus concurſus fieret. quæ Engilbertum Abbatem premovere, ut Hittoni Monacho, Wiboradæ germano fratri, annuam ſororis memoriam ſolemni cantu, parique cum cæteris Divis cultu, feſtivam imperaret. Inſevit idem Hitto ſororis tumulo, fœniculi germen, quo volente ſic Numine, toto etiam brumali tempore, virorem retinuit, adeoque deinceps excrevit, ut comis in morem coronæ nexis, totum ſepulchrum operiret ac protegeret, ramuſculis inde decerptis prodigioſè morbos curantibus, & ſalubri antidoto antevertentibus infirmitatem. *Burcardus Abb. obiit.* *S. Wiboradæ miracula.*

A. C. 928. Hungaris denuo latè graſſantibus Conſtantia noſtra conſtanti ſeſe fortuna ſolatur, & hoſtem confidenter expectat, appropiare non auſum, per vicinam tamen Alemanniam & Alpgoviam inprimis impunè vagantem. Theobaldi Campidonenſis Principis & Abbatis Monaſterium vix è ruderibus reſuſcitatum denuo incendunt & demoliuntur Ungari, ipſe cum vix tredecim à confirmatione annis præfuiſſet, inſidiis Equitis cujusdam veneno è medio tollitur; cui communibus votis ſufficitur Adalbertus Landfurer de Sulgow, & ipſe non diu ſuperſtes futurus. *Conſtantia ſecure hoſtes expectat* *Theobaldus Abb. obiit.*

S. Benno redit ad Eremum.

A. C. 929. S. Benno sive Benedictus primus à S. Meinrado Heremi Deipara incola, nuper Metensis creatus Episcopus scelere postea impiorum excœcatus, frustra deprecantibus optimis quibusque ne se desereret, ad desideratissimam solitudinem se revehi curans, ibidem vitæ reliquum sanctissimè traducit. Conradus Altorffensis S. Conradi Episcopi nostri consanguineus Burgundiæ Rex, magno thesauro Henricum Imp. & Imperium beat, lancea Dominica, quâ Longinus centurio fontem vitæ è Jesu in Cruce pendentis latere elicuit. Ob idipsum magnis à Cæsare per Alemanniam ditionibus donatus, quas omnes cognatis Guelphis Altorffensibus cessit.

Lancea Christi.

S. Marci festum institutur.

A. C. 930. Occultas huc usque S. Marci Reliquias, Augienses asservaverant, solliciti ne à Venetis repeterentur. veriti autem ne tam diuturno silentio, honore etiam suo tantum cœlitem fraudarent, apud B. Notingum Episcopum instant: publicum ejus nomen & solemnem cultum ac memoriam vellet, qui mircaulis quoque id exigentibus libenter annuit, ejusque solemnem & publicum cultum edicto publicavit; festum præterea ejusdem, pari qua cæterorum Apostolorum reverentiâ feriari totâ Diœcesi imperavit. etsi deinceps cum tempore, cessatio à laboribus molestior facta, desineret, iis solum qui proximi habitabant, morem retinentibus. Pontem Rhenanum Constantiæ primus magnis sumptibus exstruere cœpit Eberhardus Comes de Rohrdorff familiæ Agilolfingicæ Princeps, Marisburgi Dominus, ibique plerumque habitans, quod non absque periculo, navigando Isthmum flecteret, dum siquod uspiam ventorum inter se concertantium bellum quasi, eo loco se proderet.

S. Adalricus ex Sueviæ Ducibus.

A. C. Claret admirabili etiamnum vitæ sanctitate in Uffnaugiensi insula S. Adalricus Burcardi Sueviæ Ducis & B. Regulindæ Conrado I. Imperatæ filius, Princeps religiosissimus, qui à teneris annis pietati assuescens, solitudinis captus studio, cum mortalium cœtus quantum posset fugeret, Angelorum consortio dignus fuit, illis familiariter usus, non multo post Monasticam in Dei paræ eremo professurus.

Campidonum restituitur.

Campidoni Adelberto Principe & Abbate curante restituta paulatim sunt, quæ alterâ Ungarorum vastatione pessum ierant.

Duæ SS. Virgines.

A. C. 932. Duo rursim insignia Diœceseos nostræ luminaria ad S. Galli mira elucescunt vitæ sanctitate Beatæ Rachildes & Kebennina. Illi nuper mortem metuenti & deprecanti, cum Wiborada expectaret, omni Ungarorum atrocitate duriora nunc, minimè invitæ, amantissimum Numen infligit supplicia, & gravissimis morbis penè exanimat, quibus deinceps longo excruciata Martyrio, ad finem usque vitæ nunquam ex toto liberata, in Dei tamen amore crevit perpetuo, in laudibus invaluit. Inferviit eidem compatiens Kebennina, charitate maxima, quibus invidens Invidentiæ Auctor Cacodæmon, Kebenninam Deo permittente correptam subito in ignem injecit,

S. Rachildis dolores.

S. Kebennina in igne.

Digitized by Google

injecit, altera corporis parte ita exuſtam, ut oſſa & ſubinde inteſtina ſe proderent; cumque jam deſperata prope finem vitæ eſſe videretur, B. Rachildis miſſo B. Wiboradæ cilicio, & quo ſuſtentari conſueverat ſcipione, hæc partibus affectis admoveri juſſit, moxque reſpirans illa integrè convaluit. *Liberatur.*

A. C. 933. Divi Trudtperti Cœnobium, ab Ungaris nuper vaſtatum an penitus everſum, inſigni liberalitate Habſurgii Comites reſtaurant, & proventibus ditant. Ad Divi Galli Engilbertus Abbas, poſt excidium illatum ab Ungaris Reſtitutoris nomen meritus ætate & infirmitatibus perurgentibus, ac quietioris amantior vitæ, honore ſe ſponte abdicat, non diu poſtea ſuperſtes, in cujus locum, uno omnium ſuffragio Thieto ſufficitur. *S. Trudtperti monaſt.* *Engilbertus Exabbas.*

A. C. 934. S. Eberhardus ex Franconiæ Orientalis Ducibus, Haſſiæ & Veteroviæ Comitibus, Hermanni Alemanniæ, & Conradi Franconiæ Ducum frater, Conradi I. Imp. ex fratre nepos, feliciſſimo adventu ſuo, & firmo deinceps incolatu Diœceſim noſtram plurimum beat & illuſtrat, hoc ipſo Angeli ductu, in ſacram Deiparæ eremum delatus, eo collatis maximis opibus, è quibus inſigne honori Deiparæ, & S. Mauritii Thebaicæ legionis Imperatoris conſtruere cœpit, quod usque hodie Einſidlenſe appellatur. Eodem anno Conſtantiæ inſigni omnium luctu, optimè deomnibus & tota Diœceſi meritus extinguitur B. Notingus Epiſcopus Comes Veringenſis, & S. Galli Monachus, Sanctiſſimi titulo in Vita S. Conradi & officio Eccleſiaſtico honoratus, cujus funus conſanguineus ejusdem S. Udalricus Auguſta occurrens, non ſine piis lachrymis curavit. in cujus locum S. Conradus ejusdem olim diſcipulus, præmiſſo triduano jejunio, ob egregiam vitæ ſanctitatem & inſignem eruditionem Epiſcopus ſummo omnium plauſu conſalutatus eſt, diu multumq; obluctatus donec precibus amiciſſimi ſibi Udalrici evinceretur. Reliquit multa egregii ingenii monimenta Notingus, eaq; inter Commentarium in Regulam S. P. Benedicti, & Commentaria in quatuor Evangeliſtas. Compoſuit item cantus plures Eccleſiaſtici officii, quibus deinceps uſa eſt Eccleſia Conſtantienſis. Ipſo anno memorabilem ab Ungaris Victoriam retulit Henricus Imp. Aug. innumerabili fere hoſtium exercitu, ſub ſolemni theſſera Kyrieeleiſon profligato, S. Conrado quoque, ut & reliquis Germaniæ Epiſcopis ſubſidiarias copias ad Cæſarem mittente. de quibus Franc. Modius. *Moritur B. Notingus.* *S. Conradus Epiſc.* *Notingi ſcriptæ.* *Victoria memorabilis.*

A. C. 935. Ludi primi Equeſtres ſolemniſſimi ab Henrico Imp. Aug. Magdeburgi inſtituti ſunt, probandæ & exercendæ Nobilitati Germanicæ, frequentato deinceps laudabiliter & utiliter talium Ludorum uſu, quorum contuitu Germani ſuam & caſtius & decentius præ omni alia Nobilitate probare Generis dignitatem ſemper viſi ſunt, dum grave prius ſuper vita, & ſolidæ Nobilitatis requiſitis examen ſinguli ſubirent, priusquam ad Ludos *Ludi primi Equeſtres.*

Diœceſeos Nobilitas.

admitterentur. Hiſce magna omnino pars Nobilitatis Diœceſeos noſtræ interfuit, cum ſub hoc tempus vix uſpiam tantopere, quam in Suevia, Helvetia & Rhætia floreret.

S. Conradi monimenta.

S. Conradus vix adito Pontificatu, optimi Præſulis, & magni juxta Principis egregia edit ſpecimina, novas Deo Cœlitibusque Baſilicas moliendo, veteresque egregiè dotando. Cæterùm ſingulari in pauperes & afflictos charitate admirandus, hujus ante omnia plauſibile monimentum concedere ſatagit, Xenodochio ſuis ſumptibus exſtructo, viſus ipſe, multa omnium cum admiratione, tantus Princeps, ſuismet manibus lapides & cœmentum ſubminiſtrate ſtructoribus, ut quanti pauperes Chriſti faceret, cœlo non minus, quam terris comprobaret.

Ejus Humilitas.

S. Wolfgangus claret.

A. C. 936. Novum ſub hoc ipſum tempus ſeſe Diœceſeos noſtræ ſydus & quidem maximis non minus, in ortu ſtatim ſuo ſe prodit S. Wolfgangus, Pfulingenſis Comes, juvenili etiamnum ætate virtutum omnium radiis illuſtriſſimum; quibus Augiam noſtram, eodem à parentibus ad ſtudia miſſus, mirabiliter non ſolam illuſtravit, ſed Conſtantiam rapuit, imo ipſum ſolem Conſtantiæ S. Conradum ſibi obſtrinxit; in ſtudiis inſuper eos progreſſus faciens, ut admirationi omnibus eſſet, conſodales omnes excitaret virtutis exemplo & accenderet. Henricus Imp. dum expeditionem Romanam pro ſuſcipienda ſolemniter corona adornat, morte intercipitur communi totius Germaniæ luctu; quem tamen mox eximia filii & ſucceſſoris Otthonis generoſitas ſolatur, ob quam deinceps, Magni eſt nomen conſequutus.

Henricus I. Imp. moritur.

S. Galli conflagræ.

A C. 937. Miſerabili hoc anno incendio in cineres collabitur, illuſtriſſimum S. Galli Cœnobium, caſu qui non ſemel, ſed ſæpius, etiam alibi contigit, indiſcretione Magiſtri nimium in tenellos rigidi, qui ſimplicitate puerili, dum certi plagarum, nimiumque pavidi, omnem evadendi occaſionem circumſpiciunt, rumore incendii in ſpem accenſi, ramenta quædam & aſſulas ſub tecto de induſtriâ inflammant, invaleſcente mox malo, totumque Cœnobium peſſumdante.

Gauſa mali

Incrementa Einſidlenſia.

Creſcit egregiis incrementis fabrica Monaſterii B. M. V. in ſacra Heremo opera S. Eberhardi, eoque inſignis confluit multitudo nobiliſſimæ non ſolum juventutis, ſed & Procerum, ætate provectorum & rebus geſtis illuſtrium non pauci, quos inter Thietlandus fuit, ex Alemanniæ Ducibus oriundus, qui omnes Spiritu Dei ducti ſervitio Deiparæ ſe conſecrare in lectiſſima ejusdem Heremo, omnibus mundi deliciis prætulere.

Altorffenſe Monaſt.

A. C. 938. Altorffenſe Virginum Illuſtriſſimum Cœnobium, uti diſciplina, & fama latè exſplenduit, ita ſub hoc tempus, à parentibus S. Conradi & Rudolpho ejus fratre regiâ magnificentiâ dotatum opibus & potentiâ crevit, ipſo S. Conrado, in illud ſeſe eximiè liberalem oſtendente, aliaque inter Bergenſem Eccleſiam eidem incorporante.

A. C. 939.

Digitized by Google

A. C. 939. Extruſerat Cœnobio S. Galli unius hominis irreligioſa indiſcretio, omnem Religioſum cœtum; ita ut quaquaverſum dimiſſi, longè alios nonnulli mores inducrent, quod veritus Thieto Abbas, dum extemporaneum tectum, & habitacula quædam properanter molitur, revocare quamprimum exules cœpit, & ad conſuera cogere ſacra exercitia, quæ nonnullis reſumere nimis quam arduum videbatur. Hos inter Victor quidam nomine, genere Nobilior quam indole, Rhætiæ Comes, eo usque temeritatis devenit, aliisque auctor mali fuit, ut benè monentibus etiam verbera minarentur & intentarent. Foverunt inſolentiam Victoris conſanguinei in ſæculo præpotentes, generoſitatem juvenis interpretati, quibus blandimentis juvem animus crevit, donec denique ſingulari Numinis gratiâ, à DEI ſpiritu recta ſapere doctus, diu tamen poſt, etiam ſanctitatis nomine celebraretur.

S. Galli alterum infortunium.

Victor Aſcetæ inquietum.

Victor dominum reſipuit.

A. C. 940. Iterum cœlo transmittit inſigne ſydus Diœceſis noſtra, ejusque feliciſſimum deſertum Einſidlenſe, B. Bennonem, oculatiſſimum contemplatione cœleſtium cœcum, Pontificem nuper Metenſem, optimè meritum, peſſimè à peſſimis remuneratum, qui initia novi Cœnobii haud minimùm eximiâ vitæ ſanctitate illuſtravit, & promovit, ingens B. Eberhardi ſolatium, quod ipſi eripuit hoc anno cœlum 3. Nonas Auguſti, inde Monaſterii ſucceſſus æquè & efficacius, quam dum viveret in terris, promoturum. Immigrat hoc denique anno novo Cœnobio Einſidlenſi S. Adalricus Uffnaugienſis inſulæ probatiſſimus Anachorita, & cucullum amplectitur, adeo paulo poſt Eberhardo Abbati ſe probans, ut Cuſtos Marianæ Eccleſiæ renunciaretur. quo ipſo tempore & Hermannus Alemanniæ Dux, & Regulinda Ducissa S. Adalrici mater ampliſſimis bonis Cœnobium idem dotaverunt. Campidoni mortuo Adelberto Ludovicus Abbas ſufficitur.

Obiit S. Benno Epiſc.

S. Adalricus fit Cœnobita.

A. C. 941. Idem cum vix annum præfuiſſet ærumnis & calamitatibus confectus, mortalibus eximitur, cum jam tertium Ungari Campidonum vaſtaſſent & everſiſſent. Conſuluit tamen prudenter admodum Religioſis ſuis, ultimis precibus S. Udalricum conveniendo, & obſecrando, ut ſuos buſtumque Cœnobii commendatos haberet. quod ipſum paulo poſt etiam reluctanti Ottho Magnus imperavit.

Obiit Ludovicus Abb. Campid.

Succedit S. Udalricus.

A. C. 942. Apud S. Galli collucentibus plurimis ad omnem æternitatem, nunquam amittendo ſplendore, ſyderibus, rigor tamen Cralonis Decani major viſus quam liberiora tolerarent ingenia, & hic Magnus iterum turbas concivit, Victore iterum anteſignanum quiritabundorum agente: quæ cauſa Thietonem impulit ut ſenectutis valetudinisque prætextu Abbatia ſe abdicaret; quæ cum in Cralonem uterinum ejus fratrem omnium ferè votis caderet, Victor, atrociſſimum ſibi fore queſtus, ſufferre Abbatem, quem Decanum nequiverat, optimos quosque in partes trahere ſtuduit, Cralonémque omni modo everſum voluit.

S. Galli res turbata.

Thieto ſe abdicat.

A. C. 943

Spes compositionis.

A. C. 943. Occasio conciliandi cum Abbate Victoris offerre se visa, cognatos hujus impulit, ut Victori Abbatiam Fabariensem peterent, quam Sangallenses ab obitu B. Salomonis, ut membrum Cœnobii ac propriam possederant, & sic etiam confirmari impetraverant; ea & lites, & litigantes Cralonem & Victorem dum disjunctura, sic & juncturavidebatur, qua magis alter ab altero abesset, sed dum Cralo sui Jura Cœnobii inviolata vellet, nec Victori cedere, quæ ad se pertinebant, crevêre odia, ita ut deinceps Victor omnium avertere animos à Cralone conaretur. quæ res viros loci sanctissimos haud minimum affligebant, & S. Conradum inprimis Sangallensibus addictissimum, qui omnem procul dubio movit lapidem, ut dissidentes conciliaret.

Res S Galli turbata.

Terræmotus.

A. C. 944. Terræmotus horribilis feriâ tertiâ Paschatis partes etiam nostras infestavit, consequente æstate pluvia admodum, & quæ spem omnem mortalium una cum fructibus merserat.

Successus Einsidlenses.

Felicissimi Einsidlensium, sub patrocinio Deiparæ, successus, loco & viris crescente ac viribus, dum eodem peregrinatione suscepta magni Principes & Præsules, certatim varia donaria offerrent & se Religiosis loci commendarent, preces exambirent.

S. Blasii Abbatia instituitur.

A. C. 945. Regimberto Saldenburæ Barone Auctore, S. Blasii in Hercinia Prioratus seu Præpositura, Abbatiæ honore insignitur, & liberalius dotatur. ipso statim Fundatore, sese ipsum, postquam omnia Numini devoverat & obtulerat, in cucullo consecrante. Electus communibus calculis primus Cœnobii Abbas Beringerus Liber Baro ab Hohenschwanden: Vir, ut veteres MSSti. habent *Sanctus, pius, arcta vitæ, & Strenuè DEO serviens, &c.*

Potens Oratio.

A. C. 946. Exules, tertiùm jam everso ab Ungaris Cœnobio egerant ejus loci Ascetæ, quos inter duos Stettwangæ Amandus & Felix vitam tolerabant. eo cum forte Hermannus Sueviæ Dux, ut festo die Sacris interesset, diverteret, occasione usus dum pro concione diceret, lamentari super ruina Cœnobii sui cœpit, & Fundatricis S. Hildegardis, cognatæ Ducis, liberalitatem & sanctitatem celebrare, commemorare dein loci dignitatem, Monachorum merita, & quotinde ad diversas Cathedras postulati Episcopi, extracti è cellulis suis ad juvandos in rebus arduis Cæsares Consiliarii, ad edomandam barbariem Gentium, Christique propagandam fidem educti viri Apostolici? ita demum cor Ducis affecit, ut non tam promitteret quamprimum restaurare Monasterium, quam opus illico aggrederetur, exules Monachos revocaret, Abbatem eligi juberet, Privilegia confirmari de novo à Cæsare impetraret; titulum sanè meritus Secundi ab Hildegarde Fundatoris. Nec minus meritus de Einsidlensi eodem ipso tempore in Helvetia Monasterio, idem Hermannus, non tam secundarium quam primarium Fundato-

Hermannus Dux Campidonum restaurat.

Fundat etiam Einsidlense.

Digitized by Google

Fundatorem egit, ſancto Eberhardo fratri ſuo germano in Fundatione Cœnobii regiâ planè liberalitate cooperando, quæque ejusdem confirmationi & libertati neceſſaria erant, ab Otthone Cæſare impetrando. Uti hoc ipſo anno datum ab eodem Auguſto Diploma facit manifeſtum.

S. Rachildes obiit.

Iterum novum cœlo ſydus inſerit Diœceſis noſtra, evocante beatam Rachildem ad præmia æternitatis Numine, cùm diu terris maximis excocta doloribus, patientiæ miraculum illuxiſſet, cui tale Epitaphium Heppidanus poſuit:

Epitaphium.

Hanc Sathan hanc læſit, cum Job ſaniem ſibi raſit,
Jejunans flevit, tormenta dolens vigilavit.

Fuit nobili edita genere, Eckehardi Senioris è familia Dynaſtarum de Jonſchweil conſobrina.

Reperta S. Hildegarda.

A. C. 947. Dum novum molitur Campidoni Monaſterium Hermannus Dux S. Conradi Epiſcopi noſtri conſanguineus, magno utriusque plauſu reperiuntur inter rudera veteris templi ſarcophagi & corpora Sanctæ Hildegardis & filii ejusdem Ludovici Pii Imp. Aug. & novo ad idipſum fabrefacto, ſimul collocantur, magno deinceps ad eosdem concurſu facto, dum cœcis, ſurdis, mutis, leproſis, &c. ſanitas, mortuis vita reſtitueretur. S. Eberhardus Primus Einſidlenſis Cœnobii (ab ipſo aliquamdiu Eberhardi-Cellæ nomine nuncupati) Abbas, coadjutorem ſibi adſciſcit S. Thietlandum, ex Alemanniæ quoque Ducibus oriundum, pari ſanctitatis opinione celebrem, ut nunquam ſatis felicitatem Diœceſeos noſtræ deprædicem, tanta ſemper & continuo ſydera cœlo educantis.

B. Thietlandus Coadjutor.

Sacellum Deiparæ

Conditores ejusdem.

A. C. 948. Sed memoranda nunc æternis ſæculis Diœceſeos noſtræ felicitas & gloria, in deſignandis ſingulari prorſus benevolentiâ Numinis, Civitate Refugii, Fœderis arca, Oraculo plus quam Delphico, Domate Aurea tot tantisque gratiis, in uno unico Sacello, quod Deiparæ honori & iconi, primùm vili ſchemate ſtruxerat S. Meinradus Martyr, S. Benno excoluerat, B. Eberhardus inſigniter reſtaurarat, hoc vero ipſo anno Chriſtus ipſe Sacerdos in æternum, Pontifex ter Maximus Optumus, ſuismet ſacratiſſimis manibus, ſolemniſſimâ, inter adſtantium, & miniſtrantium Cœlitum frequentiam, benedictione & unctione conſecrare dignatus eſt. Aderat evocatus ad conſecrationem Baſilicæ novæ, Sacelli & Monaſterii tanquam ordinarius loci, S. Conradus Epiſcopus noſter S. Eberhardi & Hermanni Ducis conſanguineus, aderat & honoris gratia tanquam ſingularis Monachorum omnium amicus & Patronus S. Udalricus, familiariſſimus Conradi, Auguſtanus Epiſcopus; aderat cum his Baronum, Comitum Principum, Cleri populi maximus numerus. cumque noctem quæ diem conſecrationis immediatè præceſſerat, ſuo more pervigil Conradus in oratione traduceret, cantu inprimis Angelico audito circumſpiciens, mira quam primum

S. Conradi Viſio mira.

intueri meruit & audire. Ipſummet Oculatum, omnique exceptione majorem audiamus ſanctiſſimum Teſtem, libro quem ipſius *de Secretis Secretorum* inſcripſit hæc ipſo tradentem: *Deſcendit*, inquit, *Dominus de cœlis, caſulâ violaceâ ante altare, ad ſacrum Officium celebrandum, cui quatuor Evangeliſta infulam capiti ejus imponentes & more conſueto deponentes. Angeli aurea thuribula deferebant, alis ſuis, ut ramis arborum flabant. Iuxta Dominum S. Gregorius flabellum in manu tenens, S. Petrus in manu tenens baculum paſtoralem: Sanctus vero Auguſtinus & Ambroſius ſtabant ante Dominum. MARIA Virgo ante altare ſtabat, ſplendida ſicut fulgur. S. Michael Præcantor erat. S. Stephanus legit Epiſtolam. B. Laurentius Evangelium. Sanctus cantabatur ſic: Sanctus DEUS in aula gloriosa Virginis miſerere nobis. Benedictus Mariæ filius, in æternum regnaturus qui venit. Agnus DEI ſic: Agnus DEI miſerere vivorum in te credentium. miſerere nobis. Agnus DEI miſerere mortuorum in te pie quieſcentium. miſerere nobis. Agnus DEUS da pacem Vivis & Defunctis in te piè regnantibus. Dominus Vobiſcum. Reſpondebant Angeli: Qui ſedet ſuper Cherubin & intuetur abyſſos, &c.* Hactenus Divus Conradus. Verum cœptâ luce ait Chriſtoph. Hartmannus, quam Exaltationis S. Crucis memoria & honore illuſtravit Eccleſia (erat autem feriam V. inciderat anno Biſſextili) paratis ad manum neceſſariis, magna attentione omnibus Conradum expectantibus, ipſe ſolus cunctari, moraſque nectere, neq; interea Sacello pedem efferre, ibidem fixus, immobilis, attonitus inhærere & obſtupeſcere, donec ad Meridiem jam tempus vergeret. Tum vero omnes urgere ſollicitareq; qui aderant Antiſtites, ſolemnitatem tandem & officia inchoaret, promoveretque neque ultra tantum mortalium conventum diſtineret. Ille adhuc cauſas obtendere, an aliud ſignum expectare, Deniq; quid audiſſet, quid perſpectum haberet paucis oſtendit. Ibi vero tum omnes veluti vana, & tanquam cœleſtium ex meditatione nata ſomnia memorantem, reprehendere, objurgare, poſtremo ad ſacrorum miniſterium, & conſecrationis opus illis poſthabitis, impellere & cogere, donec cunctis, re inopinata, perculſis, & exhorreſcentibus cœleſtem delapſam vocem *Ceſſa ceſſa Frater, Divinitus Capella conſecrata eſt*, ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, & Conradum vera cognoviſſe, & Sacellum DEI paræ cœlitus dicatum & conſecratum eſſe, nemo poſtea dubitavit, &c. Igitur Conradus, Sacello, ubi initium conſecrationis facere inſtituerat, egreſſus, comitantibus qui præſentes erant, & DEUM DEIque Genitricem magnificantibus, Baſilicam porro Sacello circumjectam ſolitis Ceremoniis in nomen & titulum S. Mauritii & Sociorum, ita Eberhardo poſtulante conſecravit dedicavit, &c. Conſecrationis hujus Divus Hermannus Contractus ſic quoq; meminit: *In Cœnobio S. Meginradi, Capella cœlitus conſecrata eſt XVIII. Cal. Oct.* Et his verbis Martinus Pœnitentiarius: *Eodem tempore Capella S. Meginradi in prædicto Cœnobio Heremitarum Conſtantienſis Diœceſis*

Liber S. Conradi.

Conſecrat ipſe Chriſtus Sacellum.

Officium mirabile.

Dies Conſecrationis.

S. Conradus tergiverſatur.

Vox cœleſtis ter audita.

Templum ſacrat S. Conradus.

Martinus Pœnitent.

cessis cœlitus est consecrata XVIII. Cal. Oct. Sancto Conrado Constantiensi Episcopo hoc testante. Ista paulo prolixiùs pro rei dignitate. Lætissimis tristia non multo post supervenere, Hermanni Alemanniæ Ducis, & Fundatoris morte, quæ hoc ipso anno IV. Idus Decembris optimè meritum Principem mortalibus exemit, à Conrado cognato, & Eberhardo fratre, justis funebribus pro dignitate honoratus. Corpus in Augia Divite sepultum est, cujus magnum Benefactorem egit, conditum in Sacello S. Kiliani. Ipso anno Ludos Equestres solemnissimè Constantiæ celebrat, ingenti Principum & Procerum Germaniæ frequentia Dux Alemanniæ Ludolphus.

Mors Hermanni Ducis.

A. C. 949. Regulinda Princeps sanctissima, altero marito nunc vidua, tertio se sponso subito junxit, sed immortali & immaculato, totamq; se Christo consecrans, in Uffnaugiam relictam à filio S. Adalrico insulam se contulit, piis operibus, & Divinarum rerum meditatione vitæ reliquum exigens, novum iterum & insolens decus Episcopatus nostri Constantiensis.

B. Regulinda in Vffnaugv.

Ipso anno Beatus Gregorius Edvardi Regis Angliæ filius, Ethelstanni & Edmundi Regum germanus frater, Otthonis Magni Imp. affinis, novum seipso sydus Diœcesi nostræ, & illustrissimum sanè infert sydus, cœlesti & tertiùm quidem voce, ad sacram eremum Deiparæ concedere jussus, in itinere autem, de insigni Monasterii sub Divo Eberhardo disciplina, conjunctaque ejusdem Abbatis generis claritudini sanctitate edoctus ab Angelo, Sanctorũ illic degentium Collegio se sociavit, & cucullum exambiit ac meruit, dignus & ipse habitus tantæ Augustæ, ejus loci Matrisfamilias, famulatu.

B. Gregorius Regis Angl. filius.

Fit Monach. Einsidl.

Eodem anno Adamus quidam Illustri genere Rhætus, Majestatis lælæ judicio publico damnatus, cum ad Eremum Deiparæ profugisset, & Monachis inseri meruisset, re comperta Ottho Imp. plurimum gavisus, illum quamprimum, indemnem esse, & adjudicata fisco bona restitui jussit. quæ ab Adamo deinceps Monasterio accesserè.

Adamus Einsidl.

A. C. 590. Ad Divi Blasii Herciniæ prosperi rerum successus, & inde Diœcesi nostræ, plurima colluxere lumina, incredibili solatio Solis nostri S. Conradi, qui talibus exemplis Regimen suum beari, & tempora illustrari mirifice gavisus est. Beringeri Abbatis sanctitatem pari passu æquare Reginbertus loci Fundator genere aggressus est, cæteri pari studio, tantam gratiam loco conciliarunt, ut candidæ potius sylvæ, & aureæ, quam Nigræ nomen mereretur, imo vicinam omnem sacer ille ignis Divini Spiritus & illustraret & accenderet.

S. Georgii in Hercinia.

Sylva Nigra.

A. C. 951. Cathedrale Constantiense Monasterium S. Conradus, disciplina insigniter reformat, & numerum Canonicorum adauget, amplissimis possessionibus Monasterium ditans: (ne putes Canonicis præbendas auxisse) *Tradidit*, ait Vetustus liber MS^tus *Ecclesiæ Constantiensis Fratribus, ad usus communes, subscriptas possessiones*, &c. Nec dubium è S. Galli, semper penes

Constantiense Monast.

se aliquot habuisse, quorum alii scholis praesslent, alii res Monasterii Cathedralis, & Regularem observantiam, sartam tectamq; conservarent, uti anteccssor Notingus Sangallensis, multo tempore Decanum Cathedralem egit.

Ejus disciplina. Ipse certè Legum Monasticarum jam creatus Episcopus, non minus quam ante Episcopatum observantissimus extitit, & cum Lectoris munus ob vocis naturalem raucedinem, obire pro dignitate non posset, Ministrantis ad mensam diligenter explevit, etiam cum ad S. Galli, ut sæpius, occurreret, tantus

Et reformatores. Pontifex fercula in mensas Fratrum intulit, vinum fudit, omnibus (hebdomadem suam faciens, ut veteres loquuntur MSSti.) inserviit.

B. Kerhildes claret. A. C. 952. Nova iterum facula ad S. Galli exoritur & latè exsplendescit beata Kerhildis sive Gerhildt, quæ hoc anno sacro amicta velamine & Monasticen professa, rigidissimum Inclusorum institutum amplectitur. Invisit annis singulis ad S. Galli & Einsidlense Monasterium S. Udalricus Episcopus Augustanus, & spiritum resuscitat. Hoc anno ab Italia redux, inde brachium S. Mauritii retulit, & S. Eberhardo Abbati dono dedit. Emigravit

Moritur B. Regulinda. ad Superos hoc eodem anno Regulinda Princeps, vitâ sanctissimè exactâ in Uffnaugia cujus funus SS. Eberhardus Cognatus, & Adalricus filius multa devotione curarunt, & corpus ex insula in Einsidlen translatum, proprio

Item Diethmarus Abbas. Sacello condiderunt. Moritur eodem anno in Divi Aurelii Hirsaxgiensi Monasterio Diethmarus Abbas, è S. Galli postulatus vir non minus vitæ sanctitate, quam eruditionis famâ longe illustrissimus. cujus encomium latè prosequitur Trithemius.

Cralo exauctoratur. A. C. 953. Ad S. Galli Victor ejusque cognati Cralonem acrius accusantes apud Luitolphum Cæsaris filium, id denique assequuntur, ut eodem exauctorato anno quidam substitueretur, magno accusantium plausu, Annone vix annum Regiminis explente, & rebus humanis exempto frugi cæteroquin homo & laude dignus, si subesse quam præesse maluisset.

Anno Abb. moritur. A. C. 954. Annoni vix duos menses supra annum ad clavum sedenti, supremus hic fuit; cujus mortem Sangallenses diu multumque planxêre.

Oppidum S. Galli. Huic brevi tempore multa gesta, & turpi præfecturâ multa præclare. Ea inter adjacens Cœnobio oppidum vallo fossisque munitum, adjecta mœnia, & his turres, ita ut hanc quoque urbem Monachis Diœcesis & Germania debeant. Annoni subrogatus denuo Cralo est, ipsum comitante S. Udalrico, fuitque nemini ingratus, quam Victori quod dein referemus.

Moritur Helpericus mon. A. C. 955. Immortalibus jungitur Helpericus Monachus, immortale S. Galli & Diœceseos nostræ decus, is qui de Computo Ecclesiastico librum insignem scripsit, aliaque posteritati reliquit præclara ingenii monimenta, vir Sacrarum litterarum scientia clarissimus, nec minor in Philosophicis, Poëti, Musicâ, Astronomia Arithmetica exercitatissimus, nec

minore

minore facundiâ quam ingenio. quem magnis laudibus Trithemius celebravit.

Eluceſcunt autem plurimi uti ſtellæ in perpetuas æternitates in Monaſterio S. Galli, B. Gerardus inprimis, è cujus ſcholis plurimi Pontifices prodiêre, B. Notkerus Phyſicus, Waltpertus, Wiepertus, Hartpertus, quorum ſinguli ſingula volumina requirerent, nonnullorum tamen obiter meminiſſe oportebit. Ipſo anno Ottho Magnus præferente cœlo allatam S. Crucem S. Udalrico Ungaros internecione delet. *S. Gerardus Profeſſor.*

A. C. 956. Ditat & dotat ſub hoc tempus Augienſe Cœnobium Regia liberalitate Hedwiges, Henrici I. Imp. filia, floruitque tantopere Monaſterium illud hoc ipſo tempore, ut hortum Deliciarum appellare, Heppidanus non dubitaverit. *Hedwiges Imp. filia.*

A. C. 957. Victor Sangallenſis & Genere ſuperbus, & præfidens in Cognatorum favore, nihil non contra Abbatem ſuum molitur; cumque apud Sanctos collegas nihil proficeret, Fabariam iter inſtituit, ad Enzelirum loci Abbatem Conſanguineum ſuum, nulla rogata, nec accepta licentia, poſt quem, re cognita, Abbas Nobilem Vaſallum cum comitatu mittit, qui reverti monerent, & niſi annueret cogerent. quem amicè compellatum, & redire rogatum, cum vi demum adhibitâ retrahere conarentur milites, & hic fuſte arrepto, quendam acrius inſtantem, graviter impacto in capite baculo, equo ſeminecem deiiceret, cæteri infurorem verſi, equo etiam detrahunt non ſolum, ſed injuſſi oculos eruunt. Ita reductus ad Monaſterium cœcus eſt, & condolentibus Abbate & univerſis B. Notkero Phyſico commendatus, qui, prodigiosè ſane medicus, orbes eidem paulo poſt ſanos reſtituit, nil deinceps, niſi ſaniora & ſanctiora meditanti. *Victor Sangallenſis.* *Ejus temeritas.* *Victor excaecatur.* *Curatur.*

A. C. 958. Inſignis hic annus eſt, translato rurſus inter Empyrea ſydera, uno Diœceſeos noſtræ, S. Eberhardo nimirum, primo Einſidlenſium Abbate, lucidiſſimo lumine. Is Divo Udalrico Amiciſſimo Pontifici ad DEIparam quotannis, & ſe inviſenti, hoc anno inter valedicendum, iſta ingeſſit: *Ex hâc hora, non videbimus nos ulterius in hâc vita.* Cui cum Udalricus: *Pater venerande, ſcis nunc pro certo tempus meæ reſolutionis inſtare, quo debeam ex hâc vita migrare?* Tum Eberhardus: *Finis quidem vitæ tuæ adhuc non erit: ſed verum eſſe quod dico, exitus rei comprobabit.* Ita factum & antequam reverteretur ex more Udalricus, Amicum obiiſſe intellexit; Conrado Epiſcopo noſtro non minus tanti luminis & conſanguinei amiſſionem dolente, quam Udalrico, cui quotannis ex tanti viri abſentia dolor eſt renovatus, etſi etiam ab obitu illius ad ſacram Eremum occurrens Thietlandum, qui ſucceſſerat proximus, Gregorium & plures alios reperiret, qui ſacro ejus deſiderio abundè ſatisfacerent. *S. Eberhardus Abbas obiit.* *Pradicti.* *Luctus S. Conradi Epiſcopi.*

A. C. 959. Alewicus Augiæ Abbas, *Beatæ memoriæ* (sic vocatur ab Heppidano) mortalitatem exuit, vir præstantissimus, & cujus mortem sæpius deinceps Augienses acerbo luctu planxere, substituto dissimillimo Alewici Eccenhardo, sub quo, quantum antea res creverant, tanto deinceps decrevere, ita ut pauper Augia, quæ antea Dives, merito diceretur. Apud S. Galli Cralo etiam Abbas vivere desiit, suffecto Burcardo, quam Ingenitum dixere, Henrici I. Imp. exsorore, Hedwige, pronepote, Linzgoviæ & Buchornæ, Principe, id nominis habente, qui minimè natus, sed excisus è mortuâ parente fuisset, viro apprimè docto, sancto, & digno Principis ingenio, supra modum generoso & liberali.

Obiit Alewicus Abba.

Item Cralo S. Gallensis.

A. C. 960. Iterum cœli Diœceseos nostræ magnum exambiunt sydus, & invitis à S. Galli Ascetarum felicissimo Collegio abripiunt, interque sua collocant, B. Gerardum rarâ integritate virum, eruditione maxima, insigni facundia, magnis meritis qui festo S. Joannis Evangelistæ (ari in vita omni erat addictissimus,) natus, Monachus factus, Presbyter ordinatus, & denique sanctissimè mortuus est, cum nulla laborans invaletudine, ipsa die pro concione dixisset, & populo valedixisset, moxque Valetudinarium ingressus, super cinere & cilicio se ipsum composuisset, & fratres convocari jussisset, eosque supremùm salutans, conspecto Tutelari suo Evangelista, plenus gaudii, hilari vultu ac voce *Benè veneris*, *Beneveneris* Domine congeminans, Tutelarem consequutus ad præmia æternitatis evolasset.

B. Gerardus sive Geraldus.

Felicissimus transitus.

Memorabile illud ejus & factum & dictum, cum non multo ante mortem, incertum cujus instinctu, Visitationem quandam Monasterii, plurimi convocati Episcopi instituissent, suaque usi licentiâ per conventum confabulando discurrerent. Doluit homini sancto loci irreverentia & in Dormitorio obambulantium insolentia, & accepto in manus Regulæ S. P. N. libello extra cellulam suam in oculis Episcoporum (quorum plerique olim ejus erant discipuli) consedit. Dissimulantibus cæteris Metensis indignum se duxit optimè de se meritum non alloqui: Ecquid ageret omniscius Magister & senium legendo fatigaret? sciscitatus est: In Regulam se suam incumbere respondit. Atqui cum memoriter, inquit Episcopus, eam teneas, nullusque Te apex ejus fugiat, quid est quod à teipso deinceps & libro exigas? Mox appositè sanctus senex: Ita nimirum coactum se à supervenientibus tot Episcopis, subdidit, qui omnium Regulæ præceptorum penitus ignari, docere tamen Magistros suos venerint; idque ipsum in libello suo se indagare, siquid fortè sit, quod se suosque tanto tempore fugerit, hodie primum nova commentatione ab Episcopis, sibi ac Fratribus suis, explicandum. Erubuit Pontifex, & aliis referens, effecit, ut nihil porro ausi, re infesta inde discederent.

Dictorum memorabile.

Episcoporum licentia repressa.

Discedunt Episcopi.

A. C. 961.

Digitized by Google

A. C. 961. Beata Bertherada (Pertherat) magnæ ſanctitatis fœmina, Numini deſponſa, & ſacro velamine amicta, rigoriſſimum S.P. Benedicti Incluſorum amplectitur inſtitutum, & maximis inclareſcit virtutibus. Bene meretur de Einſidlenſibus Ottho Imp. Aug, ſed & Burcardus Sueviæ Dux, Menidorffum & Eslingam iisdem in perpetuum donat. *B. Bertherada incluſa.*

A. C. 962. Quantum nunc opibus decreſcit, tantum creſcit Campidonum, quo ipſo anno poſt longam vacationem Abbatiæ eligitur Alexander Fordrefferab Eck, qui annos triginta ſuis utiliter & feliciter præſedit. Conſtantiæ nulli non Cœnobio & Eccleſiæ conſulens S. Conradus, de diſciplina inprimis valdè ſollicitus, inde in omnes liberalitate profuſus, exemplo omnibus prælucêre inter prima Pontificatus decora & inſignia habuit. *Campidonum reſurgit.* *S. Conradi Sanctitas.*

A. C. 963. B. Thietlandus Einſidlenſium Abbas excoctus laboribus ſenex, quietis & ſupremæ ætatis ſanctius exigendæ ſtudio Præſulatu ſe abdicat, nec multo poſt, V. Cal. Junii, vitâ qua ſanctiſſimè traduxerat defungitur. Illuſtravit Diœceſim noſtram eruditione non minus quam vitæ ſanctimoniâ, cujus etiam inſignia poſt ſe reliquit monimenta. In Divi Pauli Epiſtolas Commentaria. cui communibus calculis ſuffectus in honore Occidenti Oriens Sol S. Gregorius Edvardi I. Angliæ Regis filius, Adelſtanni, Edmundi & Eldredi Regum nec non Edgithæ Rom. Auguſtæ germanus frater. *B. Thietlandus obiit.* *S. Gregorius Abb. Einſidl.*

Ipſo anno factam à B. Regimberto S. Blaſii Fundationem, datis Veronæ litteris, Ottho Magnus Imp. Aug. ſolemniter probat & confirmat. *S. Blaſii.*

A. C. 964. S. Conradus Epiſcopus noſter cum Otthone Magno Imperatore Aug. Romæ agens, alia inter colloquia familiaria, rem illam admiratione & plauſu æterno dignifſimam referens, cujus ipſe teſtis erat Oculatus, de Sacello Deiparæ Einſidlenſi, ab ipſomet Virginis filio ſolemniter conſecrato, idem ſimiliter S. Leoni Rom. Pont. retulit, utrumque mirè affecit. Proin Leo ſanctitate Conradi & ſibi & omnibus cognita, auctoritate quoque S. Udalrici Auguſtani Præſulis tunc etiam præſentis permotus, factam Divinitus conſecrationem ratam non modo omnium qui aderant conſilio & conſenſu habuit, ſed & magnis Privilegiis Cœnobium, & qui ad illud inviſiſſent Indulgentiis donavit. Bullam in Annalibus Eremi deſcriptam poſuit, hoc ipſo anno datam, ad quem lectorem remitimus. *S. Conradus Romæ.* *Confirmatio Dedicationis prodigioſæ.*

A. C. 965. Ottho & Adelheides conjux Auguſti, Numinis erga Einſidlenſes ſingulari animadverſa benevolentiâ, eos quoque ſibi demerendos cenſuere, ita ut Adelheidis maximè interventione Ottho alterum quaſi Fundatorem ageret, multosque pagos, vicos, arces, Dominia & poſſeſſiones Einſidlenſibus per Helvetiam non ſolum, ſed & per Briſiacam, Linzgoviam & Rhætiam iisdem Regiâ donatione largiretur. Extant Donationis *Ottho & & Adelheid. Fundatores Einſidlenſes.*

imo

imo Fundationis ejusdem litteræ hoc anno datæ apud præfatum Hermannum.

S. Wolfgang. fit monachus Einsidl.

Ipso etiam hoc anno, redditur patriæ suæ Diœcesi nostræ, admirabile illud ejus decus & Sydus S. Wolfgangus Comes Achalmensis & Pfullingensis, à parentibus ab Aula Trevirensis Archiepiscopi evocatus, à quibus paulo post sese repente abripit, & in Einsidlensi Cœnobio D Elparæ servitiis se devovens, sub S. Gregorio Abbate Monasticen solemniter profitetur.

Burcardus Abb. S. Galli.

A. C. 966. Burcardus Linzgoviæ Princeps, Abbas S. Galli, haud minimum S. Conradi solatium, Diœceseos ornamentum, mira effulget vitæ integritate. Pater pauperum eximius extitit, neque quacunque alia re ita recreari est visus, quam iis quibus pauperes recreabat. Et quandoque ceu prodigalitate fuit, ut minimè erubesceret, tantus Princeps & Maximorum Cæsarum nepos, collatis in pauperes pene omnibus quæ penes se habuerat, subnudus, & nudipes domum reverti. Placet sancti hujus viri piam cum Ministro suo Cameratio expostulationem, simplicissimis Eckehardi Monachi verbis descriptam subjungere: *Cum hoc sedulus* (ita semet ipsum exspoliando) *dies & noctes ageret, Camerarius suus Richere, fratris quidem filius, incusabat illum crebro secretius, quasi camera sua dispersiones ejus ferre non posset, cum unis distractis semper alia reposceret. Cumque aliquando ille nepotem, ne sibi molestus esset, secretius argueret: Enim vero, ait, si tu non dederis quæ postulo, alium scio* (Decanum dicens) *qui in quantiscunque poterit, me quidem adjuvabit. Nam ille sæpius quæ egenis dem, quam tu, roccos, videlicet & camisias, caligas, & calceos, & cætera usque ad cingula clam mihi suggerit, sed & sub opertorio lecti, ut ibi inveniam abscondit.* Digna sanè hæc sunt, quæ inter singularia Constantiæ nostræ exempla referantur.

Mira liberalitas.

Pia expostulatio.

S. Conradus in Palæsthina.

A. C. 967. S. Conradus, incertum, secundùm ne an tertiùm (Ter enim tantum itineris mirâ Numinis reverentiâ & sacrorum Christi vestigiorum amore, suscepit) in Palæsthinam profectus, inexplicabili laborum & periculorum patientia, devotione mirifica, omnia Passionis Domini loca, summo animi solatio obivit, & veneratus est; Ex quo facilè metiaris, quanto cultu tantus Princeps & assiduè contemplationis studio à puero exercitatissimus, Christi vitam & Passionem quotidie recoluerit, & ut felicius & facilius recoleret, semel & bis ea loca inspicere satis non habuerit, ita ut tertia vice, tam periculoso sese itineri commiserit.

Ejus devotio.

Translatio S. Altonis Mongterii.

De transferendis ex Altomünster Altorffium Ascetis, & hinc illuc transportandis Monialibus, à Guelphone II. serio consultatum, quod hic Monachos magni facere didicisset, quos tantopere Cœlitibus & primo suo Abbati S. Altoni curæ esse expertus fuerat. dilatum tamen à Principe negotium ad reditum usque cognati charissimi S. Conradi, quod ipsius non tantum uti ordinarii, sed & tanquam secundarii Fundatoris interesset.

A. C. 968.

A. C. 968. S. Conradus redux è Paleſthina, ut apud Conſtantienſes etiam ſuos, præſentiorem ſemper Dominicæ paſſionis memoriam redderet, in medio Baſilicæ S. Mauritii à ſe conditæ, Sacelli Dominici Sepulchri ſtructuram imitatur, plurimum indè accenſa Chriſti fidelium devotione. Idem translationem Aſcetarum ex Altomünſter in patriam ſuam Altorffium non ſolum approbat, ſed laudat, commendat, promovet, & inſigni etiam erga Monachos amoris demonſtratione, liberaliter dotat Cœnobium & ornat. De mira S. Conradi erga Sangallenſes charitate, & cum iisdem familiaritate, animi ſummâ demiſſione, & frequentiſſimo ad eosdem recurſu Eckerhardus multa, qui legendus eſt.

Revertitur S. Conradus.

Favet translationi.

S. Conradi charitas.

A. C. 969. Apud Einſidlenſes mirifico ſanctitatis ſplendore ſe prodit virtus S. Wolfgangi, ut qui vitam angelicæ ſimiliorem quam hominis ageret, ipſo ſanctiſſimo Abbati ſuo Gregorio admirabilis viſus, qui inde mirificè recreabatur.

S. Wolfgangus claret.

Ad S. Galli, cæterorum omnium à virtute & eruditione famam ſuperat Eckehardus minor ſeu Junior, Senioris ex ſorore nepos eâ apud Cæſarem Principesque Imperii gratia, ut certatim ad Aulas & Regiam expeteretur. Corporis non minus, quam animi talentis valuit, eximiis & formâ & ſtaturâ, moribus inſuper cultiſſimis, ita ut ab nemine non ſuſpiceretur plurimum & amaretur, quæ cauſa Otthoni Imperatori fuit, ut ipſi Otthonem filium, ad omnia Principe digna, litteris inſuper ac virtute informandum crederet & commendaret.

Eckehardus Iunior.

Eckehardus juventuti Caſ. Præfectus.

A. C. 970. Guelpho Bavariæ Dux, Altorffii & Ravenſpurgi Comes, connitente inſimul conjuge Immiſſa Franconiæ Duciſſæ, annuente & invitante S. Conrado Epiſcopo noſtro, Monachos ex Monaſterio S. Altonis in Altorff ſive Weingartten transfert, & quæ in Bavaria Monialibus ceſſerant, non ſolum ex aſſe compenſat, ſed multa majora inſuper elargitur, translato illuc Henrico Abbate cum toto Conventu, uno vel altero ad petitionem Monialium, pro earundem inſtructione cum illis relicto. Cæterum præter relicta à Monialibus, & quæ Monachi reliquerant ex condigno compenſata, prima ſtatim Donatione Abbati Henrico & Conventui dono dedit vicos: Bochigen, Watterdingen, Opoltshofen, Hartprechtshofen, Gambach, Engetreütti & alia. Quæ omnia S. Conradus rata habuit, & de ſuo auxit, idem inter præcipuos Cœnobii Fundatores numerandus. Fuit Guelpho iſte S. Conradi ex fratre Rudolpho nepos, & interfuit ludis Equeſtribus tertiis ſolemniſſimis Conſtantiæ celebratis, ipſique poſt Conradum Franconiæ Ducem cognatum & Henricum Bavarum tertiæ delatæ, ante Hermannum Alemanniæ & Eberhardum Lotharingiæ Duces; Immiſſa autem ſive Irmentrudis, & ipſa Guelphici & Agilolfingici generis Princeps è Franconiæ Ducibus oriunda, quæ apud Moniales in Altomünſter ſepeliri elegit.

Guelpho monachos Altorffium transfert.

Migrant cum Abbate.

Guelpho nepos S. Conradi.

Immiſſa Duciſſa.

S. Wolg. Decanus. Ipſo anno S. Wolfangus, Einſidlenſis jam Cœnobii ob egregia vitæ merita Decanus, monente Divo Tutelari ſuo Othmaro, annuente Abbate ſuo S. Gregorio, ad Converſionem Gentium Cœnobio egreſſus, apud Ungaros ac Bohemos Apoſtoli nomen meritus ſtrenuè deſudavit, & Ungarorum ſolummodo quinque millia ſalutatibus Baptismi aquis tinxit. *primus* eorundem ante SS. Adelbertum & Stephanum, non ſine magna Epiſcopatus noſtri gloria, *Apoſtolus* celebrandus.

Apoſtolus Vngar. I.

B Notkerus Epiſc. A. C. 971. Divus Notkerus, alius à Balbulo & Phyſico, Sancti Galli & ipſe Monachus, poſt mortem Heraclii, Leodienſis Epiſcopus ordinatus. Fuit ex Alemanniæ Ducibus oriundus, nec minus inſigni eruditione, quam virtute & claritudine generis excelluit, magnâ & illius & noſtræ Diœceſeos gloriâ, multa apud Leodium æternitate digna molitus.

Ethico D. Mon. Eodem anno Ethico alter S. Conradi frater, maritus Lucardæ Ungarorum Reginæ, Conſtantiæ Monachum profitetur, eumdem quem fratrem, etiam patrem habere meritus, juxta S. Conradum poſtea ſepultus.

S. Wolfgangus fit Epiſcopus. A. C. 972. S. Wolfgangus in Superiorem quoq; Pannoniam ſive Auſtriam delatus, cum minus illic quam apud inferiores proficeret à Pilgrino Patavienſium Epiſcopo accerſitus, magnoque in honore habitus, vacante Paulo poſt ſede Ratiſponenſi, Cæſari pro egregiâ vitæ ſanctitate commendatus, ab hoc Epiſcopus deſignatus eſt. *Tergiverſatur.* Cæterùm tantiſper contra omnium vota & deſideria obnixus eſt, donec Abbas ſuus S. Gregorius, ſuſcipiendæ dignitatis ipſi Suaſor & Auctor eſſet, cui non obſequi nefas credidit, & Pontificales demum infulas, minimè exambitas acceptavit.

S. Vdalricus Epiſ. Monaſticen profitetur. S. Udalricus Ingelheimenſi in Synodo Pontificatu ſe abdicare & Monaſticen profiteri aggreſſus, dum ab Epiſcopis prohibetur, Nihilominus Cucullum indutus, & Monaſticis devovens diſciplinis, Epiſcopum ſimul & Monachum ad amuſſim ſe præbuit, & inſimul ſtare poſſe ſuo exemplo condocefecit; ipſus non tam Regulam S. P. Benedicti obſervans, quam Regula factus Monachorum. *Eggehardus Exauctoratur.* Eggehardus Augiæ Abbas malè adminiſtratæ rei apud Cæſarem accuſatus, exauctoratur, ſubrogato à Fratribus Rudmanno Præpoſito Monaſterii, cujus opera paulo poſt Monaſterium reviruit ac deinceps, priſtinum decus conſequutum eſt.

S Vdalricus moritur. A. C. 973. Mirificum illud Rhætiæ & Vindelicorum Jubar S. Udalricus æque noſter, in Diœceſi noſtra & Sangallenſi Monaſterio ad tantæ ſanctitatis culmen evectus, relictis terris in cœlum emigrat, quem S. Conradus Epiſcopus noſter, ipſi in omni vita familiariſſimus, ut unice charum curat, & lugubriter tanto Amico ſe fraudatum deplorat.

Ottho Imp. Conſtantiæ. Conſtantiam inviſunt Ottho Magnus & filius Imperatores Auguſti magno plauſu excepti, inde in Augiam, ad S. Galli, & Einſidlenſe Cœnobium devotionis ergo profecti.

Iterum

Iterum magno revera illato & transmisso sydere Cœlum Empyreum demeretur Diœcesis nostra, S. Adalrico, Burcardi Sueviæ Ducis filio, Einsidlensi Monacho, eodem translato, quem insignibus prodigiis Deus honoravit. Mortuus est in ipso Festo Divi Michaelis Archangeli, atque in Uffnaugia tumulatus. *S. Adalricus moritur.*

Ipso anno, ultro & sponte resignat sanctæ memoriæ Burcardus S. Galli Abbas Princeps Linzgoviæ, Notkero (qui Notkeri Physici ex sorore, Cralonis Abbatis ex fratre nepos erat) in ejus locum subrogato. Moritur etiam Burcardus Alemanniæ Dux insignis Augiensis & Einsidlensis Cœnobiorum Dotator, in Augia Divi Erasmi sacello sepultus. *Notkerus Abbas.* *Burcardus Dux obiit.*

A. C. 974. Supremus B. Beringero S Blasii in Hercinia primo Abbati hic annus extitit. Fuit ille, ut claritudine generis (Baro ab Hohen-Schwanden) ita vitæ morumque rarâ integritate insigniter conspicuus, à vetustissimis scriptoribus *Sanctus* appellatus. Moritur eodem anno incredibili totius Imperii singulari Constantiæ ejusque ampliſſimæ Diœceseos luctu Ottho re & nomine, verè Magnus Imp. de Constantiensibus, Augiensi, Sangallensi Campidonensi Cœnobiis meritissimus, alter Einsidlensis Fundator, cujus mortem haud leviter deploravit S. Conradus Eidem familiarissimus. Successit Ottho II. filius ab Eggehardo Juniore cognomine Palatino, Sangallensi Monacho educatus & insigniter institutus. *Sanctus appellatur.* *Ottho Magn. Imp. obiit.*

A. C. 975. Solem suum, & Principem Tutelarem cœlo transmittit, etsi incredibili omnium luctu, S. Conradum Episcopum suum Constantia, non tam genere quam vitæ sanctimonia, miraculorum insuper gloria tam in vita, quam à morte, longè illustrissimum; qui tantus Principum Regum maximorum serus, Cæsarum potentissimorum proximus nepos, sub dio tamen sepeliri voluit, omnem etiam à morte famam & monimenti gloriam execratus, donec tanto post Udalricus à Richetaal Constantiensis Canonicus Sacellum tumulo imponeret, tantumque Patronum honoraret. In ejus locum successit Gamenolphus Augiensis Monachus, illustri sed incomperto genere, cum tunc temporis, nomini nisi Illustrissimo seu Generosissimo aditus ad Augiense Monasterium pateret. *Moritur S. Conradus.* *Gamenolphus Episc.*

A. C. 976. S. Wolfgangus inexplicabile Diœceseos, nativitate, educatione, & religiosâ professione decus & ornamentum, cum jam pridem longè lateque suam cum meritis gloriam intulisset & Apostolico zelo sese Ungariæ, Bohemiæ, Austriæ mirificè commendasset, Bavariam modo splendore suo reddit Illustrissimam, & memorabili inprimis modestiæ exemplo posteris præludit, S. Emmerammi Monasterium, quod Antecessores in Commendam, ut vocant (annuente cum gravi Numinis *S. Wolffgangus claret.*

Ejus modeſtia. indignatione Carolo Craſſo, uti ipſe dolens gemensque & atteſtatus) impetraverant, prius de novo dotatum & ornatum Monachis cum libertate eligendi reſtituit. qui S. Romualdum Treverenſem Aſcetam, Præſulem ſalutarunt. Incuſatus à nonnullis ſtultitiæ, quod tam pinguem bolum dimitteret, & ſucceſſores fraudaret: *Non erubeſco*, ſubintulit, *inſipiens & ſtultus, videri propter DEUM. Hoc autem ſcire vos volo, quia nunquam mihi imponam onus, quod portare non valeo, Epiſcopi nomen & Abbatis mihi vendicando.* Vide tom. 2. Caniſii, &c. & Vochburgium. Non ita Commendatores alii, de quibus in Galliis amantior æqui, quam ſubveritus tot procerum indignationem Carolus Sauſſejus, qui ſurdis hæc negligentes auribus, interim *ſecurè præſtolantur imam DEI.*

Abbas & Epiſc. ſimul non ſtant.

BB. Udalricus & Chuno. A. C. 977. Iterum duo magna luminaria Diœceſim noſtram reddunt illuſtriorem BB. Udalricus & Chuno Einſidlenſes Aſcetæ, S. Geroldi Ducis Saxoniæ Sereniſſimi filii, in Monaſterio Einſidlenſi, Monaſtice profeſſi, ille pro eximiis meritis Theſaurii in Monaſterio munus, iſte Decani indepti. uterque inſigni ſanctitatis famâ celebrati.

Obiit Echehardus ſen. A. C. 978. Moritur Eckehardus Senior S. Galli Decanus, *Vir*, ut Heppidannus celebrat, *totus ex Sapientia, Virtutibusq́, factus*, & ut Eckchardus Junior aſſeverat: *naturâ & ſtudio charitatis dulcedine pleno, in quo cunctorum ſpiritus quieverat.* Doctrinæ fama illuſtriſſimus, ea ipſi quoque Romano Pontifici innotuit, à quo, cum ad ſacra Apoſtolorum inviſeret limina, magno habitus in pretio, cum peregrini aëris vitio æger decumberet, ſæpius viſitatus eſt, & Pontificiis impenſis recreatus. Convaluit demum allatis à Pepa ipſique impoſitis S. Joan. Bapt. Reliquiis, quatum poſtea inſignem partem meruit & ſecum ad Divi Galli retulit. Fuit familia illuſtri de Enckinfurt, B. Rachildæ de Jonſcoweil conſobrinus, obiitque 14. Jan. ſive ut vult Tiuſburgius XVII. Cal. Aug. Immortaliter Imperium, Otthonem Auguſtum totumque Germanorum exercitum demeretur, & à certo vindicatinteritu S. Wolfgangus noſter, cum Ottho Lotharium Galliarum Regem in Galliis, majore temeritate quam conſilio, oppreſſurus, ab illo ſummis viribus mox opprimendus, eo jam redactus eſſet, ut nulla porro ſpes evadendi, niſi ſuperato rapidiſſimo quodam flumine ſeſe offerret, nuſpiam tamen ſeu pons ſeu navis compareret, imminente jam proximo hoſtis exercitu. Ergo ad DEUM converſus, exoratus ab Auguſto, S. Wolfgangus, Cæſare ſequi juſſo, tanquam alter Moyſes, & ipſum & univerſum exercitum, grandi prodigio ſuperatis aquis, incolumes omnes traduxit. Stupente & gradum ſiſtere coacto hoſtis exercitu qui jam certus de Cæſaris oppreſſione videbatur.

Ejus eruditio.

Auctoritas.

Familia Enckefurt.

Gaminolphus Epiſc. ob. A. C. 797. Moritur proximus Anteceſſori & Succeſſori, ejusdem vitæ profeſſione, nec diſſimili ſanctitatis opinione Gaminolphus Epiſcopus Conſtantienſis. Succedit prædictione S. Conradi S. Gebhardus Comes Brigantinus.

gantinus Cathedralis Cœnobii Monachus. quem juvenem etiamnum, cum S. Conradus fortè occupatior conclave egressus, rediens sellæ suæ vidisset insidentem: Succedes, inquit, in eamdem, sed alio prius interveniente; quod contigit. Fuit Gebhardus Dnipatæ singulariter charus & commendatus, quæ ipsum suæ Ecclesiæ Pontificem adoptare visa est. Mox enim à morte Gaminolphi dum resolutus in somnum Gebhardus sibi videretur in Ecclesia Cathedrali agere, lignea Magnæ Virginis imago, ipsi lituum pastoralem porrigens, cum hoc mandato: Dominicum gregem pasceret, eique pascua vitæ æternæ demonstraret; eo signo sibi specialiter suæ sedis delegisse Episcopum comprobavit. *Visio S. Gebhardi.*

Celebrantur sub hoc tempus merita insignia B. Notkeri Leodiensis Episcopi Monachi Sangallensis, singularis è nostra Diœcesi deprompti Inferioris Germaniæ ornamenti. *B. Notkerus Episc.*

A. C. 980. Ottho II. Imp. Nihil cedens patri erga viros religiosos reverentia & munificentia, Einsidlensis Monasterii hoc anno meritissimum Dotatorem agit, ac plurima Rhætiæ loca Beroviam, Vangense Sacellum, Lateriam, Bocariam, Cinctam, & alia tractus ejus Comitatusque bona, Imperiali liberalitate elargitur. *Ottho II. Imp.*

Germani fratres S. Gebhardi, Udalricus, Marquardus & Luitfridus, dum nullâ habitâ ratione fratris Episcopi, tanquam sufficienter potentis & opulenti, paternos inter se partiuntur thesauros & Comitatus, sanctus vir jam pridem sibi obventura Numinis destinans honori, eadem à fratribus exigit & pro causæ denique æquitate extorquet. *S. Gebhardus rerum satagit.*

Notkerus noster, singularis Belgii non minus quam nostra gloria, magnis à Numine miraculis commendatur; Stupendo inprimis illo, quo misertus famem pauperum, in Hasbania impetravit à Numine, ut frumento non solum plueret sed & piscículis. Tantum meruit Notkerus noster Leodiensis patriamque juxta suam Alemanniam tantis meritis apud exteros commendavit. *Piscibus & frumento pluit.*

A. C. 981. Hic unus annus plura iterum Diœceseos nostræ sydera cœlo intulit, adeoque novos patronos meruit, Cœlites demeruit. Burcardus inprimis Abbas S. Galli, Linzgoviæ Princeps, Comes Burcharnius, pridem Abbatia se abdicans, vir magna vitæ sanctitate, & ob hoc ipsum Divo Gebhardo charissimus, qui ipsum piè curans supremum sacro oleo unxit. Eum Ottho Magnus, filii loco habuit, Ottho II. Imp. non aliter quam fratrem suum compellavit. Alter Notkerus Labeo est, is ipse qui resignanti Burcardo Abbas successerat, à latiore labio, Labeo cognominatus, vir æque sanctus ac doctus, qui mortis suæ præscius, ipso pervigilio SS. Apostolorum Petri & Pauli, sanus cum adhuc esset, opinione omnium sanctus decessit. Meruit plurimum de Urbe Sangallensi, & Annonis cœpta prosequutus ipsam muris *Burcardus Abb. ob.* *Item Notkerus Labeo.*

Digitized by Google

Vrbis conditor. muris vallis & turribus egregiè communiit. Idem primus Psalterium Davidis in Teutonicam vertit. Tertius, alter Notkerus cognomento Medicus, hunc etiam annum supremum habuit, vir virtute medendi mirificus. Henricum Ducem illudentem per jocum, eluſit plausibiliter, eumque mulieris prægnantis urinam pro ſua miſiſſet: Miraculum ingens & inauditum, *ut vir utero pareret, nam Dux iſte circa trigeſimum ab hodie diem, filium ex utero ſuo editum ad ubera ſuſpendet.* Erubuit Dux & munera mittens, impensius deiceps coluit. Ipsum exactâ jam ætate cœcitate laborantem inviſens Ottho Magnus cum filio Cæſare, uterque hinc & hinc veneratione causa arreptum manu duxit; exclamante illo: *O me feliciſſimum cœcum, qui tantos, quantos nullus unquam meruit, hodie habeo ductores.* Certè & parens & filius Impp. ſæpius illum exoſculati, ille ad pectus ſuum ſub Clamyde arcte adſtrinxit & appreſſit, & ſibi proximè aſſidere voluit, &c.

Notkerus Phyſicus ob

Eludit illudentem.

Cæſares Ductores habet.

Cunibertus Abb. ob. Quartus Cunibertus S. Galli item Monachus Altaichenſis Abbas, omnium opinione ſanctiſſimus extitit; qui & ipſe ſub hoc tempus inter Cœlites adſcriptus fuit, qui in itinere ad S. Galli inviſurus equo cadens prope Wilam Turgoviæ vitâ exceſſit, inter ſuprema in omni vita ipſi familiaria: *Venientes autem venient cum exultatione*, tali nimirum plauſu veniens à Cœlitibus exceptus & conſalutatus. Tot tantaque decora uno anno cœlis transmiſit Diœceſis Conſtantienſis, ducentis nihilominus trecentisque ſubinde ſanctitatis opinione celebribus, unum S. Galli Monaſterium occupantibus, ut nihil de Augienſi, Einſidlenſi, Sangeorgiano; Sanblaſiano aliisque memoremus.

Tot uno anno ſydera.

Othwvinus Epiſc. Hildeſ A. C. 982. Etiam Saxoniæ conſulit Diœceſis noſtra, miſſo illuc magni nominis & meriti viro, Otthwino Augienſi Monacho, qui Bergenſis primum creatus Abbas, poſtea Hildesheimenſis Epiſcopus eſt poſtulatus. Is alia inter merita Romam in negotiis Cathedralis Monaſterii profectus, Corpus S. Epiphanii Epiſcopi inde retulit, multisque aliis beneficiis ſuam Eccleſiam obſtrinxit.

S. Gebhardus molitur Petruſium. A. C. 983. S. Gebhardus Epiſcopus noſter ampliſſimam nactus hæreditatem Cathedrali inprimis Monaſterio plurimum contulit, ac dein ad Petruſianum fundandum animum adjecit, cujus hoc anno primum lapidem & fundamentum poſuit. Poſt Notkerum Immo Sancti Galli electus Abbas, totus in ornanda Domo Dei fuit, cujus omnia ſplendida voluit. quem Burcardus Monachus Salomoni Regi comparare non veretur, imo præferre audet aſſeverans Reginam Auſtri, ſi ſuperſtes cum Salomone eſſet ad Immonem potius, quam Regem illum Sapientiſſimum rapiendam & plenam admiratione convertendam.

Immo Abbas alter Salomon.

Wittegovius Abb. Augia. A. C. 984. In Augia mortuo Rudmanno, ſive Rodemanno, utiliſſimo & laudatiſſimo Præſule, Wittogovius eligitur, tantus omnino Præſul,

Digitized by Google

Præſul, qui unus integrum volumen mereretur, pietate non minus quam eruditione excellens, ea in rebus ſummi momenti gerundis dexteritate, ut Auguſtiſſimis Cæſaribus acceptiſſimus non ſolum eſſet, ſed nihil absque ejusdem auctoritate ageretur.

A. C. 985. Aliud rurſum ſydus ex Augia noſtra Saxoniam illuſtrat, Osdachus ſive Osdagus, Hildeſianus ex Monacho Augienſi poſt Otthwinum Epiſcopus, & ipſe egregiis ſeſe meritis Saxoniæ & ſedi ſuæ ſe commendans. *Osdachus Epiſc. Hildeſ.*

S. Wolgangus noſter, Princeps Diœceſeos primum noſtræ, dein Ratiſponenſis Epiſcopatus ornamentum, faſtidiens, quod paſſim à populo, Principibus dein atque Auguſtis, pro Sancto coleretur, ab Ratiſpona ſeſe repente abſtulit, & ignotus aliquamdiu in deſertiſſimis Norici rupibus ſe condidit, vitam duriſſimam tolerans, multisque ſeſe vigiliis & jejuniis conficiens, magnis nihilominus proditus miraculis, donec ad ſuam reverti Eccleſiam cogeretur. *S. Wolfgangus fit eremita.*

A. C. 986. Innumera eſſent de rebus geſtis, magnifici noſtræ Diœceſeos ſyderis Magni illius Wolfgangi referenda, quæ de induſtria prætermittimus, quod ſingula ad certos annos referre nequeamus. Hoc ipſo tempore meritum ingens eſt, Henricum Boicæ Ducem, quem à puero optimis artibus & diſciplinis inſtruxerat, & jam tunc præſcius futurorum Cæſarem appellare conſueverat, modo, cùm per litteras, tum præſentiam (ad ipſum enim tanquam patrem quotidie dum poſſet recurrebat, majorem partem Ratiſponæ degens, & cum Monachis S. Emmerammi Divina frequentans officia) ad tantam vitæ provexiſſe ſanctitatem, ut miraculum olim Virginis Conjugis, ſimulque Heroici ſanctique Imperatoris haberetur. de quo merito ſibi Diœceſis noſtra gratuletur: *Da ſimiles*, inquit Raderus, *præceptores, & tales habebis Imperatores.* *Ejusdem res geſtæ.* *S. Henrici director.*

Ipſo anno B. Pertherada ſive Perchterat ad S. Galli Incluſa carcere corporis ſoluta ad ſydereas evolat manſiones, quæ ab Eckehardo & Heppidano *Magnarum Virtutum operatrix* celebratur. Cujus à morte Cellam quamprimum B Hartkerus Monachus occupat. ita ſydus ſuccedit ſyderi, cujusmodi nunquam Conſtantiæ noſtræ defuere. *Obiit B. Pertherada.* *B. Hartkerus.*

A. C. 987. Magno ſolatio ſancti Gebhardi Epiſcopi noſtri, nunquam florentiora omnia toto Epiſcopatu, ita ut totus haud aliter Firmamentum lucidiſſimis ſtellis, terra noſtra floreret fructibus & floribus ſanctitatis & eruditionis, Monaſteria inprimis Cathedrale & Scotorum Conſtantienſia, & proxima Augienſe, Sangallenſe, ac dein Einſidlenſe, Campidonenſe Altorffenſe, SS Blaſii, Georgii, Trudtperti, Rhenaugienſe, &c. Ipſe Magnus revera Pontifex, Petruſiani ſui Cœnobii ſtructioni intentus, magno illud miraculo initiat, dum operis præfectum, ſubita *Res Epiſcopatus florentes.*

ruina.

Petrusii constructio.

ruina pegmatis, ab alto cadentem, toto collisum corpore semineccm ad se deportatum prodigiosè non solum suis ad DEUM precibus restituit, sed quamprimum ad labores remittit. certus insuper â DEO redditus, nullum deinceps eo in opere vitæ periculum aditurum.

S. Gebhardus Roma.

A. C. 988. Idem sanctissimus Episcopus noster Gebhardus, structione Cœnobii sui jam penè absoluta, nequid ad perfectionem rei deesset, de sacro quoque thesauro novæ Basilicæ inferendo sollicitus, ipsus Romam iter ad Joannem XV. eo nomine Romanum Pont. contendit, & perbenignè susceptus, Monasterio solemniter confirmato & in Protectionem Sedis Apostolicæ susceptо præter alias Sanctorum exuvias, ex speciali Pont. gratia Caput Magni Ecclesiæ Doctoris Gregorii I. impetrat. Res adeo secreta esse non poterat, quin innotesceret Romanis, idque ipsum veritus Gebhardus iter quamprimum in Germaniam accelerans, Placentiam usque devenit, cum eum proximè assecuti illi, in magnas angustias redigunt, Pado flumine cursum sistente, qui tum aquis inundaverat, rapidissimo cursu metuendus. Ergo cum effugium porro nullum esset, & neque navis neq; pons sese uspiam offerret, conversus ad Numen, siquidem tantum thesaurum Constantiæ & Petrusio illatum vellet, suppliciter sibi adesset, & viam evadendi persequentes ostenderet: cum subitum repetito miraculo illo divisi Jordanis, Padus in suo cursu se stitit & continuit, se curissima Gebhardo & suis aperta semita, donec omnes in adversam ripam evaderent, hostiumque conatus continuato deinceps itinere, facilè frustrarent, ipsis tanto attonitis miraculo, neque porro DEI adeo demonstratæ voluntati obniti præsumentibus.

Caput S. Gregorii impetrat.

Padum mirè transit.

Romani frustrati.

Basilica Augiensis.

A. C. 989. Wittegovius Abbas Augiæ Divitis, toti Diœcesi ingens decus conciliat Imperatorum & Regum, omniumque Imperii Principum Amor & deliciæ qui hoc anno Basilicam Augiensem struens supremam imposuit manum, & dedicari curavit, & Cœlitum Imperatricis, nec non SS. Petri & Pauli honori nuncupari. Absolvit hoc pariter anno Petrusianum Cœnobium & Basilicam S. Gebhardus, & Monasterium S. Gregorio, Basilicam S. Petro juxta Apostolorum Principi, sacram voluit, quâ ex causâ (non futili illa ab Piscatoris alicujus casa) Petri Domum posteri appellavêre.

Petrusium absolutum.

A. C. 990. Ymmo ad S. Galli Abbas, vir præstantissimus, mortalitatis cursum absolvit, fama & virtute immortalis; cujus obitum inconsolabiliter flevêre universi Sangallenses. Succedit Udalricus Liber Baro de Bonstetten sive Bottstetten ex gremio assumptus. Ipso anno & alius eorumdem Patrum luctus ex morte Eckehardi vulgo Minoris, qui Eckehardi cognomento Palatini consobrinus fuit. Sed & Augiæ luctuosus annus, imo toti Episcopatui, insigni rursus perdito apud exteros ornamento, Osdacho Hildesiano Episcopo Augiæ Monacho, extincto, & in Cathedrali sua Basilica proxima infrachorum crypta sepulto.

Ymmo Abbas moritur.

Osdachus Episc. Hildes. ob.

A. C. 991.

A. C. 991. Iterum lugubres apud Divi Galli queſtus, Foillano Scoto viro eruditionis & Religionis fama illuſtriſſimo defuncto, Scotis ſemper aliquibus S. Gallum compatriotam ſuum, devotionis ergo in Helvetiam usque conſequentibus, & ad ſacras tanti Tutelaris exuvias ſeſe DEO devoventibus. Nunc primum alii Baſilicam Petruſianam dedicatam contendunt. certè Gebhardo ſimul & Epiſcopum & Abbatem agente, efflоruit plurimum Monaſterium, & paulò poſt, ipſo exempla ſanctitatis præbente, novellis plantulis, ut paradyſus Domini inſigniter efflоruit. Ipſo anno Monaſterium Cathedrale idem Epiſcopus liberaliter dotat, ne de confratribus Petruſianis, quaſi ſplendidius habitis quererentur. *Foillanus moritur.* *S. Gebhardi liberalitas.*

A. C. 992. Normam diſciplinæ Regularis S. Gebhardus à S. Gregorio Einſidlenſi Abbate petit, quod tunc Monaſterium illud magni ab ſanctitate nominis eſſet, tantoperè de augendo ſacro Monachorum novi ſui Monaſterii grege ſollicitus, ut primis etiamnum initiis octoginta Religioſos, quadraginta Sacerdotes & Clericos, totidemque conversos numeraret. *Petruſii norma vivendi.*

Supradictus Gregorius, etſi exhauſto gravi ſenectâ, & aſſiduo rigore, corpore, hoc ipſo anno Otthonem Auguſtũ Francofurti convenit, & ea præter quæ ſpeciatim Cœnobio ſuo impetrata voluit, confirmationem vaget & impetrat Privilegiorum primitus & deinceps conceſſorum. Apud Gampodunum mortuo Alexandro Abbati, Stephanus Taradus ab Etpach ſufficitur nobili genere vir, ſacrarum inſuper litterarum ſcientia, ſed & vitæ integritate, morumque inſigni gratiâ commendatus. *S. Gregorius Abb. Einſidl.* *Stephanus Abb. Campid.*

A. C. 993. S. Wolfgangus immortale Diœceſeos noſtræ ſydus, Comes Achalmenſis & Pfullinganus matre Gertruſa de Veringen ex Monacho & Decano Einſidlenſi Ratiſponenſi Epiſcopus, Ungariæ, Bohemiæ, Auſtriæ, &c. Apoſtolus ad præmia æternitatis evolat, Patronus Romani Imperii ſingularis, Cæſarum ſanctiſſimi Henrici II. Educator Otthonis totiusque Germanici exercitus prodigioſus Servator, ornamentum patriæ ſuæ Diœceſeos noſtræ incomparabile, in Monaſterio S. Emmerammi ſepultus, maximis deinceps miraculis glorioſus. *S. Wolgangus moritur.* *Elogium.*

A. C. 994. Moritur Conradus Burgundiæ Rex conſanguineus S. Conradi Epiſcopi, dictus Altorffenſis, non ſine gravi luctu Conſtantiæ noſtræ, in cujus Cœnobia multa largè effuderat. *Conradus Rex Burg. ob.*

Implet fama Imperium, Diœceſim gloria Wittegovius Abbas Divitis Augiæ, & graviſſimis meritis, Cæſarem & Germaniam demeretur, cujus res geſtas ſpeciali volumine deſcribit Burcardus Monachus Augienſis.

A. C. 995. Immortalis fit hoc anno S. Gebhardus noſter Conſtantienſis Pontifex (fruſtra Manilius & nonnulli ſequenti ponunt) Petruſiani Cœnobii Conditor & primus Abbas, à morte non minus quam in vita miraculis *Moritur S. Gebhardus.*

Digitized by Google

culis à Numine celebratus. Mortuus eſt ſexto Cal. Sept. ſuoſq́, apud Petruſianos condi voluit; quod cum non paterentur cives, miraculo coacti ſunt, his qui portare feretrum ad Cathedrale conarentur tremore concuſſis & penè exanimatis illo immobili permanente, donec Petruſianis injungeretur jam leve & gratioſum onus; cui niveo candore columba inſidere viſa eſt, donec Divi Gregorii templo intuliſſent, ea evanidam conſequente odoris fragrantia, ut nemo in vita odoratius quidpiam percepiſſe fateretur. Epitaphium ipſi poſitum poſthumi ſæculi eſt, nec tale, quod memoriâ dignum videatur. Succeſſit Gebhardo Lampertus ſive Lantpertus Petruſii, *Monachus*, ut Contracti utamur verbis, *habitu & profeſſione* in Pontificali Cathedra; in Abbatiali autem dignitate Beringerus, uterq́; ſuo honore digniſſimus.

Immobile funus.

Facile onus.

Lampertus Epiſc.

S. Gregorius Abb. Einſidl. obiit.

A. C. 996. Non minus priore ſydus hoc anno iterum ſecum cœlo infert S. Gregorius Einſidlenſis Abbas, Regis filius, nepos, pronepos & abnepos, trium Regum frater germanus, vir ſanctiſſimus cultor Deiparæ ſingularis, Angelorum Reginæ ſingulari electione ad Eremum deductus, multorum Sanctorum educator & parens feliciſſimus, 6. Id. Novemb. ſublatus, quem Monachi prope aram S. Mauritii loci Tutelaris condidere, multis deinceps miraculis illuſtratum. Succeſſit pari omnium ſuffragio Virandus Comes Wandelburgius Dominus Rapersvillæ, generis non ſolum priſcâ claritudine, ſed & virtutis juxta eruditionem ſumma commendatione. Annus hic ipſe duos iterum uni S. Galli Cœnobio viros abſtulit, dignos in terris æque ac cœlis, nominis æternitate. Unus Udalricus Baro de Bonſtetten Abbas fuit, vir utilis & præſtans, diu multumque à ſuis deploratus; alter dignus planctu Cæſarum & Principum Imperii omnium, Otthonis Secundi Imperatoris Educator & Magiſter Eckehardus cognom. Palatinus, Cæſari ab intimis conſiliis & Secretui extitit, & apud S. Albani Moguntiæ Præpoſitus deceſſit.

Virandus ſuccedit.

Udalricus Abb. S. Galli ob.

Item Eckehardus Palat.

Eggehardus alius.

A. C. 997. Duos ſequitur tertius, & ipſo Eggehardus nomine lumen & columen ſingulare Diœceſeos noſtræ. Is Eckehardi Senioris Decacani, ex ſorore itidem nepos, Divinarum humanarumque litterarum ſcientiâ clarus, ipſo magni Archiparentis Benedicti Feſto, quo & natus, in Monaſterio oblatus, in Monachum attonſus & presbyter ordinatus fuit, mortalitatem etiam exuere meruit. Ipſo anno Wittegovius Cæſarum amor, lux patriæ, Augiæ Abbas, invidiâ & injuriis appetitus, magnorum meritorum peſſimam mercedem recipit, & privatus, an à ſemet ipſo, an aliis abdicatus agit, faſtidio rerum humanarum facilis in aſſenſum, & quietis non minus ſacræ amore quam litterariæ, cum ſui ſimilem vix habuiſſe ſua ætate videatur. Certè à viris ſolidioris meriti æquis cenſoribus: *Inter Catholicas columnas, Primas*, audiit, & vulgo *Mannus Regis* eſt dictus, de quo vitæ veruſtiſſimus ſcriptor poëta:

Wittegovius privatus.

Mannus Regis.

Rege

Rege jubente ſuis parent ſimul omnia dictis
Contra velle ſuum ſe vertit nemo retrorſum. *Auctoritas.*

Nunc primum Foillanum Scotum S. Galli Monachum, virum eruditiſſimum nonnulli extinctum volunt, quem Heppidannus *Beatæ Memoriæ*, raræ veteribus Sanctitatis nota dignatur.

A. C. 998. Alevicus ſive Alvicus Comes de Sultz Augienſis poſt Witegovium Archiſterii Abbas, præclare meretur, & apud Cæſares non minus gratioſus quam Witegovius, apud Otthonem Auguſtum multa privilegia impetrat. Interim ad S. Galli turbata omnia ſub peſſimæ notæ Gerardo quodam Abbate, incertum an Sangallenſi, ſuffragiis Aſcetarum indigniſſimo. qui juvenum Aſcetarum de induſtria fovens licentiam, ſanctis ſenibus formidabilem reddidit, ipſus petulantibus & ſanctos viros ſeſe reapſe comprobantibus, viſus abblandiri, & licentiam confovere. *Alevicus Abb.* *Res S. Galli turbatæ.*

A. C. 999. Non ſine plauſus ſignificatione, cœlo deſcendens S. Gebhardus Perigero, ſuo in Abbatiæ apud Petruſium muneris ſucceſſori, viro ſancto & erudito, profunda nocte templum ingreſſo ut ſecretior DEO, ſibi, & precibus vacaret, conſpicuus adſtat, & hilari vultu ipſum alloquutus, nuncium ad filios nimis quam plauſibile (octuaginta tunc erant) deſtinat, hiſce verbis: *Scias pro certo, me apud omnipotentem impetraviſſe Dominum, ut nullus Fratrum, modo in hoc Monaſterio DEO deſervientium à morte lædatur ſecunda Sed omnes mortem ſubeuntes temporalem, vitam cum Chriſto poſſidebunt ſempiternam.* Ita cum tempore de octuaginta rurſus è Diœceſi luminibus, inter cœleſtia translatis, certificati à tanto Tutelare ſumus. *S. Gebhardus apparet.* *Inſignis promiſſio.*

A. C. 1000. Iterum magnum Jubar exteris illuceſcit, & quidem potentiſſimæ urbi, nobiliſſimæ Provinciæ Argentinæ nimirum & Alſatiæ, ex Diœceſi noſtra deſtinatum, Alvicus Augiæ Abbas Comes de Sultz. ab Otthone Auguſto ad vacantem Argentinenſem ſedem promotus, à Sylveſtro II. Rom. Pont. facile probatus & confirmatus Epiſcopus. cui in Abbatiæ Augienſis munere Werinharius ſucceſſit. Sed & aliud lumen Epiſcopatus noſter, vicino ſibi Baſileenſi elargitur, Adalberonem S. Blaſii in Hercinia Monachum, abſolutæ virtutis virum vitæ innocentiâ & integritate Cæſaribus notum & charum, Regibus Amicum qui in ejus gratiam plurimum Cathedram illam dotavêre. *Alvicus Epiſcop. Argent.* *Adalbero Epiſc. Baſilea.*

Ipſo anno, ut nonnulli volunt Adelheides Auguſta diem ſuum obiit Einſidlenſis Fundatrix, quæ Monachorum ſeſe Ancillam nominari & appellari geſtiit, Saletione in condito à ſe Monaſterio ſepulta, & miraculis à Numine illuſtrata. *Moritur Adelheid Imp.*

A. C. 1001. Plurimum patiuntur viri ſancti, & eruditi in Monaſterio S. Galli, à peſſimæ notæ Abbate Kerardo miſerè exagitati. *Miſeria S. Galli.*

Invisa senum & maturiorum capita, tenaciorum ad quæ à puero assueverant, sacri rigoris, pientiæ, sanctitatis; juvenes in pretio, & quo magis in libertatem & petulantiam effusi, chariores; coacti demum conqueri Cæsari Seniores & super tam sancti Cœnobii eversione lamentari, satagente rerum quoque suarum apud Aulicos Kethardo, Curiale responsum accepere, tolerare coacti, quoad Numini visum, Kerardum ad sua tribunalia reservare. Ipsum tamen Ottho Imp. verbis corripuit, & minas insuper addidit. quas paulo post Otthone mortuo risit & elusit.

Curiale responsum.

Petrusii alios inter sanctioris notæ Ascetas, quidam Psalterii lectioni & orationi addictior, somno fortè, an singulari Numinis providentiâ oppressus, ad S. Gebhardi tumulum sibi assistere visus, inde ipsum prodeuntem contuitus est, sic sese paventem & trepidantem allocutum: *Noli timere Frater, ego enim sum Gebhardus ille, qui hanc ædem Christo ejusque Confessori Gregorio fabricavi. Vade ergo, & dic Fratribus meis, ut bono animo sint, & voluntariè Christo, Sanctoque Papæ Gregorio in hoc meo Monasterio deserviant.* Addiditque: *Sciatis pro certo quod omnes, quicunque in hoc meo Monasterio, voluntariè cum bono proposito deserviens inventus fuerit, in omni tentatione atque tribulatione, me Sanctumq; Gregorium fortes auxiliatores apud Dominum habebit, & in extremo Judicii examine, ante thronum Christi Judicis, æterna vita coronandum ipsum producturi simus.* Ita Gebhardus.

Visio memorabilis.

Ingens solatium.

Promissio.

A. C. 1002. Ottho III. Imp. Augustus, magno dolore Constantienses, quibus plurimum favit moritur. Succedit magno plausu bonorum omnium S. Henricus, à S. Wolfgango nostro à puero sanctissimè educatus, maturior ad Imperium formatus Princeps secundum cor DEI, cui jam mortuus ad tumulum suum oranti, ante sexennium, prænunciatum Imperium prodigiosa scriptura idem Tutelaris Wolfgangus, his verbis: POST SEX subindicavit, cum is *post sex* dies, inde *post sex* hebdomades, tum *post sex* menses moriturum se metueret & præpararet, *donec post sex* annos Electus Imperator, idem jam olim sibi prædictum, tunc autem repetitum intelligeret.

Ottho Imp. obiit.

S. Henrici educatio.

Prophetia.

A. C. 1003. S. Henricus, S. Wolfgangi nostri in Christo filius, è Galliis reversus, in gratiam Adalberonis Basileensis Episcopi Ascetæ Sanblasiani, Episcopatum illum liberalisse dotat & ditat, nunc quidem Jus Foresti, ut vocant, in Comitatu Uthonis, à Birseck longo sex milliaribus totidemque lato tractu, quantum Elsam & Rhenum interjacet, commodo Præsulatus maximo, liberalissimè donat. Eodem anno Privilegia Sangallensium & Einsidlensium confirmat.

S. Henricus Basileam ornat.

A. C. 1004. Tigurum, & uti videtur Constantiam occurrit S. Henricus, magno ubique plausu exceptus, in nullas non Ecclesias, & singula Monasteria Augusta magnificentia liberalis.

Constantiam venit.

A. C. 1005.

A. C. 1005. Idem magnus & sanctus Cæsar, consentientibus Lamberto Episcopo Constantiensi, & Alemanniæ Ducibus Monasterium ex Hohentwiel ad Oppidum Stein transfert & Regiâ munificentiâ dotat, Ecclesia ad honorem Divi Georgii nuncupata & consecrata. Ipso anno gravissimâ fame, & pestilenti lue, Germania vexata est. *Duellianum Monasterium transfert.*

A. C. 1006. Kerhardus pessimæ notæ Abbas, Sanctos Domini, Divi Galli Ascetas vexare desiit, ad examen tremendi Judicis vexatus, cum satis diu disciplinæ Monasticæ insultasset. Faverunt meliori modo, tot malis prudentium Monachorum calculi, & Burcardum eo nomine Secundum Præsulem salutarunt; ea sanctitate virum, ut nonnemo Archiduci Israelitarum Moysi compararet. de quo etiam Heppidannus: *Kerhardus Abb. ob.*

Purcardo nostras Dominus commisit habenas
Quippe viro jam tunc sibimet per cuncta parato. *Burcardus eligitur.*

Nec distulit ille seductorum suâmet juventâ, & Kerhardi licentiâ, animos lucrari, & nisi acquiescerent perterrefacere, donec disciplinam reduceret, & antiquam induceret faciem loco tot Sanctorum exemplis consecrato.

Iterum sydus lucidissimum, Leodiensi provinciæ & Diœcesi â nostrâ concessum, cœlis immigrat, B. Notkerus Leodiensis Episcopus, Sangallensis Monachus, admirandis prodigiis à DEO commendatus. *B. Notkerus Episc. ob.*

A. C. 1007. Supremus hic annus Alwico fuit Argentinensium, ex Monacho & Abbate Divitis Augiæ, Pontifici, viro præstanti admodum, & S. Henrico Cæsari dilecto, cujus æternum illud de Episcopatu meritum fuit, tantum apud Augustum potuisse, ut Ecclesiam successoresque Pontifices potentissimos redderet, ipso etiam Argentorato Urbium Imperii spectatissima in gratiam Alwici Ecclesiæ & successoribus subjecto. etsi hodie Liberæ Reipubl. Titulum & jura, nescio quo jure sibi arrogare videatur. Alii mortem maturius, alii triennio post, utrique minus benè retulere. Pergit sævire pestis per Germaniam, adeo invalescente malo, ut quem corripuisset, nulla salutis, vivus cum mortuis sepeliretur. Ipso anno Werinhario Augiæ Abbati mortuo, an post Alwicum ad Argentinensem sedem postulato incertum à quo persuasus, S. Henricus Imp. Immonem quendam commendat Prumiensem & Gorziensem Abbatem, nullo operæ pretio, imo certo argumento, Principes sæculares, etsi cætera Sanctos, graviter errare, si rerum Monasticarum satagant; ita enim Henricus dilectissimæ sibi Augiæ volens consulere penè totam dissipavit. *Alwicus Episc. Argent. obiit.* *Pestilens lues.* *Error S. Henrici.* *Immo Abbas.*

A. C. 1008. Brevi regimine Immo divitias Augiæ pene totas exhausit, nec istud solum, sed pro patre Tyrannum egit, Ascetis qua possent metu crudelissimi hominis dilapsis, & sponte exulantibus, iis qui remanserant fame, siti, verberibus pessimè mulctatis. quæ intelligens, sed sero Hen- *Immo dissipator.*

Digitized by Google

ricus Immonem ſtatim expulit, Bernone ſubrogato, Prumienſi item Monacho, ſed quem Augienſes ſumma gratulatione excepere.

...lbero ...piſc. opt. Iterum in gratiam Adalberonis noſtri Baſileenſium Pontificis plura Eccleſiæ ejus elargitur, & Jus Foreſtarium per Briſaugiam à pago Togingen usque Gundelfingen & Bezingen concedit.

Berno Abb. Augiæ. A C. 1009. Berno Augiæ Abbas, ab pientia, facundia, prudentia comitate laudatiſſimus, diſciplinam & Cœnobium ſollicitè reſtituit, & novam dignioremque S. Marco Evangeliſtâ tanto hoſpite Baſilicam molitur; quadraginta demum annorum labore abſolutam. Claret Rupertus

Rudolpertus Aſceta doctus. ſive Ruodolpertus Augienſis Monachus, Matris S. Hermanni Contracti patruus, non minus eruditione quam genere illuſtriſſimus, proſa metroque excellens, qui ſui temporis, Cœnobiique res accuratè deſcripſit. Ipſo anno Burcardus S. Galli Abbas Cœnobium & Baſilicam reſtaurat, ſtructorum quodam è ſupremo tecti vertice præcipite, S. Galli patrocinio prodigiosè ſervato.

Baſilica Baſileenſis. A. C. 1010. Dum Adalbero noſter Baſileenſium Pontifex, deſtructam pridem ab Ungaris Cathedralem Baſilicam molitur, dignam Auguſtali Magnificentia exſtruere â S. Henrico jubetur. Extat hodie perenne & Auguſti tanti, & tanti Pontificis verè Baſilicum Baſilicæ monimentum, ut huic etiam Augiæ Monacho tantum ſplendorem debeat Metropolis Rauracorum.

Stephanus Abb. Campid. A. C. 1011. Stephanus Taradus ab Erpach Abbas & Princeps Campidonenſis moritur, vir religione non minus præſtans quam generis Nobilitate & eruditione. tantus omnino, quem Lambertus noſter Conſtantienſis Epiſcopus, ſibi Coadjutorem, ut vocant eligeret, præclare meritum de tota Diœceſi. Subſtitutus Eberhardus Hertenſteinius de Wineden, non impari ingenio, prudentia, virtute & litterarum cognitione in quo omnia digna magno Principe eluxêre.

S. Henricus Conſtantiam demeretur. A. C. 1012. S. Henricus Imp. æternum meretur de Conſtantia noſtra ejusque Epiſcopo Lamberto & Monaſterio Cathedrali, qui ſub hoc ipſum tempus, Pontifici noſtro & ſucceſſoribus dono dedit, quidquid circa lacum Potamicum Burcardus Alemanniæ Dux poſſedit. ampla omnino & verè Auguſta largitione; Lamberto apud eumdem plurimum valente, & multa alia impetrante, quæ poſteris ſæculis Sectarii violenter ſuſtulere.

Naſcitur S. Hermannus Contractus. A. C. 1013. Memorabilis hic annus Diœceſi noſtræ inprimis eſt, ortu Magni omnino ſyderis ſancti Hermanni Contracti, Veringenſis Comitis, qui hunc ipſum ſibi natalem ipſus in ſuo Chronico, & diem inſuper 15. Cal. Auguſti annorat. æternum Benedictini Ordinis decus, cujus cum tempore merita referemus.

A. C. 1014. Isto nunc anno aliud sydus Diœcesi eripit, & cœlo inserit bonum Numen, quo potentius patrocinetur suis gentilibus, sublata è mortalitate S. Kerhilde Virgine, ad S. Galli Inclusâ, insolito vitæ rigore, velut in fornace aurum, excocta de qua Heppidannus: *S. Kerhildes moritur.*

Cruda virens DEO Gerhilth seniore sub ævo
Fungitur in claustris reserans ergastula carnis.

A. C. 1015. Inter Abbates Diœceseos nostræ Burcardus S. Galli Antistes instar solis emicat. Is quanti referret benè gnarus. sacros Religiosorum cœtus numero crescere, in hoc plurimum adlaboravit, eoque Oeconomiæ studia convertit, quo plures ad DEI servitium alumnos Christi congregaret, restituitque cum in disciplinâ, tum in litterarum studiis tantopere Monasterium, ut exemplar denuo Regularis observantiæ toti Europæ esset, & promptuarium Sanctorum. Cæterum etsi observantissimus juratæ paupertatis, Domus tamen DECOREM mirificè diligens & promovens pretiosissima vasa & vestes pro Ecclesia comparavit, & quæ DEI honorem spectabant, splendidissima voluit; ad quem unum & pauperes ejus spectare noverat, quæ sunt Monachorum. *Burcardus Abb. S. Galli.* *Decorem Domus DEI curat.*

Laborant eodem hoc ipso tempore plurimum, eadem cura in structione Domus DEI & splendore curando Adalbero Episcopus Basileensis & Berno Abbas Augiensis, uterque insigniter meriti de omni posteritate. *Basilicæ variæ.*

A. C. 1016. Itha Burgundiæ Ducissa cum Wernhero fratre suo Argentinensi Episcopo consilium init, de condendo celeberrimo in Argovia Cœnobio, quod deinceps Murense est appellatum. quæ res plurimas initio patitur difficultates. *Murensis Cœnobii præludia.*

Berno Augiæ Abbas Princeps Religiosissimus & doctissimus S. Henricum Imp. plurimum demeretur, librumque insignem eidem inscribit. *De verâ laude Regis.* à quo multas gratias impetrat, & Confirmationem omnium Privilegiorum.

A. C. 1017. Felicissima Diœcesis, amplissimum Syderum cœlestium promptuarium, novum denuo & lucidissimum cœlis hoc anno transmittit, S. Hartkerum S. Galli prius Conventualem, dein Inclusum, Martyrem voluntarium, imo Martyris miraculum, ut qui supra triginta annos, velut sepulchro conditus, in cellula B. Perchteradis, parvula admodum se abscondens, præter insolitum rigorem, cum procera admodum statura erigere se nunquam posset, perpetuo incurvatus, & vultu in terram prono stetit, jugi sui mactatione sacrificium DEO & victima factus, donec hoc anno, carne & ergastulo hoc solutus, ad libertimos Numinis amplexus evolaret. Excepere spectabili forma Angelorum applaudentium chori, & festivam inter Musicam, ad festa æterna deduxere. *Moritur S. Hartkerus.* *Martyr Voluntarius.*

A. C. 1018.

A. C. 1018. Ad præmia æternitatis evolat Lambertus Epiſcopus noſter Conſtantienſis ex Petruſiano Monacho S. Gebhardi diſcipulo, in cujus gratiam multa S. Henricus, & Cathedrali & Petruſiano Monaſteriis præſtitit; ipſe autem Epiſcopus, Cathedralem collapſam ex parte Baſilicam præclarè reſtauravit. Deceſſit autem Plitiriiaſi, quod nonnemo ulciſcente Numine factum, nimis quam audenter affirmat, ob ſacra quædam donaria à S. Gebhardo Petruſianis relicta, aliis Eccleſiis dono data. quod nimis alienum ab optimæ & ſanctioris notæ Epiſcopo fuit, ut ſuæ Profeſſionis locum, & ultimam Magiſtri voluntatem tantoperè negligeret, cum præterea jus in Monaſterium porro nec haberet, nec præſumeret. S. Henricus demeretur plurimum Monaſterium Einſidlenſe, & merito, quod inde Magiſtrum vitæ ſuæ meruerit S. Wolgangum, adeo in illud Beneficus, ut ſecundus Fundator habeatur.

Lambertus Epiſc. obiit.

Falſo traducitur.

S. Henricus Fundator II. Einſidl.

A. C. 1019. Adalbero noſter Sanblaſianus olim Aſceta, meritiſſimus Baſileenſium Pontifex, abſoluta hoc demum anno Cathedrali Baſilicâ, Dedicationem ejusdem adornat occurrente eodem, Auguſtiſſimo & Sanctiſſimo Cæſare Henrico, cum Virgine conjuge ſua Kunegunda Imp. cum inſigni procerum Imperii comitatu. Adfuit & Ruodhardus noſter, Conſtantienſis ex Monacho Cathedrali Pontifex, cum Poppone Archipræſule Trevirorum, Werinhario Argentinenſi, Hugone Genevenſi, & Hugone altero Lauſanenſi Epiſcopis, templumque ab Adalberone Divæ Virgini Matri ſacratum & nuncupatum. Ditavit tunc in gratiam Adalberonis noſtri Baſilicam novam Imperator, pretioſiſſimis muneribus, eaque inter altare ſuum demeſticum, tabulam auro ſolidam ſeptem millium aureorum obtulit. Sed & duas Dynaſtias ſpectabiles Suntgoviæ Adalberonis & ſucceſſorum una cum arcibus Pfeffingen & Landſeereeſſe juſſit; quin & ſellam ſuam Imperialem, auro gemmis & abore pretioſiſſimam cum toga ſua Cæſarea eidem Adalberoni dono dedit. ut videas quantum huic Diœceſeos noſtræ ſyderi & Monaſterio S. Blaſii ob ipſum ſibi conceſſum, Baſilica ſit obligata.

Dedicatio Eccleſiæ Baſileenſ.

Intereſt Cæſar, &c.

Donatio planè regia.

Adalberonis merita.

A. C. 1020. Iterum Cœli Sydus ab Diœceſi noſtra, & Sangallenſi Monaſterio ad ſe rapiunt, Beatam Kothelindem Virginem DEO ſacram, ſub rigoroſiſſimo Inſtituto Regulæ Benedictinæ Incluſorumquæ aſſiduo bello cum carne acriter confligens, Mavortium tenerrima puella de acerrimo hoſte triumphum retulit.

B. Kothelind. Incluſa.

Ipſo anno: *Ego Herimannus* (Ipſus Contractus annotat) *litteris traditus ſum. 17. Cal. Octobris.* ſeptuennis nimirum modico omnino, ut deinceps dicemus, profectu, donec ipſam Sapientiæ Matrem, Magiſtram mereretur.

B. Herimannus Contractus.

A. C. 1012. Ingentes terræ motus Germaniam concutiunt, quo ipſo anno expeditionem in Italiam ſuſcipiens Imperator ſeſe prius in preces

Terræ motus.

Sangallen-

Sangallenſium, Augienſium & Einſidlenſium ſollicitè & religiosè commendat.

A.C. 1022. Ruthardus Epiſcopus noſter, & Burcardus S. Galli Abbas, ab Henrico in Italiam invitati, cum poſt inſignem ex Græcis relatam victoriam, victor exercitus paulo poſt peſtilenti lue graviter tentaretur, & ipſi morbo correpti, & morte ablati, multum ab optimo Cæſare deplorati, Diœceſim noſtram luctu ingenti confecere, quod uterq; in amoribus omnium eſſet. Burcardus inſignibus à morte miraculis clarus. celebrem in quo ſepultus eſt, locum reddidit. ita ut etiam Italiæ Diœceſis noſtra, prodigioſa ſyderum ſuorum luce illuſtraret, influxu conſuleret. Congeminati ad Divi Galli luctus, & inconſolabiles gemitus, præter enim Abbatem, unicè charum *Notkerum* quoque inquit Heppidannus, noſtræ memoriæ hominum doctiſſimus, Heribeat, & duo Ruadberti ſummæ innocentiæ viri, Theiterich & Lintholdt, morbo latè ſæviente interierunt, plaudente ab tanto noſtrorum luctu, cœlo, cui tanta, tam brevi tempore decora inſerebantur.

Mors Ruthardi Epiſc.

Et Burcardi Abb.

Plurium obiitus.

A.C. 1023. Ruthardo Conſtantiæ Haymo ſuccedit, & ipſe, ut videtur è Cathedrali Monaſterio ad Cathedram Epiſcopalem avectus, Princeps ab inſigni prudentia & facundia commendatus. Ad Divi Galli Thietpaldus ſufficitur, Præſul inſigni manſuetudine, & ſingulari pietate.

Haymo Epiſcopus.

Eluceſcit in eodem Monaſterio Eckehardus minimus, diverſus à Superioribus Scriptor ſolertiſſimus, qui alia inter Pſalterium Davidis in Teutonicam linguam vertit, quo S. Kunegundes Auguſta uteretur.

Eckehardus minimus.

A.C. 1024. Moritur communis pater omnium Eccleſiarum & Religioſorum S. Henricus Imp. Auguſtus, quanto majore luctu bonorum in terris omnium, tanto majore plauſu Cœlitum, & Monachorum inprimis Archiducis Benedicti, cui ſe pridem devoverat, cum ad Montem Caſini ab eodem prodigioſè ſanaretur, ſolâ obedientiâ Imperator, imo miraculum Imperatoris tam ſancti, miraculum conjugis Virginis, miraculum prodigioſæ liberalitatis, cujus dona tot Monaſteriis & Eccleſiis collata æſtimes, credas penè immenſos habuiſſe. Cæterum ut jam ſupra vidiſti, tantæ ſanctitatis Magiſtrum è Diœceſi noſtra habuit, S. Wolfgangum, ut qui Henrico Auguſto, multa ſe debere, Wolfgango quoque debitores, & quidem innumeri fateantur neceſſe eſt.

S. Henricus Imp. obiit.

S. Wolfango debetur.

A.C. 1025. Turbata à tanti Cæſaris morte, Conrado II. Imperante, contra quem Conradus patruelis, Carinthiæ Dux Guelpho etiam & Erneſtus Alemanniæ Principes, Conſtantiæ noſtræ Amici & vicini, tumultuando nihil non movebant, ita ut urbs noſtra haud leviter periclitaretur; quæ tamen turbis ſe non immiſcere pridem docta, bene ſemper habuit, ſuis ſe muris continendo, & rei exitum contuendo.

Turbata Germania.

Digitized by Google

Moritur Adelbero Episc. Ipso anno mortuus Adalbero Basileæ Pontifex, S. Blasii Asceta Princeps, siquis alius de sede sua & Episcopatu optimè meritus cum paulo ante Sanblasianos confratres magno periculo turbarum liberasset.

Obiit Virandus Abb. A. C. 1026. Cœlis immigrat, magnum Diœceseos nostræ ornamentum Virandus Wandelburgius Comes, Abbas Einsidlensis, pro egregiæ sanctitatis notis à S. Henrico Cæsare, in publicæ authoritatis Diplomate *Virandus verendus & venerandus* insigni elogio honoratus, dignus sanè æterna memoria Abbas, cui sequens Epithaphium pro meritis est positum:

Epitaphium Virandi.

Abba Virand tumbam sacris dicat ossibus istam,
Sanguine sat celsus, moribus Aethereus.
Ingenio clarus, mitis, pius atque benignus.
Indeque percelebris Regibus & populis.
Sexcies hic quinis Eremi pater extitit annis
Valdè sibi durus, discipulis placidus.
Idibus ast ternis Februi sustollitur Astris,
Nunc Sabaoth Domino pangit Osanna polo.

Suffectus in ejus locum est Embricius Baro ab Abensperg.

Haymo Episc. moritur. Eodem anno vivis quoque excedit Haymo noster Constantiensium Pontifex Paralysi extinctus XIV. Cal. Aprilis, Princeps non solum de urbe nostra & Episcopatu, sed de tota Germania optimè meritus, quod ejus singulari industria, pestilentissima supra memorata rebellio, composita fuerit, & quies Imperio reddita. *Warmannus Episc. Const.* Successit Haymoni, communibus Collegii Cathedralis votis, Warmannus Comes de Dilingen & Kyburg, Monachus Einsidlensis, Sanctorum in Christo filius, & sanctè æmulus, sancti Udalrici ex Diepoldo fratre pronepos.

Murense Cœnobium struitur. A. C. 1027. Hoc & superiore anno, post multas denique difficultates constructum est celebertimum Murense Cœnobium & absolutum à Wernhero Episcopo Argentinensi, etsi suasu & liberalitate potissimum Itæ ejus sororis, quæ uxor fuit Rathbotonis Comitis Habspurgii. Ipsa tamen absolutum non vidit, sed priore anno X. Cal. Aug. è vivis excessit. quam hoc etiam anno maritus sequutus est VI. Id. Apr. Wernhero deinceps rerum strenuè satagente & ad finem deducente. *Wernherus fund. obiit.* Sed neque Wernhero deinceps longior vita, cum à Conrado Imp. Constantinopolim legatus, fine anni hujus, an sequentis initio vita excessit.

Hartmannus Episc. Curiens. A. C. 1028. Iterum è Diœcesi nostra lumen insigne Rhætia petit, super candelabrum exponendum, ut totam illustret Provinciam; Hartmannus Liber Baro de Plana Terra vulgo Plantaira Monachus & Decanus Einsid-

Digitized by Google

Einſidlenſis, poſtulatus ſacræ Curienſis Eccleſiæ Pontifex, quem ægrè à ſe dimisêre Sancti Einſidlenſes, effuſiſſima tamen in provinciam nobiliſſimam charitate, ſeſe ipſos defraudaverunt, ut ſalulti proximorum conſulerent. qui deinceps magnis meritis ſeſe Rhætiæ commendavit. *Meritum Einſidlenſium.*

A.C. 1029. Triſtiſſimus, feliciſſimo cæteroquin Cœnobio Einſidlenſi, hic annus, lugubri incendio, quo Epponis famuli cujusdem incuriâ an ſcelere, totum conflagravit, *primum* ait Hartmannus, *& graviſſimum, inter plura quæ ſucceſſerunt, ingenti veterum Monimentorum noſtrorum & opum jactura, incendium.* Eppo in fugam ſe conjecit, Embricius Abbas totum ſeſe reſuſcitando è cineribus Cœnobio impendit, ſolo Sacello DEIparæ à flammis eximio & illæſo. Berno Augiæ Abbas maximis in novam Baſilicam & Cœnobii ornamenta ſumptibus quotidie factis ſingulari tamen Numinis benedictione, ſemper opulentior & felicior, univerſæ juxta Europæ conſulit velut Delphicum Oraculum, à Regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Principibus undequaque interpellatus, & conſilium ſubminiſtrare rogatus; omnibus omnia factus. *Einſidlenſe incendium.* *Bernonis merita.*

A.C. 1030. Inquieta circum Conſtantiam noſtram omnia, Alemannia tota, Suevia, Rhætia, Helvetia turbata, ſolâ urbe noſtra velut in aëre ſuſpenſa, ſibi ſemper conſtante, dum Erneſtus Alemanniæ Dux tertium jam contra Vitricum Cæſarem rebellis, vicinos omnes in ſocietatem ſceleris vocaret, fidos Cæſari graviter affligeret, ab hoc paulo poſt exauctoratus, Hermanno fratre ſubrogato; quem quod adhuc juvenis eſſe Warmanno Epiſcopo Conſtantienſi educandum & ducendum, imo Alemanniam pro ipſo gubernandam commiſit, memorabili exemplo conceptæ ſummæ de Epiſcopo ſpei, cum ejus conſanguineus Wernherus Kyburgius alter rebellionis author eſſet. *Turbata Alemannia.* *Warmannus Epiſc. Præſes Alemanniæ.*

Iterum aliud lumen elargitur Diœceſis noſtra, illuſtrandæ Bavariæ ac Ratisponæ, quod ex Augia Divite & Bernone Abbate poſtulatum eſt, Burcardus nimirum non minore pietate atque eruditione, quam Nobilitate Aſceta, S. Emmerammi Monaſterio Abbas datus. *Burcardus Abbas.*

A.C. 1031. Embricius Einſidlenſis Abbas, reſtitutis pro tempore, quæ incendio perierant habitationibus, ad exſtruendam quoque S. Mauritio Baſilicam animum adjicit, & hoc anno jacto primo, ut ajunt, lapide, poſitoque fundamento rem alacriter adgreditur. Bene conſulit Alemanniæ feliciſſimus ejusdem, pro juvene Duce gubernator Warmannus Conſtantienſis Epiſcopus, & ſumma tranquillitate omnia dextrè componit. Moritur Arbo ſive Erbo Moguntiæ Archiepiſcopus, cui multa ex ſuis operibus inſcripſit Eckehardus celebratiſſimus fama ad Divi Galli Monachus, qui hoc etiam anno ad ſuum revertitur Cœnobium. Ipſo anno ſupremam manum, *Einſidlen. reſtauratur.* *Warmannus Epiſc. Præſes Aleman.*

Digitized by Google

Berno Augiensis. suo *De Adventu Domini*, operi imponit Berno Augiensis Abbas, idemque eidem Arboni sive semineci sive jam extincto dedicat, quem nos ex Augia postulatum opinamur.

Eckehardus scriptor. A. C. 1032. Eckehardus, sibi redditus, qui diu aliis labores suos sacraverat, nunc Chronicon S. Galli meditatur, quo Cœnobii sui eventus describere aggressus est.

Bernonis Privilegia. Berno Abbas Augiæ missis ad Joannem XX. Privilegiis, ea non solùm omnia confirmari impetrat, sed multis auctus, iis omnino cultu habituque uti jubetur, quo in sacris Episcopi uterentur, cui ob id quæstionem noviſſe Episcopus noster Wermannus à nonnullis, sed frustra perhibetur. cum uterque amantissimi comprobentur, & neuter alteri uspiam fuisse impedimento.

S. Vdalricus Junior. A. C. 1033. S. Udalricus cognomento Junior Comes Kyburgius lucidissimum Diœceseos nostræ sydus, juvenis etiamnum splendoribus sanctitatis patriam illustrat, non hujus solum sed Germaniæ imo Ecclesiæ universæ ornamentum, S. Udalrici Augustani Episcopi pronepos ex fratre, gemellus vitæ meritis & integritate. Et ne putes unum tantum sydus hoc ipso tempore superfuisse patriæ nostræ, noveris tota ejusmodi luminibus Monasteria, Einsidlense, Augiense, Altorffense, SS. Blasii, Trudperti, Georgii, &c. mirificè colluxisse; Certe S. Galli procul etiam radios suos emisisse. *Multi illustres.* è quibus B. Reginboldum, S. Udalrici consanguineum, hoc anno, *B. Reginboldus Episc.* Spirensis Cathedra, S. Ulrici, Ebersbergæ, & Lauresheimii Abbatem Pontificem meruit, qui totam Nemetum provinciam mirè illustravit.

Gisila Imp. ad S. Galli. Eodem anno Gisila Imperatrix cum Henrico filio ad Divi Galli divertit, cumulato donariis loco, & uterque inter Fratres conscriptos numerari petiere ac meruere.

Warmannus Episc. ob. A. C. 1034. Warmannus Episcopus noster Comes Kyburgius Monachus Einsidlensis, Alemanniæ Gubernator post multa præclare gesta, cum Episcopatum insigniter demeruisset vitâ defungitur & Constantiæ sepelitur, magno omnium luctu, quod in omnium amoribus esset. quæ causa fuit, ut mortui desiderio ejus germanum fratrem Eberhardum Augiæ Divitis Monachum ad Cathedram eandem raperent, & animitus Pontificem consalutarent. *Eberhardus Episcopus.*

Notbertus Abbas. Ipso anno, ad Divi Galli mortuo Theobaldo laudatissimæ vitæ Abbati Notbertus Liber Baro à Stöfflen sufficitur.

Geronis Montfortii obitus. A. C. 1035. Mirabili fortuna, sive potius Numinis singulari dispositione, Gero Montfortii & Pfulendorffii Comes, cum jam provecta ætate, sæculum ejurare sæpius proponens & sese Numini consecrare, Montfortio Pfulendorffium remeare statueret. in Petrusii Abbatem exitinere incidens, cucullum serio exambiit, cumque navim ingressus, ut domum reverteretur,

rem

nem denuo urgeret evocato ad ſuam navim Abbate, tamdiu inſtitit, donec profeſſionem vitæ acceptaret, & mutato itinere Conſtantiam & Petruſium, illic dum viveret DEO famulaturus, cum Abbate illuc iter ſuſciperet, prope locum à ſciuro dictum, ubi olim in navi natus erat (res mirabilis) ibidem etiam mortuus, ac dein inter Fratres Petruſii ſepultus eſt. *Res mira!*

A. C. 1036. Sub hoc ferè tempus S. Hermannus Augiæ Monachus, cum infirmo admodum corpore, & juvenilibus annis contractiſſimis membris, ſibi ipſi vilis & odioſus eſſet, ad Conſolatricem Afflictorum DEI Matrem Virginem confugiens, cum malo remedium inſtantiſſimis ab eadem precibus contenderet, ab eadem per viſum utrumne, omnium ſcripturarum ſcientiam, an bonam corporis valetudinem mallet, interrogatus, illam huic præferens & eligens, grandi quamprimum conſequutus prodigio, ex Idiota repente Doctorum maximus, Divinis non ſolum litteris, ſed & omnibus humanioribus diſciplinis, Philoſophia, Aſtronomia, Muſica, Poëſi, mirificè excelluit. Trium inſuper linguarum idiomata, Latinæ, Græcæ & Arabicæ perindè calluit, atque ſi cum matris lacte ſuxiſſet. *S. Hermannus Contractus.* *Repente ex Idiota doctiſſimus.*

A. C. 1037. Burcardus S. Emmerammi Ratiſponæ Abbas, è Divi Galli, ut ſupra diximus poſtulatus, pro eximia ſua religione & prudentia Romano Pontifici æque atque Imperatori dilectus, Cæſaremne in Italiam comitatus, an potius ejusdem ad Papam legatus Romæ mortalitatis vinculis ſolvitur, & magno ſane honore in Vaticana Divi Petri Baſilica ſepelitur. Notpertus Baro de Stöfflen ad Divi Galli, ſplendidam, quæ usque hodie cernitur, Baſilicam molitur, ea virorum gratia, & animi dexteritate, ut nemini non quadraret, amoremque omnium mereretur, tantus viciſſim filiorum in Chriſto amator, ut ſummos ſibi oblatos honores refugeret, ne ab illis diſtraharetur. Ita de ipſo Veteres: *Burcardus Abb.* *Romæ ſepelitur.* *Notpertus Abbas.*

Conſtat Notpertum magna Virtute refertum,
Lac fuit infantum, Juvenum Dux, norma Piorum,
Ille timore Dei deſpexit cætera Regni. *Encomium.*

Conradus Imp. in gratiam Hartmanni noſtri, Epiſcopi Curienſis, Epiſcopatum illum magnis ornat privilegiis & muneribus cumulat.

A. C. 1038. B. Reginbaldus, mutuatum à Diœceſi noſtra Sydus illuſtriſſimum Nemetum metropolim totamque provinciam latè illuſtrat. Excultus omnium virtutum genere in pauperes tamen effuſiſſima charitate fuit, ea inſuper animi demiſſione (Kyburgi Comes & tantus Pontifex) ut cum his promptius quam cum Principibus & Palatinis ageret. Extat usque hodie in medio Chori Spirenſis, candelabrum æreſuſum auro inductum, quatuor & viginti verſibus inſcriptum, quorum poſtremi duo ad Cœlorum Auguſtam: *B. Reginbaldus liberalis in pauperes.*

Ejus donum.

Istud non magnum dignanter suscipe munus
Quod Reginboldus Tibi Præsul reddo m:sellus.

Sed & alter Reginboldus hocipso anno in Monasterio Murensi, insigni se virtutum splendore commendavit, sub quo Cœnobium illud insigniter efflorescere cœpit.

S. Meinradus Canonizatur.

A. C. 1039. Magno totius Diœceseos plausu, refertur in Sanctorum Cœlitum numerum à Benedicto IX. Pontifice Maximo S. Meginradus sive Meinradus Sulgoviæ Comes, Monachus Augiensis, primus sacræ Heremi incola, & Martyris titulo honoratur. Dedicavit hocipso anno ejusdem Monasterii Einsidlensis Basilicam, ab Embricio Abbate absolutam, Eberhardus noster Constantiensis Episcopus, & in præsentia Hartmanni de Plana terra Curiensis Episcopi, hujus loci nuper Ascetæ solemniter honori S. Mauritii consecravit, in quam beneficio Bernonis Augiæ Abbatis, corpus prædicti S. Meinradi translatum fuit, pridie Nonas Octobris.

Dedicatio Einsidl.

S. Regimbaldus obiit.

Iterum sydus novum cœlo concedit Diœcesis nostra, & Spirensis aliquandiu sibi concessum S. Regimboldum Episcopum, egregia sanctitate virum, qui hoc anno 12. Cal. Sept. mortalibus valedicens, Cœlitibus jungi meruit.

Henricus III. Constantiæ.

A. C. 1040. Henricus III. Imp. Augustus Constantiam profectus Natalitia Christi Servatoris festa ibidem celebrat. Inde in Augiam enavigans, Bernardo sive Bernoni Abbati torique Illustrissimorum Ascetarum Collegio familiarissimum se præbuit. inde ad S. Galli, & Einsidlense Cœnobium profectus, ubique Augustam suam liberalitatem comprobavit, & litteras, concessas ab Antecessoribus gratias solemniter confirmavit.

Opinio diversa.

Warmannum Episcopum & Thietbaldum Divi Galli Præsulem nonnulli hoc primum anno, mortuos contendunt. sed supra jam, ut res habet dedimus.

Eberhardus Episcopus.

A. C. 1041. Invisit denuo ad Eremum Deiparæ Eberhardus noster Constantiensis Episcopus, & S. Gangolphi nobilis Martyris, quam honori ejus struxerat Embricius Abbas consecrat Ecclesiam.

S. Udalricus Junior.

S. Udalricus Junior, juvenis etiamnum à Nizone Frisingensi Pontifice patruo suo tenere dilectus ad duos Canonicatus promotus, sæpius dein in vita planxit, quod duo Beneficia tenens contra Canones deliquisset, etsi culpa patrui, non sua innocentis fuisset.

Bernonis negotia.

A. C. 1042. Bernoni nostro Augiensi, etsi quietis amantissimo, labores tamen Regnorum maximi incumbunt, diversis Regibus & Principibus omnes difficultates ad ipsum remittentibus, ipso nihilominus subcesivis horis, digna æternitate ingenii monimenta moliente, & sub hunc annum, *de Jejunio Sabbathi* unum librum scribente; alium *de Officio Missæ*; tertium *de Jejunio quatuor Temporum*; *de Musica item & Symphoniarum* Regulis librum alium, itemq; alium, *de Monacho mensurando* ultra Regulam Boethii & Guidonis.

Scripta varia

Claret

Digitized by Google

Claret juxta S. Hermannum Contractum in Augia, Werinharius frater germanus ejusdem, non minus vitæ integritate, quam sanguinis jure. illam ab exemplo, viva Hermanni instructione facilè omineris *Werinharius Augiensis.*

A. C. 1043. Tristis hic annus morte est Gisilæ Augustæ Conradi II. Imp. viduæ, matris Henrici III. singularis Monasterii Einsidlensis Dotatricis, quam filius Henricus Spiræ Nemetum juxta patrem condidit. *Gisila Imp. obiit.*

A C. 1044. Constantiæ solemnissima Imperii Comitia in magna Principum frequentia celebrat Henricus III. Imp. Aug. in quibus felicissimo rerum successu pax constituta & sancita est inter omnes Imperii provinciarumque status ac Princeps, qualis deinceps in Germania nulla unquam fuisse memoratur; cum Imperator omnibus omnino, qui in se deliquissent, remitteret, & suo exemplo, reliquos etiam provinciarum proceres, invitaret & impelleret. ita ut deinceps *Pax Constantiensis*, inter præcipua exempla felicitatis Germanicæ haberetur, & ab nomine juxta Metropolis Acronianæ sive Patamicæ, & à se ipsa Constantior cæteris & diuturnior celebraretur. Ipso anno Eberhardus Hertensteinius Campidoni Princeps & Abbas, insigni rebus gestis Præsulatu cum vita defungitur, excepit Giselfridus communi calculorum voto, ex familia Latifoliorum (Breittblatt) de Mülhausen, insigni felicitate Princeps, & qui deinceps *Patris Patriæ* titulum meruerit. *Comitia Constantiæ.* *Pax composita.* *Giselfridus Abbas.*

A. C. 1045. Iterum insigne Germaniæ & Episcopatui nostro sydus à Numine concessum Beatæ memoriæ Wernherus S. Blasii in Hercinia Abbas, qui eruditione non minus, quam eximiâ vitæ integritate claruit & sæculum istud illustravit. Scripsit doctè admodum, de profundissimo juxta & sublimissimo Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio, quæ isto inprimis sæculo, nescimus qui attentare præsumpserit, certè qui palmam Wernhero nostro prætulerit. S. Udalricus noster Kyburgi Comes à patrino Cæsare in aulam invitatur & rapitur, mirabile Sacellani Augusti exemplar, cui simile vix visum, adeo in aula extra aulam, inter plausus & delicias sibi semper similis, imo Cœlitibus & Angelis extitit. *B. Wernherus Abb. S. Blasii.* *S. Udalricus in Aula.*

A C. 1046. Henricus Imp. coronam Romæ suscepturus, Constantiam occurrit, & Eberhardum Episcopum sibi inprimis dilectum secum ducit, inde ad Divi Galli invisens, & Notpertum etiam Abbatem secum ducere volens, impetrare non potuit, imperare ausus non fuit, magnis honoribus promissis, quibus omnibus filios sacros præposuit. quos deserere omni morte durius fuit. Eberhardus autem Episcopus ipsam Romam usq; sequutus, ipsam solemnissimam Clementis Papæ inaugurationis, & Henrici Aug. coronationis diem morte sua funestam & atram reddidit, magno utriusque Capitis dolore extinctus, & magno cum honore in porticu Basilicæ S. Petri in Vaticano sepultus. Rumoldus Goslariensis Præpos. fit Asceta Einsidlensis. *Henricus Imp. Constantiæ.* *Augia soli Papæ paret.*

A. C. 1047.

Theodoricus Epiſc. noſt.

A. C. 1047. Conſtantiæ intellectâ Epiſcopi & Principis ſui morte die Electioni ſolemni deſignata eligitur Theodoricus, à Cæſare proculdubio commendatus, ejus Archi-Sacellanus Aquisgranenſis & Spirenſis Præpoſitus.

Vinearum Monaſterium.

Hoc tandem anno Guelpho Bavariæ Dux, Carinthiæ Archidux Comes Altorffenſis, ſuum ipſe cedit Palatium, Altorffenſis Cœnobii nuper incendio in cineres collapſi religioſiſſimis Alcetis, & illud à proximis Vineis *Vinearum* nomine appellat; translato jam tertium Religioſorum integro cum ſuo Abbate cœtu, ubi usque hodie in laudibus DEI ſacra eorum poſteritas perſeverat.

Baſilica Vinearum.

A. C. 1048. Baſilica Monaſterii novi in Monte Vinearum à Theodorico Epiſcopo, Sanctorum Martini Epiſc. Turonenſis, & Oswaldi Regis Britanniæ honori dicatur & nuncupatur, Beringero primo loci ut & ultimo Altorffenſis Cœnobii Abbate, quem Guelpho Princeps unicè dilexit, & magnis poſſeſſionibus auxit.

Et Augienſis Dedicatur.

Ipſo quoque anno Berno Augiæ Divitis Abbas, abſolutam à ſe Divi Marci Baſilicam conſecrari curat, occurrente eodem ipſomet Auguſto Henrico, cum inſigni Principum comitatu, Theodorico ſimiliter Conſtantienſi Epiſcopo Eccleſiam conſecrante. Verum non multo poſt Berno morbo correptus ſupremum ſpiritum efflavit, ſuccedente in ejus locum Udalrico Comite de Lupffen, Cœnobii ejusdem Decano. Giſelfrido apud Campidonum Landulphus ſuccedit.

Bertholdus Abb. Caſin.

A. C. 1049. Hic nobili admodum familia Rheinſtetterorum ab Hohenegg, brevi tamen regimine vix annum explens, honoris ac oneris ſatur ultro Abbatiam reſignat, poſt quem Bertholdus de Thannenfels ſucceſſor eſt ſalutatus.

Contentio Abb. & Epiſc.

Theodoricus Epiſcopus noſter cum Udalrico Augiæ Præſule acriter contendit, ſibi Benedictionem ſive inaugurationem Abbatis Augiæ competere, Udalrico abnuente & nunc Romam contendente, quem & Theodoricus ſequutus eſt, verum nihil effecit, Udalrico ſtatim ab ipſo S. Leone IX. confirmato & ſacrato, qui & pro ſucceſſoribus definivit, eos omnes nemini niſi Rom. Pontifici ſubeſſe.

SS. Sanguis lateris Chriſti repertus.

Ipſo anno, repertum ſuperiore, SS. Chriſti in urbe Mantuana ſanguinem à S. Longino Centurione haſtâ è crucifixi latere elicitum, illicque metu Hoſtium Chriſti reconditum, ſolemniter præſente Cæſare elevat S. Leo IX. Pont. Max. quem inter ſeſe Papa, Cæſar, & Bonifacius Mantuæ Marchio partiuntur, eâ, quæ Cæſari obtigerat parte, demum Diœceſi noſtræ illatâ, & Monaſterio Vinearum donatâ; quæ usque hodie ſumma devotione illic colitur.

Pars in Monaſterio Vinearum.

S. Leo IX. Conſtantiæ.

Eodem anno idem S. Leo Pont. Max Comes de Dagsberg, Germanus Patria, Conſtantiam venit, magno omnino plauſu exceptus atque inde in Augiam delatus, aliquot dies ſubſtitit à feſto S. Clementis, usq; ad diem Lunæ poſt primam Dominicam Adventus, quæ omnia alii referunt ad annum ſequentem.

A. C. 1050.

Digitized by Googl

A.C. 1050. Impleret merito ſuo, paginas omnes, imo volumen requireret integrum Magnus Sapientiæ Matris diſcipulus ſanctus Hermannus Contractus, qui inſtillatâ Divinitus ſapientiâ cum omnigena eruditione, talenta ſibi credita, minimè ſub terra abſcondit, ſed iis optimè & bono publico uſus, Magiſtræ inprimis ſuæ ut minerval ſolveret, & gratum ſe cœlo terrisque probaret, nihil non in laudem ejus molitus, alia inter declamatiſſimas illas toto orbe, & toties quotidie, in omnibus Eccleſiis Antiphonas, *Salve Regina, &c. Ave Regina Cœlorum, &c. Alma Redemptoris Mater, &c.* ſenſu, textu & cantu compoſuit. Ipſis etiam Angelis ab ipſo quaſi condocefactis, cum eadem deinceps ſæpius repetere Hermanni noſtri verbis & melodia auditi eſſent. Mellifluo illo Bernardo ſuper tanta tanti Dictatoris gratia ſtupente, imo toties quoties audito *Salve* illo, amoribus ſanctiſſimis diffluente, de quo plurimis ille, aliaque inter: *A ſummis labiis canticum iſtud effuſum venit. Habet enim Fundamentum. Fundamentum ejus in montibus ſanctis. Fundamentum ejus interna dulcedinis ſuavitas eſt. & ubi hæc niſi in montibus ſanctis, hoc eſt in mentibus noſtris. A Sanctis compoſitum, à Sanctis inſtitutum dignè frequentabitur etiam à Sanctis. Et verè niſi à Religioſis, & affectione ſancta ferventibus, nec ſubtiliter intelligi, nec efficaciter poterit decantari. Eſt enim tam ſuave ad gratiam, tam fœcundum ad ſenſum, tam etiam profundum ad Myſteria. Tale enim eſt, quod à nobis conſiderari & diſcuti, prout dignum eſt non valeat, &c.* Ita & multa alia prolixè Bernardus. Ut videas quantum unico hoc ab magni Nominis ſydere Diœceſi noſtræ, & Felici magis quam Diviti Augiæ, in facie orbis univerſi ſplendoris & gloriæ accreverit. Nec minus lumen Junior S. Udalricus noſter Comes Kyburgius, Canonicus etiamnum & Præpoſitus Friſingenſis Cæſarem, etſi multum reluctans, ſequi juſſus, nunc Aulam mirificè illuſtrat; cujus faſtidium nimium, cum ſanctam mentem ejus inceſſeret, ſæpius à Cæſare dimitti rogans neque impetrans, cum aliquando coram Cæſare recitaret locum illum Evangelii, ubi agitur de Villæ emptione, de jugorum probatione, deque uxoris ductione, alludens ad Ipſum Auguſtus, Auguſtæ dixit: *Grandes neceſſitates commemorat Dominus Vdalricus, oportet, ut ei licentiam repatriandi concedamus, &c.* Sic impetratâ miſſione cum Imperiali remuneratione, reverſus aſt ad ſuos cum exultatione. Ita Adelberto vitæ ſcriptore.

S. Hermanni Contracti Elogium.

Author culſtus Mariani.

Salve Regina.

Encomium Salve Regina.

Gloria Conſtantiæ.

S. Vdalricus Iun. in Aula.

Aegrè dimittitur.

A.C. 1051. Extinguitur hoc anno Theodoricus Epiſcopus noſter Conſtantienſis, Henrici Cæſaris Cancellarius, ipſo haud minimum mortem ejus dolente. Nec porro ambiguus Imperator, quem ſuo ipſe voto concerneret, & Eccleſiæ Conſtantienſi commendaret, Rumoldum illico dilegit promovitque Einſidlenſem Monachum, ſibi jam pridem, cum Goslariæ Præpoſitum ageret, ab prudentia cognitum ob virtutem chariſſimum, quem extractum Cœnobio, Cathedrâ Conſtantienſi ſublimen

Theodoricus Epiſc. ob.

Rumoldus fit Epiſc.

voluit, majores pridem honores meritum, nunc magno plausu urbis nostræ exceptum. quem honorum omnium contemptus, honore omni dignissimum esse comprobassent.

Moritur Hilzrudis Comit. Dominæ Matri S. Hermanni Contracti supremus hic annus & dies V. Iduum Januarii fuit, Diœceseos nostræ haud minimi ornamenti, cujus encomium & laudes filius ipse, sanctus Encomiastes panxit. Condita est in Aletshausen sive Altshausen Sacello Divi Udalrici honori ab ipsamet condito.

S. Leo IX. S. Wolfgangum elevat. A. C. 1052. Reversus in patriam suam Germaniam S. Leo Nonus, ut Magni ejusdem Tutelaris honori consuleret, ipsamque ad debitam eidem observantiam efficacius excitaret, S. Wolfgangum nostrum solemni Reliquiarum sacri corporis elevatione Sanctis adscribit, insigni Diœceseos nostræ, & Einsidlensis maximè Cœnobii, ubi Monachum professus erat, & Decanum Monasterii perfectissimum egerat applausu. Eodem anno Constantiensis Cathedralis Basilica, vetustatisne vitio an motu aliquo terræ olim ad Potamum frequentiore incertum, funditus corruit, quod etsi grave initiis Rumoldi Episcopi esset, ad gloriæ tamen & famæ celebritatem momentum haud minimum præstitit. In Monasterio Einsidlensi Embricius Abbas, communem carnis ingressus viam ad præmia æternitatis evolavit, cui Hermannus Comes à Winterthur Voto Ascetarum ob insignia vitæ merita suffectus est.

Constant. Basilica corruit.

Embricius Abb. ob.

Mon. Schaffhusanum conditur. Conditur hoc eodem anno fundantibus & dotantibus Eberhardo Comite Nellenburgio, & Itha Tübingensi Palatina celeberrimum olim Monasterium omnium Sanctorum Schaffhusanum, quod intelligens & approbans S. Leo Nonus Papa, quod Ecclesia necdum perfecta esset, ut consecrare posset, eo nihilominus advolans, Principem loci aram ipsus dedicare voluit & sacravit.

Werinharii peregrinatio. A. C. 1053. Werinharius Comes de Veringen frater germanus sancti Hermanni Contracti Augiensis & ipse Monachus, cum Luithario Collega in Palæsthinam ad veneranda Christi vestigia profectionem seu peregrinationem suscipit. quo ipso tempore etiam S. Udalricus noster Junior Nizonis patrui conspectibus repente se subripit, & ad Christi similiter sepulchrum peregrinationem instituens, mira animi devotione omnia sacra loca lustrat & veneratur.

S. Hermannus Contractus obiit. A. C. 1054. Immaturè nimium, cœlo præoccupante, ingens illud ac splendidissimum Germaniæ sydus, Constantiæ & Augiæ decus, S. Hermannus Contractus morte abripitur, ad præmia æternitatis, & Magistræ suæ lauream vocatus, ut *Salve* cujus Præcentorem toti mundo egit, nunc denique Cœlorum Augustæ coram occineret. Cognati ab Abbate Augiæ impetrarunt, ut in Aletshausen parentum & Majorum Mausolæo condere-

conderetur; unde Vinearum deinceps Cœnobio ſacri capitis vertex & brachium obtigit, inter theſauros præcipuos numeranda & veneranda. Suſtulit idem annus Werinharium fratrem S. Hermanni prius quam à peregrinatione Hieroſolymitana ad Cœnobium reverteretur, procul dubio ſancto fratre id ipſum impetrante, ut inſimul Angelorum Reginæ & Angelis ſuum *Salve* præcinerent, qui uterque in ſe Ordini & poſteris ſuo exemplo probavit, quod Hermanno congeminare placuit: *Regula noſtra, non ſimilitudinem Monachi, ſed Monachum quærit.* Hiſce practicis Commentariis Regulam S. P. Benedicti ſancti viri illuſtrarunt, ſuamque obſervantiam commendaverunt.

Ejus Reliquiæ.

Obiit & frater ejus.

Pulchra Regula.

A. C. 1055. Concidit immaturâ morte Guelpho III. Carinthiæ Archidux, potentiſſimus Bavariæ Princeps, Comes Altorffenſis, morte abreptus in Palatio Potamico, in quo ſui olim Majores captivum S. Othmarum indignius habuerant, ultimus ſuæ lineæ Comitum Altorffenſium, qui memorabili exemplo, dum adhuc firmâ valetudine eſſet, ſuum ipſe Palatium, exuſti Altorffenſis Cœnobii non ſolum ex integro ceſſit, ſed nova fundatione plurima addidit, quin imo ſuprema ſua voluntate, confecto deſuper Inſtrumento, Monachos Weingarttenſes omnium ſuorum Principatuum & Dominiorum ex aſſe Hæredes ſcripſit, executionemque rei duobus ſuæ Aulæ Principibus Ducibus de Urslingen commiſit, ad pedes tam dilectorum ſibi Aſcetarum Sacello S. Oswaldo, Mauſolæo Majorum ſuorum & parentum incredibili omnium luctu illatus. Teſtamentum poſtea Henricus Imp. quod ſorore genitos præteriſſet, annullavit, plurimas tamen poſſeſſiones, quam libertimo Jure uſurpandas, Aſcetis aſſignavit, & in ſingularem Protectorem Imperii & ſucceſſorum Cæſarum Monaſterium ſuſcepit.

Guelpho III. moritur.

Ejus Teſtamentum.

Teſtamentum annullatum.

Moritur eodem anno Regimboldus primus Murenſis Cœnobii Præpoſitus, eximia vir integritate, & ſanctitudinis non vulgaribus indiciis. ſucceſſit Burcardus Liber Baro de Goſſauw ex Monaſterio Einſidlenſi poſtulatus.

Ob. Regimboldus Præpoſ. Murenſ.

A. C. 1056. Magno luctu urbis noſtræ amantiſſimus ejusdem Cæſar Henricus III. mortalibus eripitur 3. Non. Oct. relicta Imperii & filii cura Agneti Auguſtæ, & filiam unicam Rumoldo Epiſcopo noſtro, tanquam altero parenti commendans, cujus maxima apud omnes toto Imperio Principes auctoritas fuit. Hoc eodem anno idem Epiſcopus noſter Baſilicam Cathedralem Conſtantiæ abſolvit, & Virginum Virgini, in magno concurſu diverſorum Principum ſolemniter dedicavit & nuncupavit.

Henricus III. Imp. ob.

Conſtant. Baſilica.

A. C. 1057. Welpho IV. Azonis Ateſtini Principis in Italia potentiſſimi filius, jubente Cæſare, avunculi Hæreditatem in Germania adit, & ut deſignatos cæteroquin ex aſſe hæredes, Aſcetas demereretur Weingarttenſes eosdem ſtatim maximis beneficiis demerendos cenſuit. ſibiq; deinceps tantopere obnoxios reddidit ut præcipuus à Pipino Rege Fundator habeatur.

Welpho IV. Dux. Bav.

Inquies Imperii.

A. C. 1058. Principus Imperii, sive fœminæ Imperium detrectantibus, sive puerum Cæsarem ad vota sua, utilemque sibi licentiam trahere conantibus, susque deque in Germania rapiuntur omnia, maximis Principum, tœdio rerum toties periclitantium graviter affectis, & Monasticen passim amplectentibus, ita, ut, Diœceses præcipuè Constantienses Monasteria Procerum maximi sponte sua exambirent, & Christo sese emancupare gestirent. Hisce S. Galli, Augiense, Einsidlense, Weingarttense, S. Georgii, S. Blasii, S. Trudperti, inprimis excelluere. Adalbero Rudolphi Rheinfeldensis postea Cæsaris germanus frater, tœdio rerum humanarum ad Divi Galli Monachum profitetur.

Proceres cultum ambiunt.

Plurima Monasteria condita.

A. C. 1059. Pergunt fluctuari Germaniæ res, quæ etsi Cœnobia quoque subinde in magnum discrimen coniicerent, nunquam tamen antea tantus Monasteriorum numerus est conditus, cum Principes multo satius ducerent, prius DEUM & Sanctos, illorum nomini & honori Monasteria condendo honorare, quam tantos thesauros in milites expendere, vel hostibus cedere.

S. Vdalricus Junior.

A. C. 1060. S. Udalricus noster dictus Junior, facem sanctitatis etiamnum exteris præsefert, priusquam Diœcesi denuo nostræ immigraret, & hoc quidem anno Sanctitatis radiis, mirum in modum Bavariam, & maximè Reginoburgum illustrat.

Seculo renunciat.

A. C. 1061. Idem vir sanctus sæculo renunciat, & Cluniacum delatus, magnum secum sanctitatis splendorem infert, ducto secum Gerardo, Scholastico, ut vocant Cathedralis Monasterii quo deinceps collega familiariter usus est. Excepit utrumque S. Hugo loci Archi-Abbas, eximia sanctitate vir & charissimos habuit, Udalricum præcipuè nostrum, quem deinceps tantus vir immensorum laborum & itinerum solatium quaquaversum, secum deduxit.

Rumoldi Epist. gloria.

A. C. 1062. Summa apud Principes auctoritate floret Rumoldus Episcopus noster Constantienses, & plurima mala cùm ab Alemannia vicina avertit, tum ab Helvetia, Henrico IV. Imperatore matrem exauctorante, & Beneficia Ecclesiastica inter se partientibus Aulicis, libere permittente, quibus Episcopus noster generosè obnititur. Extat ad illum Epistola Alexandri II. Pont. Max. in Decret. Cap. sollicitudo dist. 52. Unde fidelissimus extitisse legitimo Pontifici, comprobatur, & monstris à Monstroso Cæsare obtrusis, fortiter restitisse.

Adilhelmus Abbas.

A. C. 1063. Sub hoc ferè tempus Beringerus ultimus Altorffensis Monasterii Abbas, primus in monte Vinearum extinguitur, succedente in onus & honorem Adilhelmo Lucelburgio Principe, Guelphorum consanguineo, cujus etiamnum insignia, tabellionibus appendi solita, inter rariora Vinearum Monasterii & antiquiora asservantur leonis purpurei, inter

strias

Digitized by Google

ſtrias ſeu trabes candido & cœruleo colore alterantes, in poſteriores erecti pedes gradientis. Præfuit Adilhelmus pluribus Monaſteriis, ab inſigni diſciplinæ Monaſticæ promotione commendatus. *Inſignia.*

A. C. 164. Supremam tandem manum Schaffhuſano Cœnobio imponit Eberhardus Comes Nellenburgius, ipſamque etiam abſolvit Baſilicam, cujus jam ſupra diximus aram Principem à S. Leone IX. fuiſſe conſecratam, templum hoc anno ſolemniter dedicat Rumoldus noſter Conſtantienſis Epiſcopus, & honori nuncupat duodecim Chriſti Apoſtolorum. Ditato largiſſimè loco, Monachum ibidem profitetur Eberhardus Fundator, ob egregiam deinceps vitæ ſanctitatem ſyderibus Epiſcopatus præcipuis adnumerandus. *Monaſterium Omnium SS.*

Sed & alteram eodem anno Eccleſiam Monaſterii Murenſis idem Epiſcopus noſter dedicat, & S. Martino Turonenſi Epiſcopo ſacrat V. Id. Octobr. Monaſterio hoc deinceps plurimum & viribus & viris efflorescente. *Dedicatio Murenſis.*

A. C. 1065. Honore & vitâ apud Einſidlenſes defungitur Hermannus Abbas 6. Aprilis Comes Vitoduranus, primus qui pedum & infulam à Leone IX. Pont. Max. meruit, qui ipſi ſanguine junctus fuit. ſucceſſit Henricus Lupoduni Comes Stülingiæ Landtgravius, probatæ integritatis Princeps, eoque ipſo laudatiſſimus quod à tam ſpectatæ ſanctitatis Aſcetarum Senatu, parens omnium electus prodierit. *Henricus Abb. Einſid.*

Inſigni Diœceſeos noſtræ gloria ad novum ab Adalberto Calvenſi Comite conditum Hirſaugienſe Cœnobium, Abbas & colonia Monachorum poſtulatur; Mittiturque S. Fridericus, cum duodecim lectiſſimis Aſcetis, qui tanquam angulares & fundamentales lapides extitere, Monaſterii, ob infinita ſanctorum Aſcetarum merita & exempla, toto orbe ſpectatiſſimi, & æterna memoria celebrandi. Ipſo anno Beatæ memoriæ Adalbero Comes Reinfeldenſis, Rudolphi Alemanniæ Ducis frater germanus, è Divi Galli extractus Cœnobio, Wormatienſi Epiſcopali Cathedra ſublimatur, vir contemptu honorum honoratiſſimus, etiam poſtquam Pontificali eſt dignitate inſignitus. Ipſo anno Henricus Imp. Conſtantiam noſtram ſuâ præſentiâ honoravit, inde delatus in Augiam, ejus Monaſterii privilegia confirmavit. *Colonia Hirſaug.* *Adalbero Epiſc. Worm.*

A. C. 1066. Illuceſcit Galliis mirabili ſplendore ſanctitatis, illuſtriſſimum ſane Diœceſeos noſtræ ſydus, S. Udalricus Comes Kyburgius Cluniacenſis jam Monachus, ita quidem, ut ſanctiſſimis, & ſanctitatis fama toto orbe celebertimis, & admirationi & exemplo eſſet. qua de cauſa Sacerdotio digniſſimus à Magno Hugone Abbate habitus, eidem deinceps à Sacello domeſtico, & perpetuus atque individuus omnium itinerum ſocius & ſolatium fuit; abſolutiſſimum exemplar virtutum omnium de quo merito æternum ſibi patria noſtra gratuletur. *S. Udalricus Galliæ ſydus.* *Magni Hugonis ſocius individuus.*

Sed & radiis fulgidiſſimæ ſanctitatis eodem tempore Spirenſem Diœceſim & feliciſſimam deinceps Hirſaugiam illuminat ſimul & calefacit S. Fridericus primus ab altera loci reſtauratione Abbas, in cujus laudibus prolixus eſt Trithemius.

Rumoldus Epiſcopus bello contendit.

A.C. 1067. Rumoldo Epiſcopo noſtro, Conſtantienſium ſuorum jura tuendi diligentior ſollicitudo, & invidentium Monachis querimoniæ, impulere optimum cæteroquin Pontificem, ut ſuſpecta illi potentia vicinorum Abbatum Augiæ & S. Galli eſſet. Inde orta cum Sangallenſi de Jurisdictone lite, neutris de ſuo jure remittentibus, aperta denique vi, res in bellum exarſit, ex quo cædes promiſcuæ, incendia, vaſtitates multæ, pluresque ſequuturæ, niſi Rudolphi Alemanniæ Ducis auctoritate, in pacem uterque & concordiam conſenſiſſent.

Pax ſancita.

S. Fridericus Abbas.

A.C. 1068. Optimis meritis, peſſima rependunt Hirſaugienſes S. Friderico Abbati ſuo, dum viri Belial aliqui, graviſſimis calumniis Præſulem ſanctiſſimum irreverenter appetunt, ſacri rigoris jurati hoſtes, ad quem ſuo potius exemplo, quam minis aut pœnis invitabat, non cogebat Fridericus.

Exauctoratur.

nec deſtitere donec inauditum damnari, quin & honore deiici & exauctorari impetrarent, in privatum inſuper injurii & implacabiles omni ejus patientia, & ſolidâ in hoſtes charitate, donec id animadvertens, & miſertus viri tanti, Lauriſſenſis Abbas, ipſum ſecum abduceret, & in Monte S. Michaelis Ebernisberg accommodaret, ubi reliquum vitæ ſanctiſſimè tranſegit. Idem annus ſupremus fuit Wernhero S. Blaſii Abbati ſummæ integritatis Præſuli, ſanctitatis opinione celebri, ſingulari eruditione, ut vidimus, conſpicuo; ſucceſſit communi Fratrum ſuffragio Giſelbertus, multa nominis fama, magna apud Principes Imperii gratiâ & auctoritate.

Obiit Wernherus Abb.

Iterum bellum parat Epiſc. noſter.

A.C. 1069. Penè ac proximè iisdem penè cauſis exarſiſſet hoc anno bellum, inter Rumoldum Epiſcopum noſtrum, & Augiæ Abbatem, niſi eodem arbitro Rudolpho pax eſſet compoſita, dum æmuli Epiſcopo detractum mentirentur quidquid dono Cæſarum gratia Pontificum Monachis

Res compoſita.

acceſſiſſet; Rumoldo rebus compoſitis paulo poſt in morbum incidente, quo & maximo Conſtantienſium luctu IV. Non. Novemb. deceſſit. maximus omnino Antiſtes, & Romano Imperio ſpectatiſſimus, rebus quibusque maximis gerundis promptus & aptus, prudentia & facundia tantis, ut ad easdem Imperii negotia omnia velut Lydii examen lapidis utiliſſimè applicarentur, ſubtiliter expenderentur & expedirentur.

Obiit S. Fridericus.

Syderibus cœleſtibus accenſetur abreptus ex Valle lachrymarũ S. Frider. nuper Hirſaugiæ Abbas, Einſidlenſis Monachus, multis ad tumulum miraculis viri innocentiam demonſtrante Numine merita comprobante. quo ſuperſtite S. Wilhelmus Hirſaugienſis Abbatis ſuſcipere titulum omnino recuſavit.

A.C. 1070. Turbatæ Conſtantiæ res, Henrico IV. Imperatore intellectâ

tellectâ Rumoldi Episcopi nostri morte, Carolum è Thuringiæ Marchionibus Magdeburgensem Canonicum invitis obtrudente, homine Symoniaco, corporis quidem statura, & vultus decore insigniter prædito, cæterum acri & valde avaro, cui tamen initio favere Canonici aliquot visi sunt, donec & ipsi ingenio hominis penitius cognito, averterentur. Iterum magnum Diœceseos nostræ sydus terris occidit, cœlo exoritur Beatæ memoriæ Adelbero Wormatiensibus concessus è S. Galli Monasterio lectissimus Episcopus, germanus frater Rudolphi Alemanniæ Ducis postea Cæsaris. cui Epitaphium sequens est positum:

Carolus Episc. Simoniacus.

Adelbero Episc. Worm. obiit.

Epitaphium.

Firmus Adalbero, syncero pectore cives
Vangiones docuit corde tenere fidem.
Sic se curavit, populi sic pectora pavit,
Ut superi moriens iret ad astra poli.

Iterum malè meritus Henricus IV. Imp. Augiæ Diviti Abbatem, similem Episcopi obtrudit, Simonia infamen Meinradum sive Meginradum Hildesianum Abbatem, optimis quibusque pessimi Cæsaris indignissimam nundinationem, & Sacrilegia detestantibus.

Illucescunt nihilominus Diœcesi nostræ varia è diversis Cœnobiis sydera, quorũ singulare aliquod rursus hoc anno cœlum abstulit Beatæ memoriæ Eberhardum Comitem Nellenburgiũ, Fundatorem Cœnobii omnium Sanctorum Schaffhusæ, & ibidem Monasticen professum, qui hoc anno 7. April. in cœlos evolavit, in vita & à morte miraculorum gloria illustratus. Hentico quoq; Einsidlensi Abbate Stülingiæ Landgravio, Lupodunensi Comite mortuo Selingerus Baro de Wolhausen subrogatur, vir indubiâ vitæ sanctitate, & recenti primùm conversionis ad Monasticen exemplo. Is multos ex Hedwige paris nobilitatis conjuge liberos genuerat; qui plerique; cum una vecti nave proximo Wolhusæ lacu naufragio periissent, tribus solum qui domi manserant superstitibus, parentes optimi relicto quam primum sæculo, ille apud Einsidlenses, illa apud monialis Tiguri Monasticen professi sunt, filiis tribus pari mox voluntate patrem consequentibus & simul se Numini & Deiparæ in sacra hujus Heremo juxta patrem se devoventibus. quorum omnium hæreditate, magna accessio bonorum ad Cœnobium Einsidlense fuit.

Varia sydera.

Henricus Abb. Einsidl. ob.

Selingerus Abbas & liberi.

Ipso anno Diethmaro Curiensi Episcopo extincto, ex Augia Divite successor postulatur Henricus Comes Montfortius.

Henricus Episc. Curiensis.

A. C. 1071. Meinrado Simoniaco, sponte Augiam resignante, & in Franconiam revertente, pari se scelere intrudit Franco alius Rupertus sive Rudolphus Montis Monachorum Abbas, nemine non Constantiensium & Ecclesiæ propriæ, & proximæ Augiensis injurias dolentium. Cæterum Carolus à Cathedralis Monasterii Canonicis apud Alexandrum II. Pont. Max. Simoniæ accusatus, ejus mandato Moguntiam ad Synodum vocatur, ubi præsente & nec quidquam obnitente Sacrilegio Cæsare, qui

Abbates II. Simoniaci.

Episcopus Simoniacus.

qui cum eodem ipsum defensurus Moguntiam descenderat, exauctoratur, cum necdum consecratus fuisset, & Magdeburgum reversus, hoc eodem anno 27. Dec. mœrore confectus emoritur. Succedit Ottho Liber Baro de Lierheim eodem Cæsare promovente eâdem in synodo, in cujus præsentia mox confirmatur, & à Sigefrido Archiepiscopo Moguntino consecratur, Canonicus antea Goslariensis, nec prudentiâ, neque alia virtute excultus, offenso graviter Constantiensium constantia Cæsare, quod Carolum omnino respuissent, de quo familiaribus ille: quoniam, inquit, ingenio acrem & subtilem abjecissent, fatuum modo istum colerent & observarent, adeo benè provisum Ecclesiis voluit æquè impius ac fatuus Imperator.

Ottho Episc. Constant.

Nequissimus Imp.

Notpertus S. Galli Abbas.

Vdalricus II. Abb.

Ad S. Galli Notpertus Baro de Stöfflen Abbas optimè meritus, sponte honore se abdicat, non multo post, incredibili suorum mœrore extinctus 4. Non. Octobr. cui æternis deinceps lachrymis, solemniori memoria posteri parentarunt. Successit Udalricus II. haud impari dexteritate sed & religione & in omnes charitate. Interim ingemiscit sub excommunicato Abbate Ruperto Augia, & extenuatur, illo ob insignem avaritiam *Nummularii* nomine vulgo appellato.

Rupertus Abbas ejectus.

A. C. 1072. Manifestus excommunicationis Rupertus Augiâ eiicitur, scelere Bambergensis Episcopi Gengenbacensibus Ascetis, ut ipsum postularent commendatus, qui re compertâ tantopere offensi & concitati sunt, ut pessimo sanè exemplo in ipsum irruerent, & cum socio Asceta Francone, statim perimerent. Subrogatus Augiæ Eggehardus sive Eckardus Comes Nellenburgius, B. Eberhardi supra laudati Fundatoris Schaffhusani filius, Udonis Trevirensis Archiepiscopi S. Petro singulariter fidi ac devoti & Burcardi Landtgravii, frater sanguine & pietate germanus, Augiensis Monachus.

Eckardus Abb. Aug.

S. Wilhelmus fit Abbas Omniam SS.

Obtigit in tanta rerum, scelere Cæsaris, turbatione, Diœcesi nostræ singularis à Numine hoc anno gratia, & lumen planè singulare, dum mortuo primo omnium Sanctorum Schaffhusii Præsule, Burcardus Nellenburgius Cœnobio optimè provisum cuperet, ut S. Wilhelmum, Hirsaugiæ Abbatem, lucidissimum hoc tempore Germaniæ Solem, precibus evinceret, Abbatiam hanc quoque, raro exemplo acceptare. Nec dubium non tam importunitate & instantia flagitantis, quam instinctu Numinis annuisse. Plausu sanè æterno Diœceseos dignum est, Magnum illum Wilhelmum, inter Abbates suos adnumerare posse, interque Tutelares venerari.

Heppidanus Iunior.

Claret Heppidannus Junior ad Divi Galli ipseque fatetur se hoc anno, jussu Abbatis sui Udalrici vitam sanctæ Martyris Wiboradæ scribere cœpisse.

A. C. 1073. Divus Udalricus noster Junior, omnibus factus, ad diversissima Europæ Regna cùm à Magno Hugone ductus, tum utilitatis publicæ

publicæ cauſa miſſus longe lateque ſanctitatis mirificum circumfert ſplendorem, magnisque ſe meritis commendat. de ipſo S. Hugone Abbate ſuo optime, cùm exemplo, tum verbo meritus, quod ipſe penitius agnoſcens. Udalricum ſuum inter chariſſima & pretioſiſſima habuit. *S. Vlrici merita.*

Conſtantiæ hoc anno, incertum quibus ex cauſis agens Henricus ab Alten-Ravenſpurg Princeps & Abbas Campidonenſis ibidem è vivis excedit, cui ſacri Senatus Campidonenſis vota Conradum Neübrunner ab Oſterrach ſublegêre. *Abbas Campid. obiit.*

Magno contemptus periturorum exemplo B. Gebhardus Zäringiæ Dux Bertholdi Alemanniæ Ducis & B. Hermanni Marchionis frater germanus, poſtea Epiſcopus noſter Conſtantienſis, Monachum Hirſaugiæ profitetur. *B. Gebhardus Zäringiæ Dux*

A. C. 1074. Ottho Conſtantienſis Epiſcopus, dum Henrici Imp. partes contra Gregorium VII. Rom. Pont. partes fovet, & illi ſeſe in aſſerendo & defendendo Sacerdotum conjugio opponit, Anathemate percuſſus, per Rudolphum Alemanniæ Ducem, eiusque aſſeclas Hermannum Ducem Saxoniæ & Bertholdum Zäringiæ Marchionem, Pontificii fulminis exequutores deturbatur. Subſtituit Henricus Imp. Rupertum primo aliquem, dein Bertholdum Sacellanos ſuos, quos tamen Conſtantia noſtra conſtanter repulit, & ut Schiſmaticos execrata fuit, etſi per Sexennium ferè, Epiſcopatus parte aliqua, & per vim potirentur & abuterentur, penitus denique ejecti, cum Conſtantienſes Henricum Tyrannum potius quam Cæſarem agnoſcerent, & in odium ejuſdem intruſos ejuſmodi abominabiles deteſtarentur. *Ottho Epiſc. deponitur.* *Epiſcopi intruſi.*

Immigrat denuo Diœceſi noſtræ S. Udalricus Junior, & in Briſiaca haud procul Divi Trudperti in Prioratu SS. Petri & Pauli Cluniacenſi pedem figit ac Priorem agit, locum (quem olim ſumma religione cum tumulo S. Udalrici ſpectavimus) admirabili vitæ ſanctitate conſecrans, qui hodie ab ipſo, *Divi Vdalrici* cognominatur. *S. Vdalricus in Diœceſi.*

A. C. 1075. Invaleſcit fama Monaſterii omnium Sanctorum Schaffhuſii ſub S. Wilhelmo ſummæ perfectionis abſolutiſſimo Magiſtro Burcardo Nellenburgio Comite adeo rerum Cœnobii, ſplendoris juxta Religionem, ſatagente, ut inter ſpectatiſſima & Religioſiſſima totius Germaniæ haberetur, in quod etiam ipſe plurima elargitus ſecundi à parente ſuo Fundatoris nomen meruit. *Monaſterium ejus Sanct.*

A. C. 1076. Deſiit hoc anno vivere & præeſſe Udalricus II. Sangallenſium Abbas de Cœnobio optimè meritus, præter quippe inſitas animo egregias virtutes, per quas ſanctè cuncta diſpoſuerat, Oeconomiæ juxta adminiſtratione dexter & felix admodum extitit, ita ut ſucceſſori ſuo multum & auri & argenti in theſauro relinqueret. Mirum autem peſtilentiſſimum etiam Cæſarem Henricum IV. fautores in tam ſancto loco inveniſſe, qui cum *Obiit Vlricus Abb. S. Galli.* *Etiam ſanctis ſedentes.*

promotum Udalricum Marquardi Carinthiæ Ducis filium vellet, ſtatim aſcenſi ſunt, aliis & melioribus meliorem & collegam eligentibus, Luitolphum Nellenburgi Comitum conſanguineum, qui aliquam diu ſanctè & laudabiliter præfuit, donec qui foverant Udalrico res ſuas firmius ſtabiliviſſent, onerato calumniis gravibus Luitolpho, mox etiam Cœnobio exacto, qui ad cognatum Eggehardum Augiæ Abbatem Nellenburgi Comitem profugit, ipſum & defenſorem & ultorem injuriarum habuit, ita ut ſæpius deinceps armis congreſſi, multo ſanguine ſuam quisque cauſam tuerentur.

Luitolphus pulſus.

Anno eodem B. Udalricus alterum in Diœceſi noſtra condit Cœnobium Polsweilerenſe haud procul Fryburgo Briſiacæ, in quo inſignem Virginum Nobilium numerum aggregavit, & ſanctè inſtituit.

Monaſterium Polsweiler.

A. C. 1077. Magna terum totâ Germaniâ perturbatio, Conſtantiæ Urbe noſtra, ſecurè denuo prope & procul contuente, quæ alii ſeu ferrent, ſeu inferrent, dum exauctorato cœlis inviſo Cæſare Henrico, Rudolphus Rheinfeldenſis, Alemanniæ Dux Auguſtus ſalutaretur.

Rudolphus Cæſar ſalutatur.

Eggehardus in cauſa cognati Luitolphi ad Gregorium VII. Pont. Max. contendens, interceptus ab Henricianis, & Parmam abreptus & Epiſcopo loci traditus, ægre admodum opera Gregorii VII. & Mathildis Duciſſæ eripitur. S. Wilhelmus noſter Schaffhuſii & Hirſaugiæ Abbas S. Anſelmo Cantuarienſi Archipræſuli familiaris factus, ab ipſo & litteris, & corporali præſentia viſitatur.

S. Anſelmus Archiep.

A. C. 1078. Supremus hic annus Henrico Montfortio Comiti, ex Augia noſtra ad Pontificatum Curienſem aſſumpto, inſignis & noſtræ & illius Diœceſeos ſyderis, qui nulla habita ratione excommunicati Cæſaris, nil precibus dans neque minis pro legitimo Chriſti ſucceſſore conſtantiſſimè ſtetit, & Cœlibatum integerrimus ipſe aſſeruit, periculorum omnium pro Religione fortiſſimus contemptor.

Henricus Epiſc. ob.

Rumore ſive fortuito ſive dè induſtria de morte Eggehardi Augiæ Abbatis ſparſo, quem captum in Italia diximus, Ulricus S. Galli invaſor, Augiam quoque ab excommunicato Cæſare per Symoniam turpiter exambit, & à cognato facile impetrat, unde maxima deinceps legitimo Abbate revertente incommoda. etſi Udalricus hoſtis ſimul & Abbas Augienſium imperium ſeu regimen violenter obtineret.

Pugna Abbatum.

A. C. 1079. Acriter nihilominus Pſeudo-Abbatem Guelpho Dux acerrimus Rom. Sedis propugnator & Henrici Sacrilegi Imp. juratus hoſtis, cum Bertholdo Zâringiæ Duce, infeſtat, & hic quidquid per Briſiacam Udalrici erat, ille, quidquid per Sueviam, occupat, etſi poſtea miſſis â fratre Luitholdo Carinthiæ Duce & Henrico exauctorato Cæſare copiis, Ulricus ſua facile recuperaret, & Tyrannide ſua impune lætaretur.

S. Galli res plur. attrita.

Con-

Digitized by Google

Constantia absque Episcopo agit, omnes quos Henricus obtruserat constanter recusando, Religiosorum nihilominus virorum solatio in omni bono exercita & excitata. *Constantia sine Episcopo.*

A. C. 1080. Evadens nunc primum è carceribus Parmensis Episcopi Eggehardus Abbas, vir denique impetrantibus Gregorio VII. & Mathilde Principe, inexpectatus ad Augiam revertitur. Exceptus ut redivivus parens ab optimis filiis, cum accepta ab æmulo & tyranno damna intelligeret, ad arma versus collecto quamprimum milite Divi Galli petit, vestat igne & ferro, quæ Sangallensium erant omnia, tertia parata & absoluta pari fortuna in miseros expeditione quos ignes Constantia nostra æque infensa intrusis & Schismaticis, non sine plausu intuita, Augiensibus gratulata est, nemine non auctorem tantarum calamitatum, Henricum Cæsarem Inferis devovente, quibus pridem deberi, tot Pontificiis fulminibus ictum, universi intellexerant. *Eggehardus è carcere evadit* *Vlciscitur injuria.*

Nunc denique Schaphusano Monasterio sic constituto, ut inter sanctissima Europæ haberetur, sanctus Wilhelmus idem resignans, Sigefrido optimæ notæ discipulo ejus regimen committit, qui etiam non impari fructu eidem strenuè consuluit. *S. Wilhelmus resignat.*

A. C. 1081. Quarta expeditione S. Galli invadit Augiensis, & prospere, castro etiam Berneccio monti vicino impositio, unde deinceps semper molestus Udalrici subditis esse posset. Sed hic domum reversus, non desiit donec expugnaret arcem & everteret. *S. Galli res afflicta.*

Exsplendescit juxta Schaffhusanum præ aliis Diœceseos Monasteriis sanctitatis fama nunc S. Blasii, reaccensum novo fervore & pia æmulatione S. Wilhelmi Schaphusanum informantis, quæ fama Wernherum Habspurgium impulit, ut inde Murensi suo Cœnobio subsidium quæreret, unde Giselbertum pro Abbate impetravit, cum lectissimis aliquot sociis, ita ut dum omnia susque deque rotabantur sub turpissimo Henrici IV. Imperio sanctitatis lucidissima exempla Diœcesi nostræ nunquam deessent. *S. Blasii gloria.* *Colonia inde petita.*

A. C. 1082. Hoc, an priore, ut nonnulli volunt anno Constantia denique nostra, gratia Numinis, indulgentia Gregorii VII. Rom. Pont. legitimum denique Pastorem, & à DEO electum meretur, cum tanta Constantia spurios hucusque repulisset. Ottho proin S. R. E. Cardin. Episcopus Albanus, Sedis Apostol. legatus Constantiam veniens, magno exceptus plausu convocato Patrum Monasterii Cathedralis sacro Senatu, communi omnium voto & calculo, Gebhardum eligit Hirsaugiæ Monachum, qui tunc forte cum suo Abbate S. Guilhelmo aderat, nil minus quam Præsulatum ambiens nedum expectans, vir sanctus & summa *Constantia Episcopum eligitur.* *B. Gebhardus Hirsaug. mon.*

Digitized by Google

generis Nobilitate, Bertholdi Zăringiæ Ducis germanus frater, qui tunc ad Divæ Virginis aram genuflexus DEUM ſedulo pro felici electionis ſucceſſu orabat, adeo mox territus ſua deſignatione, ut velut mortuus exanimis ad terram corrueret, DEI tamen gratia, ut Manlius refert exſuſcitatus, & cum necdum Presbyter eſſet, ſequenti ſtatim die 13. Decembr. Presbyteratus ordine, & 14. Præſulatus honore eſt inſignitus. Refert vitæ ſcriptor vetuſtiſſimus S. Udalrici noſtri Junioris, Comitis Kyburgi; quod cum hic etiam electioni tam felici interfuiſſet, Gebhardum effugere volentem & poſt altare currentem, cucullo apprehenſum & protractum penè ſuffocaſſe, donec hoc ipſo, & maximè S. Wilhelmo perſuadente an jubente manus daret, quod dein ſæpius S. Udalrico Epiſcopus exprobare auditus ſit. Inſigne lumen Epiſcopatus noſtri Adilhelmus Princeps Luzelburgius etiam Ottopuram Abbas poſtulatur, quod Monaſterium inſigniter demeretur.

Electus creatur.

Cogitur.

Adilhelmus Abb.

A. C. 1083. Pergunt bella ſerere & gerere legitimus Augienſis Abbas Eggehardus contra invaſorem Udalricum, varia ſubinde fortuna, magna plerumq; ruina ſubditorum, Augienſem ſingulariter fovente contra Schiſmaticum Bertholdo Zăringiæ Duce, B. Gebhardi Epiſcopi noſtri fratre germano.

Bella inter Abbates.

Tria potiſſimum Germaniæ Univerſæ Cœnobia celebrat religioſiſſimus & magni nominis ſcriptor, hoc ipſo anno, Bertholdus Conſtantienſis, quæ inter duo Diœceſeos noſtræ. Ipſum audiamus: Eodem autem tempore in „regno Teutonicorum tria Monaſteria &c. regularibus diſciplinis egregiè „pollebant. Quippe Cœnobium S. Blaſii, ſancti Salvatoris, quod Schaff„huſin dicitur, & S. Aurelii; ad quæ Monaſteria, mirabilis multitudo Nobi„lium & prudentium virorum, hâc tempeſtate in brevi confugit, & depoſitis „armis Evangelicam perfectionem ſub Regulari diſciplina exequi propo„ſuit: tanto, inquam, numero, ut ipſa Monaſteriorum ædificia neceſſario „ampliarint: eo quod non aliter in eis locum commanendi haberent. In his „itaque Monaſteriis, nec ipſa exteriora per ſæculares, ſed per Religioſos Fra„tres adminiſtrarunt, & quanto nobiliores erant in ſæculo, tanto ſe contem„tibilioribus officiis occupari deſiderant, ut qui quondam erant Comites „& Marchiones in ſæculo: nunc in coquina & piſtrino Fratribus ſervire, & „porcos eorum in campo paſcere, pro ſummis computent deliciis. Ibi nem„pe, & porcarii & bubulci, præter habitum iidem ſunt; qui & Monachi. „Tanto autem charitatis ardore, omnes fervent, ut quilibet eorum, non tam „ſuum quam alienum deſideret profectum, & in exhibenda hoſpitalitate in„ſudant tam mirabiliter, ac ſi ſe perdidiſſe exiſtiment, quidquid pauperibus „Chriſti & hoſpitibus non erogaverint. Ita Bertholdus noſter, noſtræ „Urbis ſingularis gloria, â Cæſare Hiſtoriæ Baronio inſigniter laudatus. Sindelfingenſis Monachorum & Monialium illuſtre Monaſterium condunt

Tria Germaniæ laudata Cœnobia.

Duo Diœceſeos noſtræ.

Bubulci Marchiones.

Charitas omnium.

Bertholdus conſtat.

hoc

Digitized by Google

hoc anno Adelbertus Comes de Calw & Willicka conjux Ducissa Poloniæ. Sed & Reichenbacensis Monasterii fundamenta jacit Berno Comes Sigbergius & Haigerlochius; Colonia Monachorum submittente S. Wilhelmo Hirsaugiensi.

A. C. 1084. Damnatũ jam pridem perduellionis & Hæreseos Otthonem intrusum ab Henrico IV. Antistidem & exauctoratũ, à Legato Guelpho Dux potentissimus, & Rom. Fidei Assertor egregius, cum Bertholdo Zãringiæ Duce & Burcardo Nellenburgio valido aggressi exercitu plurimum debilitant. Verum ab horum discessu, vires recolligens Ottho Udalrico Sangallensi contra Augiensem adest, sed & quæcunque in odium B. Gebhardi legitimi Pontificis potest, molitur. B. Gebhardus rerum Constantiæ insigniter satagit, Urbem nostram mirificis splendoribus illustrans egregiæ sanctitatis. *Bellum Sangallense.* *B. Gebhardus Episc.*

A. C. 1085. Invisus nequissimo Cæsari idem Pontifex noster ad Pseudo-Concilium apud Moguntiam institutum citatur, & cum excommunicatum detestaretur, nefando ausu, una cum S. Gregorio VII. summo Pontifice, publicè execratur. Eodem hoc anno indicto Jussu Gregorii VII. apud Quinctiliburgum Concilio, Henricus Imp. Ottho Pseudo-Pontifex Constantiensis, & Udalricus Sangallensis, cum Clemente Antipapa denuo excommunicantur, & B. Gebhardi electio solemniter confirmatur. Ipso anno Sacræ Beatæ Fidis exuviæ, Agennis translatæ, magna solemnitate ab Udalrico excommunicato Abbate Monasterio inferuntur. Eberhardus Pontificiæ devotionis Abbas Campidonensis, à Conrado factionis Henricianæ extrusus nobiliore dignus Cathedrâ Curiensis Episcopus creatur, quod alii triennio post factum contendunt. *Pseudo-Concilium.* *B. Fides translata.*

A. C. 1086. Hoc anno Udalricum Carinthium nepotem suum Abbatem S. Galli excommunicatum Henricus IV. Imp. Patriarcham Aquileiensem renunciat, qui illico in Italiam profectus est, ut possessionem adiret. per cujus absentiam Bertholdus Dux cum copiis S. Galli invadens occupavit & diripuit, Rosacum dein, aliaque ad Ulricum spectantia populatus est. *Viricus Abb. S. Galli fit Patriarcha.*

Eodem anno Giselbertus S. Blasii Antistes immortalibus accensus, magnum sui desiderium apud Sanctos discipulos reliquit. Succedere jussus Beatus Utho, Udo seu Ottho Prior Monasterii ejusdem Comes Kyburgius vir laudatissimus. Moritur item Ottho Ex-episcopus Basileæ in excommunicatione. *Giselbertus Abb. ob.*

A. C. 1087. Reichenbacense denique Cœnobium à Bernone Comite Haigerlochio absolvitur, & in honorem S. Gregorii à B. Gebhardo Episcopo nostro solemniter dedicatur, Barnone cum omnia sua contulisset, seipsum Numini in cucullo devovente & consecrante. *Reichenbach consecratur.*

Instinctu Udalrici Abbatis Sangallensis, Aquileiensis Nepotis sui Henricus Imp. intellecta Otthonis morte, alium Constantiensibus obtrudit

Pseudo Episcopus Constantiæ obtruditur.

Pseudo-Episcopum Arnoldum è Comite Heilgnbergio S. Galli Monachum, jusso Udalrico ipsum vel invitis Constantiensibus, pulso Gebehardo, obtrudere, quod omnino modo conatus, multa Urbi nostræ damna passim intulit; Henrico sancti montis Comite fratre Arnoldi hoc ipso anno Petrusianum suburbium, repente invadente, & Petrusianum Cœnobium sacrilegè expilante, & nequiter vastante; Beato Gebhardo interim, nihil non agente ut creditas sibi oviculas in fide & obedientia Sedis Apostolicæ contra perditissimum Cæsarem, & Symonitas ac Schismaticos confirmaret.

Petrusium expilatur.

Constantienses S. Galli urbem vastant.

A. C. 1088. Constantienses piè & generosè juxta B. Gebehardi Episcopi sui, & alterius S. Gebhardi Fundatoris Petrusiani, similiter Pontificis olim sui & Patroni injurias ultum pergunt, & collectis undique copiis, oppidum S. Galli adorti, suburbana incendunt, ægrè servato à flammis Monasterio, prædasque tota regione agunt. Nec multo post Bertholdus quoque Dux, Gebhardi frater subsequutus, quidquid reliquum à flammis erat absumpsit, ipsum quoque Cœnobium occupavit, Monachos expulit, nonnullis etiam cæsis & vulneratis. Eodem anno Eckehardus Divitis Augiæ Abbas

Eckehardus Episc. August.

designatus à Rom. Pont. contra Sigefridum ab Henrico IV. obtrusum, Augustæ Vindelicorum Episcopus, Comes & Landtgravius Nellenburgius, in itinere, morbo an veneno tentatus, referri ad Cœnobium voluit, & vitæ reliquum in magna patientia & pœnitudine exigens, non multo post decessit,

Vdalricus C. à Lupfen Abbas.

subrogato in Abbatia Udalrico Lupoduni Comite Augiensi Asceta. Guelphone Duce singulari honoris Pontificii Assertore, Augustam expugnante, & Sigefridum in vincula & carceres abripiente, & Anonymum Campidoni ascetam in ejus locum promovente, qui non multo post ante consecrationem vitâ excessit.

Zwifalten. conditur.

A. C. 1089. Zwifaltense illustre admodum Diœceseos nostræ, Benedictini Ordinis, Monasterium Lutholdus & Chuno Comites Rudolphi Comitis ab Achalm & Adelheidis de Wülfingen filii, in prædio quodam suo Zwifaltaha moliuntur, S. Wilhelmo nostro Hirsaugiensi ad id ipsum exorato, qui suismet manibus aream dimensus idæam ædificii dictavit, & insignem deinceps suorum coloniam illuc misit.

S. Wilhelmus idæam dictat.

Constantia vexatur.

Constantiam & Constantienses quidquid extra Urbem habebant hostiliter infestat Udalricus Sangallensis, in odium B. Gebhardi Episcopi nostri, illis subinde vim insigniter retundentibus, cum Gebhardus interim optimis quibusque intentus operibus, alia inter hoc anno cum fratre suo Bertholdo Duce, Weilheimense ad pedem montis Teccii Monasterium molitur, seu potius destructum & desertum restituit & Apostolorum Principis nomini consecrat, jam olim ab avo suo inchoatum. Idem totus est in Cathedrali Constantiensi Basilica, quam Rumoldus Episcopus majorem partem à fundamen-

B. Gebhardi opera.

Dedicatio Eccl. Cathed.

damentis exſtruxerat, abſolvenda & exornanda, quam hoc etiam anno, invitis excommunicatis æmulis, Deiparæ honori ſolemniter conſecravit.

Ipſo anno B. Urbanus II. Pont. Max. ſummo Urbis noſtræ plauſu & gratulatione B. Gebhardum Epiſcopum noſtrum, tota Alemannia, Bavaria, Saxonia viciniſque provinciis vicem ſuam committit, & ut Ordinationes improbandas improbaret, robotandas roboraret &c. jubet. Epiſtolam totam dedimus in Conſtantiæ noſtræ Benedictæ tomi tertii parte I. quæ ſic incipit: *Quia Te ſpeciale poſt DEUM manuum noſtrarum opus eſſe perpendimus, & quia ſpecialem in Te Religionis gratiam eſſe cognoſcimus &c.* Ut facilè animadvertas, non minore in gratia & auctoritate fuiſſe apud Urbanum, quam apud SS. Victorem III. & Gregorium VII. extiterit; civibus noſtris, etſi gravia interim paterentur, de tanto tamen Pontifice, ſibi haud immerito plurimum gratulantibus.

B. Gebhardus Vicarius Papæ.

Bulla Pontificia.

A. C. 1090. Weingarttenſe Cœnobium liberaliſſimè hoc anno dotat & ornat Guelpho potentiſſimus Norici & Bavariæ Dux, datis litteris, quibus etiam libertimum jus Advocati eligendi & pro libitu amovendi concedit. quod ipſum & Rom. Pontifices & Cæſares deinceps ſæpius confirmavere. Quo ipſo tempore ejusdem Cœnobii Adilhelmo Abbate defuncto ſucceſſit Henricus Comes de Beyenburg.

Weingartium dotatur.

Eodem anno, Beatæ memoriæ Selingerus L. B. de Wolhauſen Abbas Einſidlenſis, ut reliquum vitæ ſoli daret Numini Præſulatu ſe abdicat, ſubrogato in ejus locum Rudolpho Comite de Rapersvveil & Utznach Cœnobii Camerario.

Rudolphus Abb. Einſid.

Ipſo quoque anno fundatum fuit Monaſterium S. Pantaleonis Hofenſe, prope Buckornam ad lacum Potamicum, loco elegantiſſimo & ſaluberrimo, ab Otthone Linzgoviæ Principe Buchornenſi Comite, & conjuge ejuſdem Bertha Guelphonis Ducis ſorore, in quo ſacras Deo Virgines condidit, totum autem Monaſterium Weingarttenſi regendum in omnibus commiſit, Fundator, & plenè incorporavit.

Monaſterium Hofenſe.

Sed & aliud Virginum, in Urbe Schaffhuſana, Monaſterium S. Agnetis, à B. Eberhardi Nellenburgii Comitis Vidua Itha hoc ipſo tempore conditur, certè abſolvitur, ipſamet in eodem ſeſe Numini conſecrante.

S. Agnetis Monaſt.

A. C. 1091. Triſtis ſimulque glorioſus hic annus eſt, feliciſſimo magni revera illius ſyderis ad cœlos tranſitu, S. Wilhelmi Hirſaugiæ & Schaffhuſani nuper Abbatis, Sanctiſſimi Magiſtri glorioſiſſimi Pontificis noſtri B. Gebhardi, quem Urbs noſtra non minus ac patrem coluit, & cum Epiſcopo ſuo luctum induit, etſi nemo neſciret, magnum ſeſe deinceps in cœlo Patronum habiturum. Cognita Patris ſui ſanctiſſimi morte S. Udalricus noſter in ſuo prope S. Trudperti Prioratu, ob aſſiduam lachrymarum gratiam

Moritur S. VVilhelm. Hirſaug.

S. Vlricus cæricus eum celebrat.

Digitized by Google

gratiam jam pridem excœcatus, pro ipso nihilominus ad aram facere voluit, & fecit, non absque Numine, forte & luminum usu aliquo restituto, deinceps ad mortem usque aris abstinens, ipse Sacrificium quotidie Numini factus, integerrima sui ipsius & perfectissima resignatione & oblatione.

Notkerus Abb. Zvvifalt.

Zvvifaltensibus primus Abbas Notkerus mittitur ex Monasterio Hirsaugiensi postulatus, professione Monachus Einsidlensis inter duodecim illos cum S. Friderico missos, qui omnes, singulari Diœceseos & Einsidlensis Monasterii ornamenta ad diversa deinceps postulati Monasteria, Abbates creati sunt.

Obstinatus Vlricus Patriarcha.

A. C. 1092. Perstans in obstinatione sua Udalricus Carinthius Abbas S. Galli Patriarcha Aquileiæ indignissimus, contra Christum Domini B. Gebehardum Episcopum nostrum, subintrudere Arnoldum Monachum suum, Sanctimantis Comitem, suis & cognati Cæsaris fultus copiis, pompa gravissima, maximoque apparatu, consecratum à senuperrime Pseudo-Pontificem Constantiam introducturus Urbique mandato Cæsaris Præsulem impositurus, portis non solum turpiter excluditur, telorum imbre appetitus, ita ut quantocius sese propipere cogeretur. Cumque mox illa in propinquas Urbi ædes & suburbia muris non circumdata ignes coniiceret, consequuti paulo post cives, Sangallensibus retulerunt paria, ad Duram tamen omnem pugna commissa in fugam acti.

Arnoldus Pseudo Episcopus.

Cæterum Henrici IV. ejusque Idoli Clementis Papæ III. auctoritate, territi dein non pauci etiam ex Gebhardi consanguineis cives quoque ad partes traxêre, ita ut optimus Pontifex cedere cogeretur, bestia pulcherrimam Urbem cum pompa intrante, à paucis tamen cum plausu excepta, Gebhardo deinceps, non sine gravi optimorum civium & Religiosorum luctu, exulante, & diversis Ecclesiis, honorique Sedis Apostolicæ plurimum consulente.

B. Gebhardus exulat.

Chuno Fund. Zvvifalt. ob.

Moriuntur hoc anno Chuno Comes ab Achalm Zvvifaltensis Cœnobii cum fratre Fundator, & Conradus Abbas & Princeps Campidonensis, suffecto in hujus locum Udalrico dicto Lindengrün ab Ochsenbach.

S. Petri in Hercinia conditur.

A. C. 1093. Annuente & juvante B. Gebhardo Episcopo nostro Constantiensi, restauratum nuper ab eodem & germano fratre Duce Zäringiæ Bertholdo, Monasterium seu Præpositura in Weilheim ob nimium Palatinorum occursum aliaque incommoda, transfertur in eum Nigræ sylvæ locum, ubi usque hodie Abbatia S. Petri conspicitur, cujus hoc anno Basilica ad supremum deducta ab eodem B. Gebhardo ad honorem S. Petri Apost. Principis Cal. Julii solemniter consecratur, & primus Abbas Adalbero sive Adelbertus constituitur. Interfuêre Dedicationi præter B. Gebhardum Ordinarium nostrum, Dux Bertholdus frater ejus, Wilhelmus Comes Burgundiæ, Godefridus Comes de Calw, septem Abbates, Hirsaugiensis, Schaffhausanus, Petrusianus, Ettenheimensis, S. Blasii, S. Georgii & recens electus, cum

Dedicatur.

suffra-

Suffraganeis, Præpoſitis & Decanis Eccleſiarum Cathedralium Conſtantienſis, Argentinenſis & Baſileenſis, & innumerabili pene ſexus utriuſque multitudine. *Magna frequentia.*

Ipſo anno ſumma Rom. Pontificis auctoritate, Urbis noſtræ, etſi ab adverſario poſſeſſæ, gratulatione, B. Gebhardus legitimus paſtor Urbis & ampliſſimæ Diœceſeos, Guelphonem Ducem potentiſſimum, Mathildis Rom. Eccl. Dotatricis conjugem, *per manus*, (ut Vetera MSS. & Bertholdus Conſtantienſis, habent) *in militam accepit*, præcipuum Pontificiæ Rom. dignitatis aſſertorem, copiarumque pro Rom. Eccl. militantium ſummum Imperatorem conſtituit, germanumque ſuum Bertholdum, Alemanniæ Ducem creavit, ac Principum Conventum Ulmæ indixit; quo & quieti Germaniæ & honori Romanæ Eccleſiæ conſuluit. *B. Gebhardi merita.* *Guelpho Eccl. militiæ Imp.*

Eodem anno Metenſes Pontifice orbati, excluſo quem Henricus IV. obtruſerat, Catholicum eligunt, & B Gebhardum Legatum Pontificis ſummis precibus evocant, qui nihil veritus Cæſaris iras & minas eumdem conſecrat & confirmat. *Metas evocatur.*

Wiblingenſis celebris item Cœnobii in Diœceſi noſtra initia hoc anno celebrantur, Fundatoribus Hartmanno & Otthone Kirchbergenſibus Comitibus. Sacravit idem B. Gebhardus noſter, & honori S. Martini Turonenſis Epiſcopi nuncupavit, cui illuſtrem ſuorum coloniam Udo ſeu Oddo S. Blaſij Abbas deſtinavit, & ſanctioris diſciplinæ fundamenta jecit, quæ uſq; hodie feliciter durare videntur. *Wiblinga conditur.*

Sed & Bertholdo Conſtantienſi teſte, eodem ipſo tempore B. Gebhardus noſter, alterum non longe à Wiblingenſi, Cœnobium, tribus circiter diſtans milliaribus, ad honorem S. Georgii (Ochſenhuſam hodie vocant) conſecravit, quem locum duo fratres, Conradus & Adelbertus Barones de Wolffhartſchwendi Udoni S. Blaſij hac conditione tradiderunt, ut illic Monaſterium conſtrueret, quod deinceps Sanblaſiani, tribus ſæculis poſſedere & proprium habuêre. *Ochſenhuſij vocant.*

A. C. 1094. Ut nunquam ſine ſyderibus Conſtantia noſtra & Ampliſſima ejusdem Diœceſis fuit, ita ex ſexcentis, quæ nunc in ſimul è diverſis coluxere Cœnobiis, ſub radiis Solaribus B. Gebhardi noſtri, ſingulariter B. Udo ſive Otto S. Blaſij Abbas eluxit, qui ex foco ſuo cœleſti, ignes, quaqua verſum, ut lucerent & accederent direxit, & nunc primum, ut vidimus, & Wiblingæ & Ochſenhuſio aliisq; locis plurimum conſuluit; hoc vero ano, etiam procul direxit, & celebertimum illud Auſtriæ Aſceterium Cotvicenſe Divo Benedicto comparavit, quo ipſe juſſu Romani Pontificis, & B. Gebhardi Epiſcopi noſtri, Abbatem Hartmannum, & multa juxta Sanctitatis exemplaria, inſignem Monachorum coloniam miſit. *Splendida ſydera.* *Cotvvicum Cœnobium.*

Eodem anno B. Gebhardus noſter & Epiſcopus, & Sed. Apoſt. Legatus

Digitized by Google

Synodus Constantienſ. Conſtantiam Synodum indixit, in hebdomade Majore ante Paſcha, confluentibus illuc Guelphone Magno Duce, & Bertholdo germano, aliisq; Principibus, Abbatibus, & incredibili penè multitudine Clericorum & Laicorum, ubi plurima ſanctè conſtituit, & Clericorum incontinentiam, nec non Simoniacorum & Schiſmaticorum peccata detexit & correxit.

SS. Sanguis lateris Chriſti in Weingart. Ipſo anno incomparabili theſauro SS. Sanguinis lateris JESU Chriſti, ab Longino Centurione in cruce pendentis haſtâ eliciti, donata & ſublimata eſt Diœceſis noſtra, dono revera incomparabili, ſumma Hiſtoriæ celebritate, Sanctiſſimorum Teſtium irrefragabili authoritate, maxima Maximorum Pontificum Majeſtate, & jugi miraculorum perpetuitate, confirmatiſſimo; inferente & conferente illum Imperiali Monaſterio Weingarttenſi Juditha Guelphonis Bavariæ Ducis conjuge, Angliæ Regina, quæ ipſum Beatæ memoriæ Walchioni e juſdem loci Abbati, cum præſtantiſſimis aliis muneribus, in manus conſignavit, ſumma dein populorum frequentia celebratum.

Juditha Regina Angliæ.

Idæa è cælo miſſa. A. C. 1095. Udoni ſive Oddoni S. Blaſij Abbati, tantopere cœlum demerenti, cœlum quoq; adeſt, in propriæ Baſilicæ molitione; de cujus Idæa eligenda & formanda, deq; magnitudine proportione & forma dum anxiè laboraret, è cœlo dictamen, imo Idæa venit, fundamentis Divinitus, uti Numini placeret, filo aureo, quantum patere & produci deberent, prodigioſe in terra deſignatis.

Blaubyra fundatur. Iterum nobile admodum Diœceſeos noſtræ Monaſterium Bened. Ord. (uti hucuſque omnia) Blaubyranum, tribus ab Ulma horis conſurgit, Anſelmo, Hugone, & Henrico Comitib⁹ Palatinis Tubingenſis, Dominis in Ruck & Gerenhauſen conditoribus. Sed & Alberſpacenſis Cœnobii in Wirttenbergia fundamenta ſunt jacta, Fundatoribus, Alberto de Zollern, Alwico de Sulz, Comitibus, & Barone quodam de Hauſen, B. Gebhardo noſtro poſtquam Baſilica abſoluta eſſet, ſolemniter dedicante.

Alberſpacum fundatur.

Concilium Placent. Ipſo anno indicto Placentiam Concilio, adeſſe juſſus B. Gebhardus noſter ſummo in honore eſt habitus, & Arnolphum Mediolani Archipræſulem conſecrare juſſus eſt.

Obiit B. Udalricus Junior. A. C. 1096. Plauſibilis admodum cœlo annus illatione trium è Diœceſi noſtra illuſtriſſimorum ſyderum, S. Udalrici inprimis cognomento Junioris, Kyburgij Comitis, Prioris Monaſterij SS. Petri & Pauli prope Monaſterium Trudpertinum, Sigefridi Schafhuſani, & Luitfridi Mutenſis Cœnobii Abbatum, magnæ ſanctitudinis fulgoribus late exſplendeſcentium. Certè de Udalrico ſuo, Magnus ille Hugo edoctus, cōmuni in clauſtro ſepultura conditum, mandavit illico per litteras B. Gebhardo noſtro: *Quatenus eum condigna Veneratione, per ſemetipſum transferret in Oratorium. Aſſerens ipſum nequaquam fuiſſe de Monachis ſui temporis, &c.*

Elogium dignum.

Iſnenſe Monaſterium. Eodem anno iterum Nobile Diœceſeos Cœnobium Iſnenſe condi⁹tur, Mangoldo Veringenſi Com. & filiis Walthero & Wolfrado Fundatoribus

ſa-

ſacravit & nuncupavit honori SS. Jacobi & Georgij B. Gebhardus noſter, quod inſigniter deinceps & Viris & opibus floruit. Sed & Wagenhauſana Abbatia, & Gravenhauſana Præpoſitura, Benedictini utrumq; Ordinis, â Sigefrido Omnium Sanctorum Schaffhuſij Abbate cœpta, â morte ejus abſoluta Monaſteria, ſub hoc ipſum tempus conſecrata ſunt. *Wagenhauſa.* *Augia Majoris reſtitutio.*

A. C. 1097. Fundatur ſub hoc tempus, ſive potius nova fundatione reſtituitur vetuſtiſſimum Diœceſeos noſtræ Monaſterium Major. Augienſe Brigantinum, ab Udalrico Brigantiæ Comite, qui hoc ipſo anno tam glorioſo operi ſuo ammoritur VI. Cal. Novembris. Generoſiſſimus, Pontificiæ Romanæ poteſtatis Aſſertor, quem B. Gebhardus noſter plurimum dilexit, eoque coloniam ſuorum Theodoricus Petruſij Abbas miſit, templumque deinceps ſtructum memoratus Gebhardus noſter Apoſtolorum Principis honori conſecravit. *Theodoricus Abb. Petruſij.*

A. C. 1098. Proſequuntur filii optimi Fundatoris Udalrici Brigantij Comitis Ludovicus, & Junior Udalricus, quæ pro novo Monaſterio Majoris Augiæ parens ſtatuerat, quin & ſuâmet liberalitate quiſque de ſuo plurimum ſuperaddit, conſtituto Abbate Meinrado lectiſſimæ vitæ Monacho, ex Petruſio aſſumpto, quem B. Gebhardus Epiſcopus noſter confirmavit, & gratum habuit. *Filij Fundatoris Augiæ Majoris.*

Diſſimillimus Eberhardi ejuſque filij Burcardi Nellenburgiorum, Schaffhuſani Cœnobij Fundatorum, Adelbertus Nellenburgius illorum ſucceſſor, Advocatiæ ſacrilego, & damnatiſſimo ſemper ab Romana Eccleſia abuſu, exemplo maledicti Cæſaris & furore, viros Religioſos hoſtiliter perſequitur, ita ut multi locum deſererent, & impius ille majorem partem redituum ad ſe raperet, & ſecurè DEI iram expectaret. *Adelbertus Nellenburgius Sacrilegus.*

A. C. 1099. Rurſus inſignia cœlo reſignat ſydera Diœceſis noſtra, ſolutis corpore animis duobus DEO inprimis placentibus, Selingeri Abbatis nuper Einſidlenſis, nonum jam annum â reſignatione ſoli Numini vacantis, Baronis olim Wolhuſani, qui & conjugem & tres filios, una ſecum Deo devoverat, & Divo Benedicto crediderat, ac dein Luitholdi Comitis ab Achalm Fundatoris Zwifaltenſis, qui ex opulentiſſimo Dynaſta, pauperrimus Monachus, in omni vita integerrimus, Deoque devotiſſimus; hoc ipſo anno XV. Cal. Septemb. feliciter in Domino requieſcens, cum Religioſis Fratribus ſuis in Cœnobio â ſe condito ſepultus fuit. *Moritur Selinger. Abbas.* *Item Luitholdus Comes.*

A. C. 1100. Magnum nunc ſydus ipſi Orienti oriens impertitur Diœceſis noſtra, ſanctæ recordationis Gerardum nuper Omnium Sanctorum Schaffhuſij Abbatem, virum abſolutiſſimæ perfectionis, qui cum Mauritio S. R. E. Cardinale Portuenſi Epiſcopo in Orientem Legato, cui ſingulariter dilectus erat ſacrum iter ſuſcipiens, ibidem latè radios ſuæ Virtutis & ſancti exempli ſpargere cœpit, ſolatium ſingulare exercitus Chriſtiani; *B. Gerardus Abbas.*

Digitized by Google

Cuſtos ſepulchri Domini. & ipſius Cardinalis; digniſſimus nunc habitus cui capta Hieroſolyma, ſepulchrum Domini, ſub Titulo *Cuſtodis ejusdem* crederetur.

Petruſium. Conſtantiæ item noſtræ magna ab Petruſio gloria, effulgente inde ſumopere ſanctiore diſciplina ſub Theodorico ſummæ integritatis Abbate, ita ut in diverſa loca inde exemplaria perfectionis peterentur, reſuſcitato orientem verſus primævo ſpiritus fervore SS. Columbani, Galli, Magni in vetuſtiſſimo ſuo Brigantij primum condito Cœnobio per Meinradum, Occidentem verſus S. Fintani reſtitutis exemplis, in Monaſterio Rhenaugienſi per Chunonem Præſulem, è Petruſio ſimiliter poſtulatum. Ita ut Theodoricus utrobique mereretur, alter & Majoris Augiæ & Rhenaugiæ â majoribus ſuis conditæ Fundator, SS. Udalrici utriuſque conſanguinei ſui (fuit enim & ipſe Kyburgi Comes) feliciſſimus in vita ſua imitator.

Viri illuſtres.

Theodoricus Abb. Comes Kyburgi.

Florentiora Cœnobia. Sed & alia paſſim egregia in Diœceſi noſtra colluxere ſydera, ad S. Blaſij Uttho vel Oddo, in Weingartten Walicho ſeu Walchio S. Wilhelmi diſcipulus lectiſſimus, in Zwifalten Udalricus, Mangoldus in Yſnen, Erneſtus in Wiblingen, ita ut perditiſſimo licet Henrici IV. tempore, æmula Firmamenti Diœceſis noſtra, tantis luminibus tenebras percelleret, & ſcintillantibus Sancti exempli radiis plurimum emicaret.

B. Mangoldus Martyr. Ex his, hoc ipſo anno, Beatus Mangoldus, ſanctioris vitæ curſum laureola Martyrij coronavit XV. Cal. Martij, â peſſimæ notæ Pſeudomonacho, quem ad ſtudia perfectionis excitaverat parricidialiter interfectus, cum pauculos dies ſupervixiſſet, & ſumma cum devotione Martyrium ſuum Domino conſecraſſet.

B. Gebhardus confirmatur. Eodem anno B. Paſchalis II. magna gloria, nec minore plauſu Urbis noſtræ, B. Gebhardum Epiſcopum noſtrum, pari quo Anteceſſores honore & munere, ſuum per Univerſam Germaniam Legatum & Vicarium renunciat. Digna æternitate, quæ de Gebhardo noſtro Baronius, Biſciola & alij Annalium Eccleſiæ Scriptores, hiſce verbis: *Apoſtolicus planè vir* (Gebhardus) *qui præ cæteris ſtetit pro muro Domini Iſrael, perditiſſimis hiſce temporibus, &c.*

Calamitas Imperij. A. C. 1101. Guelpho Magnus Dux & Honoris Pontificij aſſertor B. Gebhardi noſtri Epiſcopi amiciſſimus, pertæſus tot calamitatum Eccleſiis, & Romanæ inprimis ab Henrico IV. illatarum Paſchale inprimis Summo Pont. ſubſidium Terræ ſanctæ paſſim urgente, cum ſacra Ejusdem & B. Gebhardi noſtri Benedictione. Expeditionem in terram ſanctam magno animo ſuſcipit, poſtquam Weingarttenſe Cœnobium ſuum ſplendidiſſimè dotaſſet. Diſceſſit III. Cal. Aprilis, adactis Sacramento Comitibus, ſi in itinere mori contingeret, Majorum ſe apud Weingarttenſes, in quorum precibus & vitæ meritis tantopere confidebat, Mauſolæo inferretur. Obiit ipſo anno ejus ſoror, Principis Linzgoviæ Otthonis conjux Sanct. Panta-

Guelpho Dux ad bellum Sacrum abit.

leonis

leonis Monaſterij in Hofen Fundatrix Berthæ ibidem in medio Eccleſiæ ſepulchro illata. Sed & ſupremus hic annus Rudolpho Abbati Einſidlenſi fuit, Rapersvillæ Illuſtriſſimo Comiti eximia Virtute Principi, cui Gero Monachus ibidem Comes Froburgius ſubordinatus eſt. *Bertha Fundatrix Hofæ.*

A. C. 1102. Beatæ memoriæ Gerardus noſter, columen nuper Diœceſeos noſtræ Abbas Schaffhuſanus, nunc Orientis ſydus, & Dominici feliciſſimus Cuſtos ſepulchri, quo latius è ſublimiore candelabro eluceſceret, Cæſareenſis ſub hoc tempus Archiepiſcopus in Palæſthina conſtituitur. *Gerardus Archiepiſc. Cæſareenſ. creat.*

Præclara hoc rurſum anno B. Gebhardi noſtri, pro Paſchali Papa functio memoranda, Diœceſi æquè noſtræ, atque ipſi perhonorifica. Interdictus perpetuo Sacris Henricus IV. Imp. nulla jam ſeræ etiam vel ſerie pœnitudinis ſpe, quam ſolita eo uſque perfidia eluſerat. Impulſus ea re fractarij eluſione & perduellione Henricus filius (quem pridem Guelpho pro patre adoraverat) â parte defectionem meditatur, nec multo magno Procerum plauſu aggreditur. Sed quoniam pro eo, quo patrem contra Gregorium, Urbanum & Paſchalem ſecundos ſequutus, Anathematibus tenebatur, Pontificiæ tunc Sedis per Germaniam Legatus, Gebhardus Epiſcopus noſter, auctoritate & jure ſummis, ipſum Liberum juſſit & promulgavit; tota Germania, præter Schiſmaticos, & perfido Cæſare plurimum ſibi gratulante. *Gebhardi Auctoritas.* *Henricum V. Anathemate ſolvit.*

A. C. 1103. Florentiſſimum famâ & Religione Weingarttenſe ſub Beatæ memoriæ Walchione, Monaſterium, Theſauro SS. Sanguinis lateris Dominici Beatiſſimum, magnis ejusdem miraculis illuſtratum, â nobiliſſimis quibuſvis & illuſtriſſimis, tanquam aſylum ſalutis certiſſimum exambitur, Sacroſancti pignoris ſervitio ibidem ſe devoventibus, quos inter, loco ut propiores, ſic jure ſibi viſi potiores Comites de Thann Dapiferi Waltpurgij, præoccupantes multorum vota, Chuno inprimis, & Gebhardus (uterque poſtea loci Abbas creatus) octo dein alij ejuſdem familiæ uno eodemque tempore, in cucullo Numini ſervierunt, quorum exemplis Henricus & Guelpho Principes accenſi, toti dein Europæ Sanctiſſimorum Principum exemplaria illuxere, maximo B. Gebhardi noſtri ſolatio, quod inde plurimum rei Catholicæ emolumentum ominaretur ſibique polliceretur. *Weingartten.* *Magnus eo concurſus.* *Res mira.*

Memorabile omnino, vix ullum tota Diœceſi noſtra, in tanta temporum & Schiſmatis tempeſtate, Monaſterium extitiſſe, quod non vel ſanctum, vel ſanctitatis opinione clarum hoc ipſo tempore Antiſtitem habuerit, ſolo, tam fertili cæteroquin Sanctorum Cœnobio Divi Galli, ſub ſceleratiſſimo Patriarcha Simoniacorum potius quam Aquileiæ, fruſtra ingemiſcente, cujus cauſa & ruinam diſciplinæ, & ſexcenta pericula & incommoda, nemine contra hiſcere audente, totannis patiebatur. *Copia Sanctorum virorum* *S. Galli oppreſſio.*

Digitized by Google

Gerardus Archiep. ob. A.C. 1104. Evocatus hoc tempore ad laborum præmia Gerardus noſter, Schaffhuſij olim Abbas, nunc Cæſareæ Archiepiſcopus, quod in votis Principi Apoſtolorum Petro fuit; *Domine bonum eſt nos hic eſſe, &c.* Idipſum meruit, ut in Monte Thabor locum ſtabilem requiei poſt tot labores mereretur. eo namque ad ſui Ordinis Religioſos, qui Monaſterium illic molie-
Felix ſepultura. bantur, ſive ſolatij ſpiritalis cauſa, ſive liberalitatis ſuæ theſſeram allaturus profectus, vocante ad altiora & lætiora Numine, ad gloriam & viſionem beatificam expetitus, carnis vinculis ſolutus eſt.

Ipſo anno Eberhardus ex Campidonenſi Abbate Curienſis Epiſcopus, pro ſua in Apoſtolicam Sedem fidelitate miſerè exagitatus & Sede pridem e-
Eberhardi Epiſc. exilium. jectus ab Argentinenſibus expetitus Præpoſitus Cathedralis electus eſt, non multo poſt communem mortalium viam ingreſſus.

Iterum ingens claritudine ſydus in Diœceſi ſe noſtra ſuo ſplendore prodit in Sylvæ Nigræ ſive Herciniæ deſertis, S. Rupertus S. Georgij ibidem Mo-
S. Rupertus Abb. Ottopur. nachus, qui ob inſignia vitæ merita ad Monaſterium Ottopuranum poſtulatus, & extractus, velut Sol oriens, magnificum illud Aſceterium, aliquamdiu minus benè curatum primævo ſplendore reddidit.

A. C. 1105. Reſtituitur nunc denique integrè Urbi noſtræ & Sedi ſuæ B.
B. Gebhardus reſtituitur. Gebhardus noſter, incredibili bonorum omnium plauſu & gratulatione, Arnoldo Sanctimontenſi peſſimo invaſore urbe ejecto, cum abſolutione Excommunicationis à B. Gebhardo accepta Henricus V. Simoniacos & Schi-
Satisfacit Petruſio. ſmaticos Pontifices omnes Eccleſijs exturbaret. Satisfecit, prout potuit, Theodorico ſuo, Petruſiano Abbati Gebhardus, qui Epiſcopalia curaturo ſemper hoſpita tecta, ſummo cum periculo & damno eidem præbuit, atque ob eam charitatem à Sanctimontis Comite Arnoldi fratre & Schiſmaticis
Par Amicorũ egregium. ingentia incommoda, expilationem & incendia pertulit. Fuit inſigne par Amicorum uterq; egregia Vitæ ſanctitate, fuitq; Gebhardo à conſcientia & confeſſionibus Theodoricus, alacer in ſummis tribulationibus, Dives ſpiritu ſumma in paupertate, omne ſolatium quærens in filiis ſactis, quos Chriſto ad omnem inſtituens perfectionem, lucrari ſatagebat.

B. Walicho Abb. A.C. 1106. Beatæ memoriæ Walicho ſive Walchio Weingarttenſis, S. Wilhelmi Hirſaugienſis digniſſimus filius & diſcipulus, rerum ſui Cœnobii inſigniter ſatagit, & hoc anno à Paſchali II. Pont. Max. inſigne Privilegium accipit. Ipſo anno Concilio Mogunciaci celebrato, auctore præcipuè Gebehardo noſtro, Sacri Rom. Imperij Principes Henric. V. Cæſarem ſalutant, & à ſceleſtiſſimo ejus patre in arcem Ingelheimenſem ſeſe recipiente, inſignia
B. Gebhardi Auctoritas Imperii exigunt & extorquent, quibus quamprimum filium, curantibus & præſidentibus Card. Albano & B. Gebhardo noſtro induerunt & coronarũt.

S. Rupertus claret. A.C. 1107. Inclareſcit illuſtribus ſanctitatis exemplis in Otropurano Monaſterio S. Rupertus noſter, & cœpta ab Adilhelmo, tertio Anteceſſore ſuo,

negle-

neglecta â ſucceſſoribus, inſigni felicitate perficit, Magnus & meritiſſimus Cœnobii ſui reſtitutor. Quo præſidente Ottenpura & religione ac ſacris non minus, quam temporalibus floruit.

Conſulit Bono publico Imperii B. Gebhardus Epiſcopus noſter, & Schiſmaticis paſſim lucrandis intentus, tota Germania, ut magno labore, ſic non minimo fructu vagatur. *S. Gebhardi labores.*

A.C. 1108. Cœlitum hoc anno numerum auget, exambitum pridem Empyreo ſydus Diœceſeos noſtræ. Utho ſive Oddo Kyburgi Comes, Herciniæ Archiſterii Divo Blaſio ſacri Abbas; qui cum ad Vota Numinis templum ſeipſum Deo formaſſet & conſecraſſet, Baſilicamq; juxta ſui Cœnobii, circumſcripta Divinitus filo aureo & cœleſti amplitudine, & Idæa Ichnographica conſtruxiſſet, Eccleſiæ triumphanti inſertus eſt. *Moritur Utho Abb.*

Eodem anno Rupertus Angelica puritate Antiſtes è S. Blaſij ad Murenſis Cœnobii regimen, raptus potius quam poſtulatus, æmulorum tamen odia & calumnias evitare non potuit, & apud B. Gebhardum Epiſc. criminis inſimulatus, etſi innocentiſſimus cedere tamen odiis maluit, quam poſt triumphum imperare. Proin ad ſuum S. Blaſij rediit, dignus Giſelberto Magiſtro diſcipulus, dignus tot cœlitum Fratrum ſuorum contubernio, â quibus tamdiu vixiſſe ſejunctum, viro optimo intolerabile fuit. Ipſo anno ad inſtantiam Fratris ſui Gebhardi Bertholdus Dux, translato S. Petri in locum commodiorem Monaſterio, in gratiam B. Bertholdi fratris ſui plurimum contulit. *Rupert. alius ſponte reſign. S. Petri translatum.*

A.C. 1109. Supremo honore afficit fideliſſimum S. Petri propugnatorem cognatum ſuum & Amiciſſimum Guelphonem Ducem B. Gebhardus noſter, cujus cum oſſa, ex ejusdem ultima voluntate, ex Cypro Inſula (ubi ante quinquennium in ſuo ex Palæſthina reditu ſanctè deceſſerat) in Germaniam relata eſſent, hæc ſolemni admodum pompa, magna in Principum & Procerum S. R. I. præſentia, in Monaſterio Weingartenſi, Sacello S. Oſwaldi, avito Majorum Principum Mauſolæo intulit, nec ſine lachrymis parentavit. Dedicat hoc ipſo anno templum Monaſterij Zwifaltenſis idem Gebhardus noſter, & Virginum Virginis honori & nomini nuncupat, V. Id. Sept. in magna hominum & quatuordecim Abbatum frequentia: *Quibus omnibus*, ait Synchronos rerum ſcriptor, *Pater noſter* (Abbas) *Udalricus quaſi cum Domino dicturus: Miſereor ſuper turbam &c. haud multum diſſimili miraculo, tantam copiam adminiſtravit ex inſperato, ut collectis quæ ſuperfuerant, ne perirent, fragmentis, omnem hujus loci Congregationem, per aliquot dies abunduanter paſceret, ex reliquiis iisdem, &c.* *Guelphonis ſepultura. Dedicatio Zwifalt. Paupertatis abundantia.*

A.C. 1110. Gebhardus tandem noſter, poſt infinitos exantlatos labores, lumen columenq; revera Militantis Eccleſiæ longe ſplendidiſſimum. Ducalis non minus Generis, quam Monaſtici Ordinis ornamentum ſingulare, ſupremum cœlo tranſmittit Spiritum. Vir præter Generis, ut diximus, *Moritur B. Gebhardus.*

Sere-

Digitized by Google

Ejus humilit. Sereniſſimi dignitatem, & collatos â tot Sanctis Rom. Pontificibus ſummos honores, ſibi mortalium omnium viſus abjectiſſimus, tantâ, in omni fortunæ inconſtantis conſtantia, ut verè Urbis ſibi Creditæ Nomen ſolidè expleret, tanta modeſtia, quantam Divorum maximi, Maximus ille Gregorius, poſt Magnum eo nomine Septimus, B. Victor III. B. Urbanus II. B. Paſchalis II. imo Magnus ille Wilhelmus Hirſaugienſis, Udalricus Cluniacenſis, Gerardus Schaffhuſanus aliique nunquam ſatis ſuſpexere, ſed neque efferre pro meritis potuere. Celebravit tamen ipſum Numen, Adelberto Monacho teſte, perpetuis ad tumulum miraculis. Deceſſit II. Id. Novembr. & ut Synchronos Zwifaltenſis refert: *â corporalibus exemptus membris, conjunctus eſt in æternis ſedibus, ſummus Pontifex, Summis Pontificibus &c.*

Æſtimatio apud Magnos.

Ruſtenus Abb. Ad S. Blaſij Ruſtenus poſt Uthonem Abbas, ſanctitatis famam Cœnobio ſtrenuè conſervavit, quâ illecti illuſtriſſimorum plurimi, paupertatem Chriſti, opibus ſponte præferentes, illius ſeſe ſervitio ibidem devoverunt, quos inter Eberhardus ſive Albertus Comes Wirttenbergius, Conradi & Gertrudis ultimæ de Beutelſpach Comitiſſæ filius, haud paucos ſui admiratione eadem pellexit.

Theodoricus Abb. ob. A. C. 1111. Iterum magnum Conſtantiæ eripitur lumen & cœlo tranſcribitur Theodoricus Kyburgi Comes Abbas Petruſianus, multorum egregia vitæ Sanctitate Monachorum parens eximius, qui gravi â morte Unici Amici & Patroni ſui Gebhardi Epiſcopi mœrore confectus, non multo poſt in morbum incidit, quo & feliciſſime decedens ad præmia æternitatis evolavit.

Moritur Dux Bertholdus. Deceſſit eodem anno Bertholdus Zaringiæ & Alemanniæ Dux, B. Gebhardi noſtri frater germanus, alter Fundator S. Petri Herciniæ, ibidem magna comploratione Religioſorum inhumatus. Quem non multo poſt Sereniſſima conjux ſequuta eſt Agnes Rudolphi Rheinfeldenſis Imp. Aug. filia Dotatrix liberaliſſima juxta maritum condita, ille prid. Iduum Aprilis hæc 19. Kal. Decembr. defuncti.

Vdalricus Epiſc. Conſtant. Cæterum morte cognita Gebhardi Epiſcopi noſtri Henricus V. Imp. verſanti tunc ſecum in aula Udalrico Comiti Kyburgio Epiſcopatum contulit, qui ſuperſtitem etiamnum cognatum Theodoricum Abbatem Petruſij Romam ad Paſchalem Papam mittens pro confirmatione, nihil impetravit, etiam poſtquam altera vice conſenſum Cleri populiq; ſignificaſſet, quod Papa indigniſſime ferret â Cæſare baculum & annulum acceptaſſe.

Conventus Principum Conſtantiæ. A. C. 1112. Conventus ſolemnis Principum & Procerum Sacri Romani Imperii Conſtantiam indictus & celebratus, magna omnino frequentia, cautumq; ne quis Principum ſupra 12. Equos, Comes ſupra quinque, Baro ſupra 3. & Nobilis ſupra duos in comitatu haberet.

Inſi-

Digitized by Google

Insigniter locupletant hoc anno Monasterium S. Petri Herciniæ fratres duo Zäringiæ Duces, Bertholdus Junior & Conradus, Bertholdi Senioris Alemanniæ Ducis filij, quorum litteras, parte II. Tomi tertij Constantiæ nostræ Benedictæ protulimus. *Dotatur S. Petri.*

A.C.1113. Consecratur magna solemnitate à Wittone Curiensi Episcopo ad id exorato (quod Udalricus noster Constantiensis necdum confirmationem Roma impetrasset) Basilica nova S. Petri Herciniæ, in præsentia electi Constantiensis, Bertholdi & Conradi Zäringiæ Ducum, nec non Abbatum B. Brunonis Hirsaugiensis Wirttenbergiæ Comitis, B. Theogeri Abbatis S. Georgii, Eginonis Augustani, Rusteni Sanblasiani, Otthonis Rhenaugiæ, Adalberti Schaffhusij, & Ethonis Sanpetrini nec non incredibilis frequentiæ procerum & populi concurrentis, ipso quoque Cœnobio consecrato II. Cal. Oct. Principibus prædictis, cunctis inspicientibus & audientibus, de novo, plurima Cœnobio conferentibus & solemni donatione S. Petro cedentibus. *Consecratio Monasterii S. Petri.* *Frequentia Abbatum.*

A.C. 1114. Graves sub hoc tempus lites interceßere Einsidlensibus cum Suitensibus, his jura pervadere Monasterij tam sancti jam tunc violenter conantibus. Nec compositionem ullam admittere, nedum æquitati prebere aures & animos, utilitatis propriæ causa, volebant, donec litem Cæsar denique ipse sua sententia & comminatione decideret, & pro Monasterio definiret, ac pronunciaret, adstantibus & collaudantibus, Burcardo Monasterienßi Episcopo, Rudolpho Basileensi, Ulrico Constantiensi, Vidone Curiensi, Eppone Novariensi, Episcopis; Ducibusq; Friderico Sueviæ, Bertoldo Zäringiæ, Godefrido Palat. Comite Rheni, Herimanno Marchione Badensi, &c. Actum Basileæ anno Domin. Incarnat 1114. VI. Id. Martij &c. Ipso anno Murense ab majoribus suis conditum Cœnobium Wernherus Habspurgius sub S. R. Imperij protectionem suscipi, ab Henrico Imp. impetrat, datis desuper litteris IV. Non. Martij Basileæ iisdem testibus. *Lites Einsidl.* *Instrument. publicum.* *Muri fit Imp.*

A.C. 1115. Henrico V. haud laudabilius quam pater, imperante, turbatis misere Imperij rebus, sancta nihilominus Monachorum studia in Diœcesi inprimis nostra plurimum floruerant, emicantibus & rutilantibus longè lateque ex Monasteriis diversis, splendoribus sanctitatis, ita ut procul etiam posita Regna & provinciæ inde sibi virtutum mitti exemplaria sollicitè, & enixè orarent. Certe hoc ipso anno Uladislaus Sobieslai filius Regno Poloniæ præerat, qui comperta Monachorum Zwifaltensium sanctitatis celeberrima fama missa cum muneribus legatione prius non acquievit, quam inde subsidium impetraret. Missa insignis Monachorum duodecim colonia; opem deinceps similiter, Bohemiæ regno, sed & Moravia aliisque provinciis, æterna cum Diœceseos nostræ gloria, sollicitantibus & merentibus. *Tanta vero vis*, inquit Synchronos scriptor, *erat Amicorum id petentium*, *Zwifaltensium gloria.* *Duodecim Monachorum Colonia.*

Digitized by Google

Æstimatio Religiosorum

id desiderantium id postremo violentia charitatis extorquentium, ut omnis excusationis occasio, omnis negantium vinceretur contradictio, &c.

Germania turbatissima.

A. C. 1116. Magna rursum tribulatio Germaniæ ab Henrico V. Imp. parentis ingenium & conatus assequente, qui cum ante aliquot annos Paschalem Papam captivum abripiens, investituras sibi cedere coegisset, potestate extorta nequiter abusus, hoc anno ad Concilium Lateranense citatus, cum non compareret, Paschalis in pleno consessu, de violentia Cæsaris questus,

Paschalis Papæ sermo.

ita verba fecit: *Postquam Dominus in manus me tradidit Regis, videbam quotidie fieri, rapinas, incendia, cædes, adulteria. eaq; ab Ecclesia DEI avertere cupiebam: Itaque quæ Henrico tribui, pro liberando DEI populo tribui, fateorq; perperam me fecisse, rogoq; Vos omnes, ut precibus à DEO mihi veniam impetretis. Iniquum Privilegium, quod in castris Henrici scripsi, tanquam irritum perpetuo anathemate damno, hortorq; vos omnes, ut idem faciatis.* Cum uni-

Brunonis Signini resp.

versi acclamassent: *Uti rogas*, tum Bruno Signinus, summa auctoritate, ut & sanctitate, Pontifex: *Gratias*, inquit, *Deo agamus, quod Pontificem Paschalem huic Consilio præsidentem, proprio tandem ore scriptum illud audivimus condemnantem, quod pravitatem & Hæresim continebat.* Henrici dein excommunicatio per Germaniam Præmestino Episcopo commendata, Archiepiscopo Viennensi per Galliam. Qua ex re, quanta commotio per patriam nostram consequuta sit facile omineris, in Urbe inprimis nostra, quæ noverit Episcopum suum Udalricum â Cæsare pessime notæ sibi impositum, & Paschali Papæ invisum, multotiesque rejectum.

Arnolphus fit Archiep.

Arnolphus Sanctimontius Comes, Sangallensis Asceta, Pseudo-Episcopus cathedram Constantiensem multos annos per vim occupans, nunc pari jure obtinet Archiepiscopatum Ravennatem, Udalrico Patriarcha etiamnum S. Galli Abbatiam tenente, & Cæsarianas partes adversum Rom. Pon-

Henricus C. â Mont.

tifices fovente. Inter alios Illustrissimos in Monasterio Zwifaltensi Numini se emancupantes celebratur modo Henricus Comes de Monte, Socer Uladislai Poloniæ & Boleslai Bohemiæ Regum, Heros præstantissimus.

Moritur Ulricus Patriar.

A. C. 1117. Tanto post abripitur denique juratissimus B. Gebhardi Episcopi nostri hostis Udalricus, è Carinthiæ Ducib. Abbas Sangallensis Aquileiæ Patriarcha, & sanctissimum Cœnobium pessimo nomine liberat, cum ejus hominis causa, pessimè apud Sedem Apostolicam, & apud Catholicos omnes, audiret. Nec defuere radices mali, convulsâ tantâ hâc arbore, cum factionibus etiam inter Religiosos grassantibus, Mangoldus â Bottstetten â parte meliore electus, competitorem statim habuit Henricum à Savellio,

Factiones in S. Galli.

quem Udalrici extincti adoratores, ab hoc designatum successorem pro viri promotum voluere; Quæ causa Cæsari fuit, hujus ab Cognato promoti partes promovere, magno Disciplinæ Monachicæ dispendio. donec ope Bertholdi Zäringiæ Ducis Mangoldus Abbatiæ restitueretur, Henrico trans

lacum

Digitized by Google

lacum Potamicum ſeſe recipiente, & Ziliæ ſive Zeilæ in Almangavia ſedem figente. Annus Terræmotibus inauditis metuendus.

A C. 1118. Paſchali Rom. Pontifice mortuo Gelaſius II. ex Caſinate Monacho ad ſummam evectus Cathedram, humiles deniq; preces Udalrici Epiſcopi noſtri exaudiit, & Confirmationis Bullam impertitus eſt, quod ſuperſtite ejus Anteceſſore nunquam conſequi potuiſſet. *Vdalricus Epiſc. confirm.*

Iterum lumen inſigne, alienæ Diœceſi noſtra impertitur, ad enixiſſimas Hartmanni Dilingi & Kyburgi Comitis preces, Neresheimenſis Cœnobii Conditoris, & Epiſcopi noſtri ejusdem fratris ſollicitationem; Henricum Zwifaltenſem Priorem, qui Abbas illic ordinatus eſt, *Vir*, ut vetuſtiſſimus ſcriptor habet, *omni Sanctitate plenus*. Idem Cœnobium, hoc etiam tempore inſignem Monachorum viginti Coloniam in Bohemiam precibus Regis tranſmiſit. minus proſpero primum ob vitia gentis ſucceſſu, deinde tamen admodum fructuoſo. *Henric. Abb. Neresheimēſ.*

A. C. 1019. Florentiſſimum multis ſæculis Angelomontanum apud Sylvanios Diœceſeos noſtræ Cœnobium conditur â Conrado Barone de Seldenbüren Heroe generoſiſſimo & religioſiſſimo, qui hoc ipſo Calliſtum II. in Galliis agentem ipſius convenit, ſummisque precibus oravit, ut illud in ſuam & Romanæ Sedis protectionem reciperet. Annuit non ſolum Pontifex, ſed Monaſterio nomen quoque indidit, & Montem Angelorum nuncupavit, quod in eo monte Angelorum concentus auditus eſſet, cum aliàs Mons Gallinarum, vulgo Hennenberg vocaretur. Sacrata hoc ipſo annò templum & Cœnobium, & Matris Admirabilis Virginum Virginis honori conſecrata. Fuit ejusdem Abbas primus S. Adilhelmus ſive Adelhelmus, Præſul omni virtutum genere cultiſſimus, miraculorum gloria clariſſimus. *Engelberg conditur.* *Vnde nomen acceperit.* *S. Adilhelmus I. Abb.*

A. C. 1020. Nunc primum abſoluta ædificia Angelomontana Annales prædicti Cœnobii habent, Hartmannus Einſidlenſis priori anno tribuit, nos utrique pro utroque rationes habeamus. Certè Callixti II. Bulla expedita hoc anno fuit IV. Non. Aprilis Sabbatho Sancto Paſchæ. Nec multo poſt, quam expedierat omnia pro Voto Fundator ipſe Conradus, non ſatis habens ſua omnia DEO & Angelorum Reginæ obtuliſſe, ſeſe ipſum devovit, & Cucullum amplexus ſolemnique profeſſione Divi Benedicti Legibus ſe aſtringens; magnos in omni Virtute progreſſus fecit. *Confirmatur.* *Fundator fit Monachus.*

Eodem anno maxima Conſtantiæ noſtræ, totiuſq; Diœceſeos gratulatione, Glorioſiſſ. Pontifex noſter Divus Conradus Agilolfingicæ Regiæ familiæ decus immortale ſolemniter Sanctorum Cœlitum Albo â Calixto Papa adſcriptus eſt, urgente rem Udalrico Kyburgio Epiſcopo noſtro, cujus ad *S. Conradus canonizatur.*

Digitized by Google

Rom. Pont. Epiſtola extat apud Piſtorium, cum compendio Vitæ Sancti ejusdem ab eodem Epiſcopo ſcriptæ.

Creüzlingen. Fundat eodem anno idem Epiſcopus Udalricus Monaſterium Creüzlingenſe extra urbem & muros Conſtantienſes, dotatque ex propriis bonis & patrimonio ſuo, cujus hoc anno initium fecit, ſeu primum lapidem poſuit.

Sanctitas B. Adilhelmi. A.C. 1121. Cœleſti ſanctitatis ſplendore, & Virtutum omnis generis fragrantiâ, Diœceſim noſtram implet, & recreat mirifice, Sanctus Adilhelmus primus Angelomontanus Abbas. Fuit rigidus ſui corporis tortor, quod vigiliis inedia, aliisque voluntariis afflictionibus & ſuppliciis, duriter & immiſericorditer habuit, cum tamen in alios pius admodum & miſericors exiſteret. *Merita.* Meruit plurimùm de tota provincia, nec tam verbo ſolummodo, quam exemplo circumjacentem populum Chriſto lucratus, inſignes fructuum manipulos in horrea Dominica intulit.

Pax Germaniæ ſancita. A.C. 1122. Pace & concordia, Wormatienſi Principum ſolemni conventu, Pontificem inter Cæſaremque compoſita, Henricus Imp. publico ſe inſtrumento Calliſto II. obligavit. Subſcripſerunt Teutonicorum Principum maximi Henricus inprimis, Bavariæ Hetruriæ, Spoleti, Saxon. Infer. Dux Diœceſeos noſtræ ſydus incomparabile, Fridericus Dux Sueviæ, Bruno Saxoniæ, cæterique, magna toto Imperio lætitia & tranquillitate conſequente.

Weingarttenſium fama. Weingarttenſium Aſcetarum magna ab Vitæ ſanctitate fama, & meritum ingens, ſæcularibus etiam ipſis, adeo ſancte inſtitutis, ut, profeſſione Monachi viderentur, ipſi proceres & Palatini, Angelica vitæ innocentia effulgerent. Certe de Magno, nunc primum dicto, Principe Henrico Guelphonis V. fratre germano, opera & contubernio Weingarttenſium Aſcetarum ſive aſſue facto, non minus quam de fratre ejus iisdem præceptoribus inſtituto, haud immerito cum Brunnero dicas: plenum pietatis, exaggeratumque Religionis ſtudio pectus habuiſſe. *Henrici Ducis pietas.* eumdem autem genium omnem ejus Regiam pervaſiſſe, iisdemque moribus imbuiſſe, qui in Principe amabantur. Certè Viridarium elegantiæ aula ejus fuit, in quo Nobilitatis Germanicæ flos genuino ſucco aleretur ad maturitatem Heroicæ Virtutis, ut hic quidem temperaturus convitio fuerit, qui ſcribere auſus eſt: *Exeat Aula. Qui vult eſſe pius.* *Gero Abbas meritur.* Supremus hic idem annus Geroni Einſidlenſi Antiſtiti fuit Comiti Froburgio, ingenti relicto ſui deſiderio, qui III. Non. Februarii extinctus eſt, ſubrogato Wernhero Lenzburgi Comite.

Item B. Egino Abb. S. Vdalr. Sed & aliud Diœceſeos noſtræ ſydus cœlis eodem anno oritur Beatus Egino, Divi Udalrici Auguſtæ meritiſſimus Antiſtes, è noſtro Divi Blaſij Hercyniæ Archiſterio poſtulatus & conceſſus, æterna ſuæ patriæ gloria, B. Gebhardo olim noſtro, Zæringio, Conſtantiæ Epiſcopo familiariſſimus, ejusdemque laborum Comes individuus, ab eodem ſemel iterumque ad

Rom.

Rom. Pont. Legatus. Piſis denique mortuus eſt, cum Roma in Germaniam reverteretur, ubi â Caliſto II. bene habitus, & non ſemel ab eo deoſculatus, ejuſdem manu propria ſacram ſynaxim percepit. deceſſit Idibus Iuliis in Divi Michaelis Camaldulenſium Eccleſia ſepultus, illuſtribus miraculis â Numine commendatus. *Piſis decedit.*

A. C. 1123. Henricus cognomento Magnus Bavariæ, Hetturiæ, Spoleti, &c. Dux Monaſterium Weingarttenſe, Palatio ſimilius, quam Religioſis ædibus, à fundamentis exſtruit, & dignius tot ſanctorum & illuſtrium virorum habitatione reddit, in quod ſe ipſum abdicato à ſe tanti honoris faſtigio abderet. *Weingartten de novo conſtruitur.*

In Augia Divite Ulricus ex Lupoduni Comitibus, olim Montis ferrati Marchionibus, loci Antiſtes vita defungitur, ſucceſſore per Vota ſalutato Rudolpho Barone de Bottenſtein, Hermanni Sangallenſis Abbatis fratre germano. *Rudolphus Abb. Aug.*

A. C. 1124. Poſt Beatæ memoriæ Walchionem in Weingartten Abbatem Dynaſtam de Winterbach, ſucceſſit Chuno Comes de Thann Dapifer à Waldtpurg Wernheri & Guttæ Comitiſſæ de Beyenburg filius. quo ipſo anno Cœnobium cum Baſilica adjuncta Udalricus Epiſcopus noſter Conſtantienſis, in præſentia maxumorum Principum, ingentique Cleri ac populi frequentia ſolemniter honori SS. Martini & Oswaldi conſecravit. *Chuno Abb. Weingart.*

Quo ipſo tempore Henricus Magnus Dux, ſiquis unquam Ducum Germaniæ potentiſſimus, à mari Siculo Meridionali, ad mare usque Danicum Septentrionale dominatus, tanto ſe imperio, ſtupente Germania & Italia ultro abdicans, Deoque devovens, una cum conjuge Sereniſſima Wulphilde Saxonum Duciſſa magnorum hærede Principatuum, pari uterq; conſenſu, ſæculum ejurat & ſolemni profeſſione Regulæ S. P. Benedicti ſeſe addicit, memorabili ſanè ad omnem æternitatem exemplo contemptarum infinitarum opum ſummæq; in terris felicitatis, cum octo prius liberos genuiſſet, & ſingulari ſemper ſanctioris vitæ exemplo eosdem feliciſſimè inſtituiſſet. *Henricus Magnus ſit mon. Item conjux ejus.*

Conditum per hoc idem tempus ab Comitibus de Thierſtein & Sogern, Juraſſo in monte, Monaſterium Diœceſeos noſtræ Beinvveilerenſe & Divi Vincentii honori ſacrum ac Tutelæ commendatum eoque inducti ex Einſidlenſi Cœnobio Aſcetæ lectiſſimi. *Monaſterium Beinvveiler.*

A. C. 1125. Rurſus nobile Diœceſeos noſtræ ſydus, cœlo terris invidente, & repente ſibi vendicante. Ruſtenus mira adverſorum, quæ ipſius tempore ingruebant undique, patientia ad ſummam excoctus perfectionem, haud dubia ſanctitatis opinione, grandis ſenecta in cœlum ſublimis fertur, cum S. Blaſii Archiſterio ſeptendecim ferè annis ultiſſimè præfuiſſet. Succeſſit haud impari dexteritate Bertholdus, vir religione præſtans, nec modica eruditione. Sed & Lindengravio ab Ochſenbach Arochinandritæ Campodunenſi *Ruſtenus Abb. moritur. Bertholdus Abb.*

podunenſi Hatto Niderhofius ſucceſſit, familia cognominata ab Erisheim.

Burcard. Prior Ochſenh.

Ochſenhuſij in Suevia celebratur & exſplendeſcit magnis Virtutum radiis Burcardus S. Blaſij Herciniæ Monachus, primus loci illius, Membri Sanblaſiani Prior lectiſſimus, Magni illius Uthonis ſupra laudati Abbatis lectiſſimus diſcipulus; vir lachrymarum dono præpollens, mitis omnibus, ſibi perquam rigidus, joci omnis & riſus oſor totus in Sacra, Studia, ſive Fratrum commoda intentus, quem inſigni, etſi humilis admodum ſtyli, Epitaphio, Sacri ejus filii honorarunt.

B Wernherus Abb.

A. C. 1126. Duo inſimul ferè ſydera inter ſua aſſerit, Diœceſi eripit Cœlum hoc anno, B. Wernherum ab Ellerbach, primum Wiblingenſis Cœnobij Antiſtitem, è S. Blaſij poſtulatum, magnâ ſanctitate virum, eaque vitæ integritate & innocentia, quam facile in Uthonis diſcipulo imagineris.

S. Conradus Baro mon.

Dein Conradum Liberum Baronem de Seldenbeuren Angelomontani Fundatorem Cœnobii, & ejusdem Religioſum Profeſſum, adeo ſancti Magiſtri & Abbatis Adilhelmi inſtructione feliciter inſtitutum, ut cæteros Chriſti Confeſſores antegreſſus, ad Martyrij purpuram maturuerit. Miſſus namque ab eodem, pro recuperandis tuendisque Monaſterij rebus, quas nonnulli ſacrilegè invaſerant, â ſcelerato quodam ad inſidioſa vocatus colloquia, inter ſimulatos amplexus occiditur hoc ipſo anno VI. Non. Maij, cujus ſacrum corpus in Eccleſia Monaſterij ad altare S. Adilhelmi quieſcit, ſignis ac virtutibus glorioſum.

Fit Martyr.

Vrſpringen conditur.

A. C. 1127. Urſpringenſe nobile admodum Virginum Benedictinarum Diœceſeos noſtræ Monaſterium præclare reſtituitur, & ex ruinis reſuſcitatur. Sed & Ochſenhuſij res dotatione cujusdam viri Illuſtris plurimum crevere. In Monaſterio Weingarttenſi duo rurſus ſydera, idem annus, imo & menſis December abſtulit, Henricum cognomentum Magnum, Bavariæ & Hetruriæ Ducem, & Wulphildem, olim ejusdem conjugem, nunc Numini eodem loco, ſed ſeparato Monaſterio deſponſam, contemptorum maximorum Principatuum, omnisq; gloriæ terrenæ generoſiſſimos protritores. Ille Idibus Decembris carne ſolutus, hæc quarto Cal. Januarij ſubſequuta eſt, uterq; Mauſolæo Guelphico ejusdem Monaſterij in Sacello S. Oſwaldi Regis & Mart. illatus, quorum memoria in benedictione eſt, & integritas atq; animi candor, multo illuſtrius è pullo habitu, quam purpura & auro emicuit, etſi in his quoque ſe mirè commendaverit.

Henric. Dux Mon. moritur.

Item Wulphildis Princeps mon.

Obijt Vlricus Epiſc. noſter.

Vitâ exceſſit eodem anno Udalricus Epiſcopus noſter Conſtantienſis, non multo poſt, quam Cœnobium Creuzlingenſe extra Urbem abſolviſſet, & Canonicis Regularibus, ex Beüren ſive Oeningen, florentiſſimis tunc primævò Inſtituti, fervore iisdem Cœnobiis, tradidiſſet, Antiſtes magnæ & claræ virtutis, & quamdiu inter mortales egit, haud minimæ auctoritatis.

In

Digitized by Google

In ejus locum adſcitus eſt ex Monaſterio S. Blaſij, Udalricus II. Baro Caſtell exactioris vitæ Monachus, dignior ejus Cœnobij, quod nunc temporis digniſſimum tota Europa habebatur. *Vdalricus Epiſc. II.*

A.C. 1128. Iterum lumen ſuper candelabrum ſublimius Curienſis Epiſcopatus ab Conſtantienſi expetiit, defuncto Bertholdo Udalricum Kyburgi Comitem è Monaſterio Einſidlenſi poſtulatum. Virum relictis pridem opibus & Præpoſitura Beronenſi Monaſticen in dicto Cœnobio profeſſum, per virtutis commendationem tantam tunc Cathedram indeptum. quem miror quomodo Faſti Curienſes prætereant. *Vlricus III. Curienſ. Epiſ.*

Conſtantia noſtra magno cum exercitu obſidetur ab Henrico cogn. Superbo, potentiſſimo Bavariæ, Saxoniæ & Hetruriæ Duce, quod Udalrico Epiſcopo noſtro lis aliqua cum ejus fratre Guelphone intercederet, civibus fortiſſime primos impulſus retundentibus, cæſo inter alios Henrico Juniore Heilgenbergio, qui impetuoſius ſeſe in propugnatores ingeſſerat, patrui Arnulphi Pſeudo-Epiſcopi urbe olim à civibus ejecti, repulſam ulturus: Cæterum ſequenti die Epiſcopus noſter, obſidionem pecuniis redimens hoſti ſatisfecit & facile iram omnem ab Urbe avertit, quæ obſidionem tolerare prompta erat, & omnes ſemper hoſtium aſſultus frangere conſueverat. *Conſtantia obſeſſa.* *Liberata.*

Animadvertens poſtea optimus Pontifex magnum Urbi periculum ab hoſtibus imminere, ab arce vicina Caſtell dicta â B. Gebhardo Zäringiæ Duce Anteceſſore ſuo ſtructu, eamdem funditus deſtruens, magnum inde in ſe cùm Canonicorum aliquot, tùm cæterorum Nobilium concitavit, quod gravium deinceps litium fomes fuit. *Caſtell arx deſtructa.*

A.C. 1129. Sancti Montis prope Vitodurum Cœnobium ex hæreditate paterna condit Udalricus Curienſis Epiſc. Einſidlenſis Monachus & Comes Kyburgius, ab inſigni utiq; Reliquiarum Sacro theſauro ſic appellatum. *Montis Sancti Monaſt.*

Inter decem an duodecim ejusdem familiæ in uno eodemque Cœnobio Weingarttenſi Comites de Thann duo præ aliis juvenes Monachi Udalricus & Henricus, *eximia claruiſſe vitâ* celebrantur, quæ eximiæ quoque ſanctitatis nota fuit, dum omnes tantis emicuiſſe virtutibus traduntur, iſti præ cæteris cœlo invaluiſſe; ut nunquam non Diœceſis noſtra magnis ſyderibus eluxerit. *Vdalricus & Henricus CC. mon.*

A.C. 1130. Monaſterij Farenſis Virginum Benedictinarum Diœceſeos noſtræ initia celebrantur Lutholdo Regenſpergenſi Barone & Juditha conjuge Fundatoribus, qui Einſidlenſi Abbati & Conventui totam Fundationem tradidit, eorumq; perpetuam eſſe juſſit. Ratum id litteris quoque Lotharius Cæſar habuit. Quo ipſo anno ſimili modo fundationem Monaſterij S. Pantaleonis in Hofen Guelpho Dux potentiſſimus, vulgo Achilles Germanicus dictus, Monaſterio Weingarttenſi incorporavit, & Membrum Vinearum eſſe juſſit. *Farenſe Virg. Monaſt.* *Hofenſe Monaſterium.*

A.C.

Digitized by Google

Egon C. de Grüningen.

A. C. 1131. Egon Comes de Grüningen & Wullenſtetten, pervetus Cœnobium Benedictini Ordinis Virginum, vulgo Waſſerſchapffen nova quaſi fundatione reſtituit, Virginibus deinceps rigoroſius Ciſtercienſium inſtitutum, reformationem nimirum Benedictini Ordinis ſponte ſuſcipientibus. Egon idem cum ad cognatos forte Sanctimontios inviſeret Comites, illic partem Dominicæ Crucis temerè furatus, cœcitate illico luit, pœnitensque facti, mox ut reſtituit prodigiosè curatus, inde partem dono à Comitibus accipiens, fundato à ſe Cœnobio intulit ac deinceps Vallem S. Crucis dici voluit.

Fundat Vallem S. Crucis.

B. Adilhelmus Abb. obiit.

Eodem anno iterum cœlo una ſecum magnum infert ſydus Beatus Adilhelmus Montis Angelorum primus Abbas ſanctioris vitæ exemplo & miraculorum gloria illuſtriſſimus, inſigne Diœceſeos noſtræ ornamentum. Deceſſit 25. Febr. octogenario major ſepultusq; eſt in ſua Angelomontana Eccleſia, veneratione populi & frequentia miraculorum, in hunc usque diem percelebris.

Item Chuno Abb. Weing.

Obiit eodem anno Chuno Abbas Weingarttenſis natus Comes de Thann Dapifer Waldtpurgius, vir præſtantiſſimus inſigne & ipſe Diœceſeos noſtræ lumen & columen, quo regente Vinea noſtra verè floruit & maximos Principes ita virtutis exemplo attinuit, ut plures faſtidito ſæculo cucullum exambirent. Succeſſit Sanctæ memoriæ Godefridus à Venningen Toparcha, ſanctioris vitæ facibus & ipſe illuſtriſſimus; verumtamen Principumne alicui Fundatorum nepoti, non tam ſuæ perſonæ ratione, quam fratrum ſeu cognatorum inviſus, an quod nonnulli Religioſorum alium promotum voluiſſent, ab his varias perpeſſus injurias, non multo poſt ipſe ultro & ſponte reſignavit.

Godefridus Abbas Weingart.

Vdalricus Epiſcopus noſter multa patitur.

A. C. 1132. Udalrico Baroni de Caſtell Epiſcopo noſtro, parum nunc æquus Senatus Patrum Cathedralis, eum quem renitentem paulo ante Cœnobio extraxerant, peſſimè inſectabantur. ſed & aliunde bella, cum inteſtina flagrarent, Rudolphus Brigantiæ Comes movit, qui tanto poſt armis repetiit, quæ S. Gebhardus Petruſienſi Cœnobio dono dedit; cui tamen Udalricus amicè obvius, rei iniquitatem docuit, & prudenter hoſtilitatem avertit. Ipſe interim quæcunque ad DEI honorem cedere noverat ſedulus promovit, aliaq; inter præclara, Divi Stephani Baſilicam ita auxit dotavitque, ut merito alter ejus Fundator habeatur

Bello petitur.

S. Stephani Baſilica.

Rudolphus Abb. Aug.

In Augia Divite mortuo Rudolpho Barone de Bottenſtein loci Abbate, mox libera electione & ſacri Conſenſu Aſcetarum Collegii ſalutatur ſucceſſor Rudolphus Comes à Motnfort, ſive Pfulendorff, inſigni familiæ Nobilitate.

A. C. 1133. Angelomontanum in Helvetia Cœnobium, prout Sanctus Adilhelmus Abbas ibidem diſerte prædixerat, miſerè exagitatur, filiis Belial, aliquot

aliquot Abbatiam invadentibus, seque vel ipsos intrudentibus, vel primatum mercantibus, è quibus primus Luitfridus, de Cœnobio pessimè meruit, & quæ Monachorum erant ad suos usus convertit.

Udalricus Episcopus noster, dum pro religioso zelo, quo totus fervebat, Cathedralis Monasterii Canonicos, ad sancta concitaret studia, & disciplinæ Regularis observantiam ferventius urgeret, graviora in se concitavit odia; quibus tamen ille omnibus generositate animi superior, suo exemplo omnium saluti consulere satagens, nihil unquam mali rependit, dignus meliori tempore, non eo, quo omnia mundi in præceps ferebantur. Udalricum hunc quoque nostrum, à Rom. Pontifice primum impetrasse ut S. Gebhartus Episcopus publicis honoribus coleretur, Mangoldus refert, Merckius sequenti contendit. Relatus pro in tabulas Sanctorum Canonizatorum hoc an sequenti anno ad diem 27. Augusti; magno plausu Urbem nostram effecit tota deinceps Diœcesi sancti Pontificis sui memoriam solemniter celebrante

Vdalrici Episc. Zelus.

ejus patientia.

S. Gebhardus Canonnizatur

A.C. 1135. Venerabilis Godefridus Dynasta de Venningen Weingartensis legitimus Abbas, dum sua causa Cœnobium turbari ferret ægerrimè, nec alio modo consuli posse quam sua abdicatione crederet, honorem quem invitus admiserat, lubens libensque rejecit, non abnuente Udalrico Episcopo nostro, similiter jactato, qui etiam postea Godefridi exemplum amplexus & imitatus videtur. Pro Godefrido proin congeminatis votis electus Gebhardus Comes de Thann Dapifer Waldtpurgius, Chunonis prædecessoris ex fratre nepos, qui Cœnobio insigniter consuluit, sub quo magna possessionum multitudo à fidelibus collata fuit.

Godefrid Abb. resignat.

Gebhardus Abb.

A.C. 1136. Absolvitur nunc denique Vitoduranum in monte Cœnobium ab Udalrico nostro Curiensi Episcopo ejusque Germano fratre Hermanno Vitoduri & Kyburgi Comite, & ab insigni sacrarum Reliquiarum illato thesauro, Sancti-Montis nomine appellatur, mago deinceps populi occursu frequentatum.

Sanctus Mons Monast.

Lotharius Imperator ad instantiam Richenæ Augustæ Monasterio Einsidlensi plurimum consulit, nec solum privilegia antiqua confirmavit, sed etiam Advocatis Monasterii, quibus tenerentur Leges instituit, magno Religiosorum rei cum publicæ tum privatæ bono. Ipso anno fundatur Monasterium Salem à Gunthero Libero Barone Adelsreutte.

Leges Advocatorum.

A.C. 1137. Exercitus variis tentationibus & tribulationibus sanctæ memoriæ Abbas nuper Weingarttensis, nunc privatam humillimi Asceta agens vitam Godefridus de Venningen mortuo B. Wolfoldo Admontensi in Styria Abbate, communibus amplissimi Cœnobii fratrum calculis Successor designatur, & ardentissimis votis ex Weingartten postulatur, magnum & ipse

Godefridus Weingartten. sis.

ſyderis ſplendorem ſecum Styrię & Montibus illis conferens, vir per omnia incomparabilis, & Diœceſeos noſtræ, etſi procul inſertum, & exteris conceſſum ſingulare ornamentum. Ipſo anno Henricus cognomento Superbus Principum S. R. I. longè potentiſſimus, ſed & frater ejuſdem Guelpho Senior ampliſſima donatione, parentes & majores imitati, Cœnobium Weingartenſe inſigniter dotant & locupletant.

Abbas in Admont. populatur.

Ditatur Weingart.

A. C. 1138. Udalricus Epiſcopus noſter Godefridi Abbatis Weingartenſis exemplo inſigniter recreatus & animatus, cedens invidiæ & odiis Canonicorum, Pontificatum ultro & ſponte abdicat, ſeque ad ſuum nidulum & cellam Monaſticam longè exoptatiſſimam ad S. Blaſii Herciniæ Monaſterium recipit, uti Angelus cœlo deſcendens à ſuis Fratribus receptus quos inter multo deinceps felicior, agnitâ quietis ſanctæ dulcedine, vitam ſanctè exegit, cumque ſolo Deo & Angelis, converſationem ſuam inſtituens ſancto denique fine ad labores præmiorum evolavit, inter ſanctiores Epiſcopos, & Diœceſeos ſingularia lumina æternum celebrandus. Moritur communi totius Germaniæ & Religioſorum inprimis omnium luctu Lotharius Imp. magnis deinceps motibus ab ejus morte Germaniam concutientibus, à quibus tamen Conſtantia noſtra, conſtanter ſibi cavens, ſemper eximia extitit, & inter tot turbas, turbata non fuit.

Udalricus Epiſc. reſignat.

Sancta ejus converſatio.

Lotharius Imp. obiit.

A. C. 1139. Zwifaltenſis Cœnobii magni ſanctitate ſplendores, & fama ingens, magnuſq; eodem Proceruṁ è ſæculo emergentium occurſus, ita ut ex unica illa gratiſſima cœlis eremo ingens inſimul luminum multitudo cum vicinorum non ſolum, ſed procul poſitorum ſumma admiratione colluceſceret, & Sacerdotes ſeptuaginta, Fratres converſi centum ſexaginta, Sacræ Deo Virgines ſeclusæ quidem ſed iiſdem Cœnobii viventes reditibus, duæ & ſexaginta, omnino 242. Religioſi uno in Cœnobio numerarentur. Henricus Bavariæ & Saxoniæ Dux atque Elector, ſe de induſtria inconſulto & neglecto Conradum Imp. electum queſtus una cum cognatis & Amicis arma corripit, fervet armis & ignibus vicina Urbi noſtræ Alemannia, civibus noſtris ſe ſe intra mœnia impunè & ſecure continentibus, cum aliæ Urbes, partis utriuſque & ludibrium & præda fierent.

Plurima ſimul ſydera.

Tumultus Imperii.

A. C. 1140. Iterum Cœlitum plauſum auget & numerum Udalricus Baro de Caſtell nuper Epiſcopus noſter Conſtantienſis, ſummis honoribus digniſſimus; vir geſto præſulatu magnus, ſponte abdicato maximus. Ejus Succeſſor Hermannus Baro de Arboma etſi communi omnium Voto electus & bene meritus, æmulo tamen non caruit, quem obtrudere conatus eſt Conradus Imperator, Brunigundo nimirum Cæſaris Sacellano, Conſtantienſibus tamen conſtanter obnixis, quos offendere Conradus auſus non eſt, quod alias nimis armis ipſe premeretur.

Vlricus Epiſc. moritur.

Cæſaris conatus

Poſt Udalricum Comitem à Zollern Augiæ Divitis Abbatem ſufficitur

Ottho

Ottho Baro de Bottenſtein, contra quem Fridoleus Baro ab Heydeck à Cæſare obtruditur.

A. C. 1141. Magna totius Epiſcopatus gratulatione, Helvetiæ & Einſidlenſis Monaſterii gloria B. Adalricus, ex Alemanniæ Ducibus Einſidlenſis Monachus, à Theodovvino S. R. E. Cardinale, Portuenſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legato, Beatorum Confeſſorum albo adſcribitur, & Eccleſia in Auffnavv, inſula lacus Tigurini, in honorem SS. Trinitatis, Deiparæ, S. Michaelis BB. Petri & Pauli ac ejuſdem B. Adalrici ab eodem Cardinale ſolemniter dedicatur. Moritur eodem anno in ſanctiſſimo Herciniæ Divi Blaſii Archiſterio Bertholdus Abbas, eximiæ integritatis, & Guntherus ſufficitur Toparcha ab Andlauvv vetuſtiſſima gente, incomparabili prudentia & Religione. Ipſo anno Conradus Imp. Fridoleum Baronem ab Heidegg contra Otthonem de Bottenſtein Augienſibus Abbatem præficit, Otthone exauctorato, qui paulo poſt Epilepſia correptus mœrore & morbo abſumptus eſt.

B. Adalricus beatificatur.

Eccleſia in Auffnavv.

Bertholdus Abb. obiit.

Rudolphus Abbas

A. C. 1142. Wernhero Lenzburgi Comite Abbate Einſidlenſi extincto eligitur Rudolphus Lupoduni Comes, Stulingiæ Landtgravius, cui minus favens Cœnobii Advocatus, officio & ſervitio in Tyrannidem verſo, ſacrilego auſu in Religioſos ipſos involans ipſam Baſilicam & ſacratum ab Jeſu ipſo Sacellum ejuſque aram & ſacras veſtes cæde & ſanguine fœdare veritus non eſt: Rudolphus ſcilicet Raperſvillæ Comes, infamia æterna vetuſtiſſimi nominis, Numinis & hominis hoſtis, quem quo minus perderet Cæſar jam capitis damnatum, Abbas ſervavit Deo deinceps univerſam perdente familiam. Abbatem autem juſſu Cæſaris Theovvinus S. R. E. Cardinalis, in Monaſterio Augiæ Majoris ſolemniter conſecravit. Ipſo anno celeberrima Conſtantiæ S. R. I. Principum & ſtatuum conventum & comitia celebrat Conradus Imp. ingenti illorum non ex Germania ſolum ſed & Italia occurſu. Eos inter Diethelmus fuit S. R. E. Cardinalis & Legatus Apoſtolicus, plurimi Germaniæ Epiſcopi, Conradus Dux Burgundiæ, Fridericus Dux Sueviæ, Matthæus Dux Lothoringiæ, &c.

Advocatus ſcelerſtiſſimus

Pleio Numinis

Eodem anno Scotorum Canſtantienſi Benedictini Ordinis Cœnobio ad incitas penè redacto Hermannus Conſtantiæ Epiſcopus, non ſolum paternè conſuluit, ſed alterum Fundatorem egit, ruinas reſtituit, reditus auxit, Abbatem de novo præfecit, ſuamque in Religioſos pietatem, quoad vixit indefinibili pii affectus demonſtratione comprobavit.

Scotorum Monaſt. Conſtantiæ.

A. C. 1143. Incredibili plauſu (compenſante Numine injurias à damnatiſſimi nominis bellua, Advocato nuper illatas) Einſidlenſes, triginta jam annos ablato furtum S. Juſti pueri Martyris ſacrum caput recipiunt, dignũ loci ipſius reverentia pignus, eoq; majori in pretio cultuq; habendum, quo juvenis ille Divus, novennis nempe puer Heroibus quibuſq; tanto virtute præſtitit, quanto per ætatem victoriæ minus cenſeri aptus potuit, & tamen fuit.

S. Juſti caput reſtituitur

A. C. 1144. Angelomantanum miserè etiamnum exagitatur ab invasoribus Monasterium, utiâ morte sua futurum prædixerat primus Cœnobii Abbas S. Adilhelmus. Post Luitfridum, Welffo Commendatarium non pastorem agit, ingemiscentibus sub tam gravi sæcularium hominum jugo Religiosis, & tristem servitutem servientibus. Nec melius ferè actum cum Einsidlensibus, Suitiis, nullo juris, nullo Cæsarum, nullo Rom. Pontificum respectu, in causa propria sibi judicium arrogantibus de quibus Hartmannus in Annalibus consulendus.

Engelberg. sub commendatariis.

Einsidlensium afflictiones.

A. C. 1145. Rursus novum è Diœcesi nostra sydus cœlo infertur B. Rupertus ex Asceta S. Georgii Herciniæ Abbas Ottoburanus, mira sanctitate vir, & miraculorum gloriâ à Numine commendatus, cum annos unum & quadraginta Monasterio suo quam sanctissimè & utilissimè præfuisset, & centum ac viginti vixisset. Neque minor viro à morte gloria, quam successu Præsulatus felicitas fuit, cum crebrescentibus minis, ad sacras exuvias & tumulum deinceps frequens undecunque convolaret populus, ægrique adepti sanitatem, longe latèque nomen Ruperti deprædicarent.

S. Rupertus Abb. obiit.

Miracula.

A. C. 1146. Afflictissimum Divæ Virginis Einsidlense Cœnobium Suitiis non solum jura, sed & jussa Cæsarum elidentibus, quin & minas eorumdem ridentibus, mox Confœderatorum opem implorantibus & sub prætextu Libertatis tuendæ (dum sacra invadere prohibetur) facilè impetrantibus.

Immerigeri Suitii.

Interim Hermannus Episcopus noster Constantiensis, absoluto, quod de novo molitus erat, Scotorum Cœnobio, numerum etiam Religiosorum adauget, & ex Scotia ipsa in Germaniam & Constantiam advocat, nec minus disciplinæ Religiosorum consulit, quam congruæ sustentationi, Pontifex æternâ dignus memoriâ, & inter Ordinis præcipuos numerandus Benefactores.

Hermanni Episc. laus.

A. C. 1147. Præter alia Diœceseos radiantia passim lumina; ex Eremo Herciniæ elucescit hoc anno magno splendore Bertholdus Primus nomine Comes de Pogen, Hohenpogen & Windberg Corolingorum Regum & Cæsarum familiâ oriundus, qui in Monasterio S. Blasii cæteris Sanctis in studio perfectionis sociatus, multos sui nominis fama ad contemptum mundi & ad sublimiora amplexanda, ea nimirum quæ Dei sunt quærenda concitavit.

Bertholdus C. à Pogen Monachus.

A. C. 1148. Hoc anno Hermannus Episcopus noster Constantiensis, restauratam à Gotzmanno S. Petri Herciniæ Abbate Basilicam ejusdem Cœnobii solemniter dedicat.

Dedicatio S. Petri.

Ipso anno fulgidissima denuo stella Diœceseos nostræ cœlestibus inserenda tollitur S. Ernestus Zwifaldensis Abbas. Is Eugenio III. Pont. Max. & sanctitatis & eruditionis nomine plurimum commendatus, visusque propagan-

S. Ernestus Abb. Zwifalt.

pagandæ in Palesthina Fidei aptissimus, ad suscipiendam profectionem & id muneris ab eodem invitatus lubens acquievit. Verum in itinere interceptum Saraceni, Meccam Persiæ Urbem in vinculis abripiunt, inde Regi donum cum aliis captivis offerunt, qui cum Ernestum à fide Christi avertere non posset, palo cuidam altè humo defosso, umbilico tenus clavo affigi jussit, flagrisque horrendo cruciatu concisum circumagi, donec viscera omnia extraherentipso circumpalum rotatu, ipse gloriosissimus Martyr excoriato prius etiam capite, victorem animum cœlo transmitteret. Sacrum Martyris corpus Marsilius Presbyter Armenus quinque & triginta aureis redemptum, Antiochiam convexit inque SS. Simonis & Judæ Basilicam intulit, crebrissimis exinde prodigiis à Numine honoratum. *crudele Martyrium.* *Sepultura.*

A. C. 1149. Moritur sub hoc tempus Gebhardus Comes de Thann Dapifer Waldpurgius Abbas Weingartensis, vir præstantissimus designato calculis Fratrũ Burcardo Comite de Matsch, ex Hirsaugia postulato, sanctissimorum virorum collega absolutissimo, cujus tempore vinea illa Domini insigniter floruit, & fructus honoris & sanctitatis plurimos edidit. *Gebhardus Abb. ob.* *Burcardus succedit.*

A. C. 1150. Nil mandatis, nil minis proficiens apud Suitios Imperator, Liberis licere omnia quæ liberent fixum habentibus, neque Legibus teneri, neque cuiquam subjici contendentibus, aquâ nunc Cæsar & igne interdicit, ipsos Regia proscribens authoritate frustra omnia, cum Tigurini alique æque Libertatis tam licentiosæ Vindices, abunde subministrarent, quibus Juris & Cæsarum contemptus foveretur. *Libertas populi.*

A. C. 1151. Irrisui sui Suitiis, & jura & Cæsares non solum esse, sed & Sanctissimorum in Sede Petri Vicariorum, comminata sacrilegis fulmina, eorprocul & frustra minantium, propius vibranda & comminanda Hermannus Episcopus noster censuit, & officii prius paternè commonitos, cum nihil omnino efficeret, & illos & socios impietatis communione piorum exclusit. Effecit nihil, quam ut æque ac Cæsar & odio & irrisui esset; nec defuere semper, qui avaritia aut malitia, aut etiam impulsi coactique sacra sacrilegè administrarent. Nec legimus, an aliquando, seu quando, sint censuris talibus absoluti. *Cæsar derisui habitus.* *Censura.*

A. C. 1152. Constantiam nostram sæpe dignatus sua præsentia mellifluus Doctor, Divus Bernardus Abbas, & Hermanno Episcopo nostro, & Burcardo Weingartensi Abbati familiaris admodum extitit. De Urbe autem & tota Diœcesi immortaliter meruit, magnis prodigiis infirmos sanando, cunctos juvando, & disciplinam passim Monasticam promovendo. *S. Bernardus in Urbe nostra.*

Fridericus Imp. post Conradum, pejoribus facinoribus, Imperii statim initio præludens, in Udalrici Lenzburgii excommunicati gratiam, nihil non solum adversum aliena & sacra usurpantes Suitios suscipiens, ausus etiam imperare Hermanno Episcopo nostro est: ne quid se non rogato contra eos- *Fridericus Imp.*

dem moliretur, qui tamen quod pronunciavit ſemel, nunquam revocaſſe legitur.

S. Bernardus moritur. A. C. 1143. Supremus hic annus S. Bernardo fuit, mille utulis de Urbe noſtra totaque Diœceſi Conſtantienſi meritiſſimo, cujus etiamnum ſuperſtitis ætate plura ſanctiſſimæ Ejuſdem Reformationis Cœnobia in Epiſcopatu noſtro, utriuſque Sexus ſunt condita, nullo non viris ſanctis primitus inſtructiſſimo, ita ut cœlum terraſque plurimum ſuis laboribus, exemplis, & precibus demererentur.

Bene meritus.

V. Godefridus Abbas. A. C. 1154. Styriam non ſolam iluſtrat ſub hoc tempus illuſtriſſimum Diœceſeos noſtræ ſydus, Godefridus Aſceta Weingartenſis & electus ejuſdem Cœnobii, nunc vero poſtulatus Admontenſium Abbas, ſed remotiſſimas etiam provincias, ſuo ſplendore perſtringit, ita ut quaquaverſum ab eodem diſcipuli & coloniæ efflagitarentur: *Sub quo tantopere* (inquit vetuſtus ſcriptor Vitæ B. Gebhardi Archiepiſcopi Salisburgenſis) *tantopere diſciplina Monachica viguit ut quaſi novum denuo initium accipiens locus, cum variis modis, tum principaliter fama gloria, obſervantiæ rigore, oblationibus ſeu donationibus fidelium, nobiliſſima Monachorum atque Sororum multitudine, neſcio an ſuper omnia Germaniæ Monaſteria non invalnerit?* Certe tredecim id temporis diverſis Cœnobiis, & Archiſterio quidem Fuldenſi Ambroſium Abbatem & Principem dedit, Wernherum Bruelenſi, Bertholdum S. Emmerammi Ratiſponenſi, Engelſcalcum Mellicenſi, Joannem Gottvicenſi, Irimbertum S. Michaelis Bambergenſi, Hartmannum Oſſiacenſi, Otthonem Mülſtadienſi, quinque alios totidem Cœnobiis Abbates deſtinavit, &c. Ut nunquam ſatis mireris, quantum uni huic lumini noſtro, tot provinciæ, nedum Cœnobia debuerint.

Inſigne elogium.

Poſtulati Abbates.

Privilegium Frid. I. A. C. 1155. Hermannus Epiſcopus noſter à Friderico I. Imp. cogn. Barbaroſſa impetrat confirmationem donationis & Bullæ à Dagoberto quondam Galliarum Rege conceſſæ, qua & limites Epiſcopatus definiti ſunt, & multa omnino Regali magnificentiâ conceſſa. Copias Piſtorius in lucem dedit. Eodem anno idem Imperator Fridericus fundationem Monaſterii Salemitani ſolemniter confirmat & de ſuo liberaliter dotat & honorat.

B. Eberhardus Abbas. A. C. 1156. Illuſtrat haud minimum Diœceſim noſtram B. Eberhardus S. Trudtperti Herciniæ Cœnobii Antiſtes, in paucis memorandus. Fuit, alia inter Virtutum exercitia, contemplationis & orationis ſtudio addictiſſimus, cui aliquando cum ex more egreſſus è Monaſterio in proximam ſolitudinem, attentius incumberet, contuiti è vicinio Metalli foſſores vectoreſque, nulla tanti viri habitâ reverentiâ, ipſum per ludibrium, ſcommatibus atque dicteriis inceſſentes, eo demum veſaniæ progreſſi ſunt, ut paſticis denudatis, patientia injuriarum Eberhardi plus laceſſiti auſique turpiſſima temeritate illuderent. Abhorruit turpitudinem, pro ea qua erat puritate vir

Illuditur.

San-

Digitized by Google

ſanctus, fugienſque precibus muniit, Numine illico devotum ſibi famulum graviter ulciſcente, quippe dehiſcens ſub pedibus terra illuſores omnes illico abſorbuit, animoſque infero tranſmiſit. Eberhardo miſeris haud minimum condolente, nil valentibus tamen precibus, pro precum contemptoribus, ipſo deinceps ſecurius colente ſolitudinem & dulci vacante contemplationi. *Ulcor Deus*

A. C. 1157. Alio modo conſuluit hoc ipſo tempore Deus afflictis ſervis ſuis, quorum preces æquè potenter in miſerationibus ſuis exaudiit. Invaſerat bona Zvvifaltenſium Henricus quidam Baro an Comes de Kuppingen, & jurato Monachos odio perſequens, rapinis & quibus poterat quotidie injuriis, innocentes appetebat. Apud quem cum nihil æquitas cauſæ Religioſorum proficeret, nec ſupplicum preces, hæ denique majore contentione ad Deum verſæ effecere, ut ſubitum mutatus velut alter Sanctus, non ſolum redderet omnia quæ abſtulerat, ſed ſua omnia, imo ſeipſum offerret & in cucullo Numini conſecraret, haud minimum pro ejus converſione laborante etiam Arnoldo fratre germano an cognato, qui in Monaſterio Weingarttenſi fideliter Numini ſerviebat, non multo poſt ob inſignia vitæ merita ejuſdem loci Abbas effectus. Ipſo anno fundatur Monaſterium Tenenbach Ord. Ciſtercienſis Diœceſeos noſtræ. *Zvvifaltenſes afflicti. Recreati.*

A. C. 1158. Solemniſſima apud Roncalias (loco Placentiam inter & Cremonam) celebrat Comitia Fridericus I. Imp. Aug. quibus & Epiſcopus noſter, & plures ex Abbatibus Diœceſeos & alii interfuêre, hoc ordine 1. Campidonenſis Bertholdus à Tannenfels 2. Weingarttenſis ſive Altorffenſis Burcardus Comes de Matſch 3. Elvacenſis Albertus de Ramſperg 4. VVeiſſenburgenſis Gundelacus 5. Fabarienſis Rudolphus ab Hardegg, & plurimi alii. *Comitia ſolemnia. Abbates novi.*

In Monaſterio Angelomontano poſt tres Commendatarios Abbates, uti ſanctus Adilhelmus prædixerat, aſſeritur nunc demum in libertatem Angelomontanum Diœceſeos noſtræ Cœnobium & lectioris notæ Antiſtitem meretur Beatum Frovvinum, *virum*, ut vetuſtiſſima monimenta habent, *doctiſſimum, ſapientiſſimum, religioſiſſimum*; omnique virtutum ornatu prædictum qui collapſam diſciplinam dexterrime reſtituit. *B. Frovvinus Abbas.*

A. C. 1159. Luctuoſiſſimum patitur hoc anno incendium Conſtantia noſtra, exuſto, incertum qua occaſione & caſu, pulcherrimo Petri-Domus, ſive Petruſiano Cœnobio, quod multas quidem antea calamitates paſſum, iſta tamen ſupra omnes alias afflictiſſimum fuit. Eratque ea ignium vis, ut breviſſimo temporis ſpatio, eliquatis campanis, vix turri ſuperſtite, Baſilica tota elegantiſſima, cum ſeptem ſacellis, contigua templo Sacriſtia, Refectorio, Dormitorio, Abbatis quoque ipſius Palatio, repente involverit, voraveritq; nec cellariis quidem parcente flammâ, & commeatum omnem depaſcente *Petruſium exuritur.*

A. C.

ed by Google

B. Eberhardus moritur.

A. C. 1160. Iterum ſyderibus cœli Empyrei ſydus jungit Epiſcopatus noſter Conſtantienſis Beatum Eberhardum S. Trudtperti in Hercinia Abbatem, quo florente totum Cœnobium Paradyſi æmulum varios omnino Divinæ gratiæ fructus tulit, & Sylvam, alias Nigram dictam, valde illuſtrem & celebrem redidit.

Arnoldus Abb. VVein.

A. C. 1161. Poſt Burcardum Comitem de Matſch Friderico I. Imp. chariſſimum, Weingartenſium Abbas creatur Arnoldus Baro ſeu Comes de Kuppingen, Henrici, de quo ſupra, jurati Zvvifaltenſium olim hoſtis poſtea Amici & Membri, frater germanus, an cognatus ſeu nepos ex fratre, cujus è vetuſto ſcriptore inſignis diſciplinæ zelus celebratur.

Charitas Benedictina.

A. C. 1162. Eluceſcit & exardeſcit Conſtantiæ omni flamma atque incendio clarior & ardentior, pulcherrimo exemplo Benedicta charitas, in excitando è cineribus Petruſiano Cœnobio, conferentibus ſymbolas ſolidæ charitatis diverſis Cœnobiis, Augienſi inprimis, & Zvvifaltenſi, quorum impenſis majorem partem hoc anno Cœnobium feliciter ad perfectionem deductum eſt, & ſub hoc ipſum tempus ab Hermanno amantiſſimo Monachici Ordinis Pontifice noſtro, rurſus ad honorem S. Gregorii Papæ dedicatum, qui & ipſe Hermannus plurimum de ſuo contuliſſe creditur.

Fridoleus Abb. obiit.

Moritur Fridoleus Augiæ Divitis Abbas, cum annos unum & viginti utiliter præfuiſſet. Is adeo ſuis charus & amicus fuit, ut memorabili exemplo, non de alio eligendo cogitarent, ſed fratrem quamprimum ejuſdem germanum Udalricum Baronem de Haydeck Cœnobii Præpoſitum, Abbatem conſalutarent, quem jam ante ut patrem experti, nunc patrem adorarunt.

Vlricus Abb. Aug.

A. C. 1163. Wernherus Abbas S. Galli, magno emolumento Cœnobii Advocatiam ejuſdem, poſt mortem Udalrici Comitis à Gamertingen ipſe emit, & jure ſuo uſus Rudolpho Comiti de Pfulendorff pro 300. marcis pro libitu refundendis elargitur. Idem ſub hoc ipſum tempus Monaſterium Benedictinarum Virginum in Yttingen fundat, quod hodie eſt Patrum Carthuſianorum.

Ittingen fundatur.

S. Rupertus Abb clar. miraculis.

A. C. 1164. Magno Diœceſeos noſtræ & Benedictini Ordinis ornamento S. Rupertus Abbas Ottoburanus ex Monacho S. Georgii Herciniæ pridem ſepulchro conditus, inſignibus à Numine miraculis commendatur, multaque populi frequentia colitur.

B. Frovvinus Abb. obb.

A. C. 1165. Iterum ſydus lucidiſſimum cœlo infert Epiſcopatus noſter, B. Frovvinum primum Salemitani Cœnobii Abbatem virum Apoſtolicum, cujus memoriam ſolemnem Menologium Ciſtercienſe celebrat XIII. Cal. Martii.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1166. Non minori ſplendore, terris etiamnum, tenebricoſis hiſce temporibus alterum effulget ſydus in Monaſterio Weingartenſi Abbas Diethmarus Comes à Tryberg, è ſanctiſſimo Hirſaugienſi Archiſterio poſtulatus, Sanctorum Filius, frater gemellus & parens optimus, de quo pervetuſtus MStus Author: *Cujus ponendæ Eminentiæ ſermo noſter, vel ſtylus non ſufficit.* Ipſo anno moritur Wernherus Abbas S. Galli optimè-meritus Pridiè Non. Julii, cui ſucceſſit Udalricus eo nomine IV. Liber Baro de Tegerfelden. *Diethmarus Abb. Weing.* *V. Wernherus Abb. obiit.*

A. C. 1167. Ad altiora, cœlum nempè ipſum promovetur hoc anno Hermannus noſter, Baro de Arbona, Conſtantienſis Epiſcopus, ultimus, ut ex tabulis veteris Archivi liquet ex Monacho Cathedrali Urbis noſtræ Pontifex, Monaſtici Ordinis decus, & Scobenſis Cœnobii alter Fundator habitus, à cujus morte, iniquiſſimis Eccleſiæ Friderici I. temporibus cum peſtilentiſſimo Schiſmate, orbis periculoſiſſimè laboraret, plurium Ecclesiarum Cathedralium Canonici, in omnem effuſi licentiam cucullum abjecere. Fuit etiam, niſi fallimur, ultimus ſuæ familiæ Baro, omnemque ad ſe devolutam hæreditatem, cum in Scotenſe, tum Cathedrale effudit Monaſterium, huic inter alia ter centum auri marcas impendens. Multa inſuper in ornatum Eccleſiæ Cathedralis inſumens, cujus columnas duas altitudine conſpicuas laminis ſive bracteis argenteis obduxit, Chorum inſuper tapetibus prætioſisque aliis ornamentis excoluit, oppidum Aach, multoſq; pagos & vicos coemit, Princeps æterna memoria dignissimus. *Moritur Hermannus Epiſc.* *Ultimus familiæ.* *Dotat Eccleſiam.*

A. C. 1168. Qui ſucceſſit Hermanno in Epiſcopatu noſtro Otthone Comes Habſpurgius (Annales MSSti. Salemitani Ducem Zaringiæ faciunt) Canonicus Auguſtanus fuit & S. Mauritii ibidem Præpoſitus, incertum poſtulatuſne an datus à Cæſare, vita cæteroquin honeſta & integra, verum corpore debili admodum morbiſque male affecto, ita ut facile appareret haud diu victurum. *Otthо Epiſc. Conſtant.*

A. C. 1169. Etſi alii Otthoni Epiſcopo noſtro quadriennium, Beatus Widmerus octennium, tribuant, plerique tamen anno 1165. Hermannum jam mortuum, & hunc ſucceſſiſſe contendunt, certum tamen eſt hoc anno è vivis exceſſiſſe, cui communi Canonicorum calculo ſuffectus eſt, Bertholdus ſive Hertoldus Liber Baro de Buſnang ex Turgovia oriundus, etſi alii de Kuſsnach Ergoviæ prope Lucernam ortum ferant, vir prudens admodum atque ob virtutem omnibus commendatiſſimus. Iſtum autem unum penè ac unicum fuiſſe putamus, qui cæteris Canonicis in licentiam effuſis priſtinum Religioſæ vitæ tenorem obſervaverit, pro eximia tamen in omnes charitate & vitæ honeſtate concorditer electus ſit, ita ut Epiſcopum hunc inter præcipua Diœceſeos ſydera merito numeremus. *Idem moritur.* *Bertholdus Epiſc. Conſtantia* *verè Religioſus.*

A. C. 1170. Valere mortalia jussit Guntherus ab Andlauvv S. Blasii Abbas, olim Lugdunensis designatus Archiepiscopus, sed quem minimè expetitum honorem, longè cucullo postposuerat, egregia omnino virtute & prudentia Antistes, qui Monasterio plurimum consuluit, aliaque inter, idem illaris plurimis sanctorum Reliquiis plurimum beavit, quibus Romani Pontifices, ipsum sibi peculiarius dilectum honoraverant. Ipsi Wernherus Baro de Kussenberg in Abbatiali munere est subrogatus.

Guntherus Abb. S. Blasii obiit.

Item Dietmarus Abb. Veingart.

Eodem Anno Diethmarus quoque Comes à Tryberg Abbas Weingartensis magnum Diœceseos lumen extinguitur, ut è cœlis majore sese splendore commendet, suffectus est Marquardus, Monasterii, ut vocabant, Camerarius Dynasta à Dorndorff.

Udalricus Abb. S. Galli.

A. C. 1171. Udalricici Baronis à Tegerfelden S. Galli Abbatis ex Virtute celebris fama animi inprimis demissione, morum elegantia, comitate, prudentia & liberalitate, ob quas virtutes gratiosissimus suis exteris in admiratione fuit. Quem pessimè, sed deceptus ab Heretico authore Wernherus Zimbrensis ab ambitione accusavit à qua tam procul abfuit, ut etiam Episcopatum Curiensem, ad quem postea promotus, & ipsam S. Galli Abbatiam ultro abdicaverit. Inter præcipua Diœceseos sydera merito suscipiendus.

Humilitatis studium.

S. Idda Comitissa.

A. C. 1172. Rursum illustrissima & admirabilis sanè stella Diœcesim magno splendore & gloriâ implet, sancta Idda sive Itha Henrici Comitis Dockenburgii nuper conjux, nata Comitissa de Kirchberg, mulier sanctissima. Hanc suspectam de adulterio, quod pronubum ejus annulum aureum, à corvo furto sublatum, & in nido ejus repertum Venator quidam Aulicus in manu gestasset, inauditam, inaudita crudelitate, arreptam ipsius ex arcis fenestra cubitorum quadragintorum altitudine præcipitem dejicit, quæ Numini innocentiam commendans, grandi prodigio illæsa humi consedit, & in cavernam quandam sese recipiens, vitam primo agere heremiticam cœpit, Deoque summa contentione famulari, illic post septendecim annorum curriculum à venatoribus primum reperta, dein à marito etiamnum superstite salutata, & frustra ad thalamos repetita, cum ipsa jam se se Numini consecratam, excusaret & cellulam solummodo, haud longè à Fischingensi Cœnobio sibi exstrui rogaret & impetraret, quod sub hoc ferè tempus accidisse opinamur, & cætera suo loco dabimus.

Annulum corvus furatur.

Idda exarce præcipitatur.

Prope Fischingam habitat.

Rudolphus Abb. Einsidlens. ob.

Ipso anno Rudolphus Comes de Lupffen Abbas Einsidlensis moritur cui à fratribus suffectus est VVernherus vita & moribus ætateque venerabilis, quem tamen Rudolphus Comes Advocatus summam per injuriam Cœnobio ejecit, & Varinum Rapersvillæ Comitem, S. Galli Asceram invitis obtrusit, Cæsare cum ad ipsum res delata esset utrumque & electum & intrusum.

Digitized by Google

trusum abdicare cogente, & sequenti anno VVernherum alium ex gremio Cœnobio, Comitem Tockenburgium commendante, quem omnes unanimiter Abbatem consalutavere. *VVernerus Abbas Einsidl.*

Sed & in Augia Divite Udalricus Abbas Baro ab Heideck cum morbis juxta ætatem invalescentibus, tum sacræ quietis amore honorem abdicat, Religiosis super successione in partes distractis, donec Cæsaris denique sententia Diothelmus designaretur Baro à Krenckingen Dominus in VVeissenburg, cunctis illi honorem gratulantibus. *Diethelmus Abb. Aug.*

A. C. 1173. Iterum splendidissimæ claritudinis stellam Diœcesi nostræ cœlum eripit, sublato ab amantissimis filiis patre dilectissimo B. Frowino Engelbergensi Abbate, viro non minus eruditione quam vitæ sanctimonia conspicuo, die 27. Martii, à cujus morte communibus omnium votis Abbas consaluratus est B. Bertholdus, vir suavissimis moribus, tenerrimoque in suos affectu charitatis, ob virgineum pudorem, quem toto vitæ suæ tempore præsetulit. *Virgo* appellatus, suo jam Antecessori Frovvino venerabilis visus, qui ipsi commentarium in Orationem Dominicam à se compositum dicavit. Sed & alia Frovvinus scripsit, quæ inter Tractatum insignem & copiosissimum de Libero Arbitrio, &c. quibus doctrina & floridior ejus scientia comprobatur. De ipso & Einsidlenses & Sanblasiani certant, ex Angelomontanis tamen monimentis constat fuisse è S. Blasii Herciniæ postulatum. *B. Frovvinus moritur.* *Abbas Virgo dictus.* *B. Frovvini scripta*

A. C. 1174. Iterum lumen à Diœcesi nostra, Curiensis cathedra petit, Udalricum nimirum S. Galli Abbatem Baronem de Tegernfelden, quem à Maximis commendatum & animi & corporis talentis enixe ejus loci Canonici sibi Pontificem expetiere & meruere. In quo se se munere ita omnibus probavit, ut in omnium amoribus esset, insigniter passim celebratus. Beatam Iddam memorabili ad omnem æternitatem comitatu, certis horis ad Divinum servitii pensum ad Ecclesiam è sua cella per mille fere passus pergentem, nocturno tempore, ne lumen deesset cervus iter præit, candelis duodecim supra cornuum cuspides prodigiosè collucentibus. *Vdalricus E. pisc. Curiens.* *B. Idda cervus.*

A. C. 1275. Cœlum ipsum detinet, Hercinia sola, Diœceses nostræ pars, nemorum densitate obscura, fructibus cœlo dignissimis nedum terrestri Paradyso dignissima, certè sola SS. Blasii, Trudtperti, Petri, Georgii cœlestium luminum plenissima, rapiunt nunc ipsos Cœlites in admirationem, tanta virorum genere, eruditione, vitæ sanctitate illustrium copia, ut tota penè Europa inde sibi exemplaria virtutis peteret, & Regularis disciplinæ. S. Blasii præ cæteris felix, hoc anno tamen temperante gaudia Numine VVernheri Abbatis Baronis de Kussenberg morte, bis infelicem sese deploravit, dum VVernherum non minus doctum *Hercinia splendor.* *VVernherus Abb. obiit.*

Digitized by Google

doctum quam ſanctum perdidit, cujus in ſacras litteras Commentaria, æternitas commendabit.

S. Idda ſit monialis. Incluſa.

A. C. 1176. Perſuaſa Monialium Fiſchingenſium Ordinis Divi Benedicti (erat enim, ut pleraque olim duplex ibidem tam virorum quam mulierum Cœnobium) precibus, eo ſe transfert S. Idda Comitiſſa, & cucullum complexa, arcta tamen concluſa cellula Sanctiſſimum Incluſarum Inſtitutum ſuſcipit, Angelicam planè inſtituens vitæ rationem, locumque illum cæteroquin ſanctiſſimum multo reddit illuſtriorem.

Zwifalten. Reliquiæ.

A. C. 1177. Ingenti Numinis beneficio donatur magnis ſacrarum Reliquiarum theſauris felicissima Zwifaltenſium ſolitudo, non ſolum Sanctorum illic degentium magno ſolatio, ſed vicinorum, imo totius Diœceſeos ſingulari emolumento & ornamento: quæ inter inſignis portio ſanctiſſimæ Crucis Chriſti & manus integra S. Stephani Proto-Martyris, pollice excepto, cum cute, carnibus & unguibus, quæ non ſine ſacro quodam horrore à Peregrinis conſpiciuntur.

Monaſterium S. Nicolai.

A. C. 1178. Welfo ſive Guelpho Senior inſigne Diœceſeos noſtræ molitur Cœnobium prope Memmingam S. Nicolao Epiſcopo Myrenſi ſacrum, pro Scotis Benedictini Ordinis Monachi cui, quod ipſe maſculis careret hæredibus, multa legavit, & locum plurimum extulit.

B. Bertholdus bene meretur.

A. C. 1179. Benemeretur de Diœceſi & Eccleſia B. Bertholdus Angelomontanus Abbas librum edendo doctiſſimum, quo gravem quendam errorem ſolidiſſimis convicit rationibus, quem Abbas quidam S. Joannis Vallis Thuræ defendere laborabat, latius invaliturum, ipſum etiam Abbatem ad ſaniorem mentem revocans, & grande malum à patria avertens.

S. Idda mortuo imperat.

A. C. 1180. S. Iddam varie tentans Cacodæmon ab ipſa ſemper feliciter præfligatur. Mirabile illud, quod cum eidem quandoque de nocte lucernam extinxiſſet, ipſaque cellulam egredi contra inſtitutum eſſe minimè neſciret, per feneſtram quâ cœmeterium reſpiciebat, mortuum ſibi adeſſe jubens præſto habuerit quamprimum, qui lumen accenderet, faſſum inſuper Comitem Tockenburgium ſe fuiſſe, Idda pro tantis ſibi à Numine conceſſis plurimas gratias agente. Ipſo anno Udalricus Baro de Tegenfeldt S. Galli Abbas, indubitatæ fidei Reliquias ex corporibus SS. Abrahæ, Iſaac, & Jacob, è Palæſthina meretur.

Reliquiæ SS. Patriarcharum.

Udalricus Epiſc. curiam abdicat.

A. C. 1181. Memorabili omnino exemplo promptiſſimæ obedientiæ: improbante Alexandro III. ſolemni edicto, pluralitatem Beneficiorum, prædictus Udalricus S. Galli Abbas ſimulque Curienſium Pontifex, nihil cunctatus Pontificatu quamprimum ſe abdicat, magno Sangallenſium ſuorum, qui tam charum ſibi patrem, abeſſe ægerrimè patiebantur, plauſu exceptus, ea modeſtia & animi demiſſione, plus immortalitatis, quam ab Pontificatu meritus.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1182. Mirabilis DEUS in Sanctis ſuis, ſub hoc tempus, inſigni ſane & raro admodum prodigio S. Bertholdum Angelomontanum Antiſtitem honorat, inque ejus gratiam perenni beneficio mortalibus conſulit. In lacu Quatuor Cantonum, prope Stranzſtad navigabat Lucernam Bertholdus cum ex utroque cimbæ latere repente innumerabilis turba piſciculorum, quos Albulos vocant, novum ac nunquam viſum antehac ea tempeſtate piſcium genus, obviam ſeſe obtulit, ceu gratulabundorum, & venerabundorum tanti viri adventum. Quibus ille cum dextra præſignando Crucem benè precatus fuiſſet quievêre, & ſecundum hæc ſingulis annis, eodem ferè anni tempore copioſa Albulorum præda piſcantibus obvenit, indeque ad hodiernam uſque diem ejuſdem beneficium apud accolas manet Monachis Angelomantanis tributarium. *Inſigne prodigium.* *Albuli piſces.*

Dedicatur hoc anno ſolemniter à Bertholdo Libero Barone, de Buſnang Epiſcopo Conſtantienſi nova Baſilica Monaſterii Weingartienſis, à Wernhero Mariſcallo Libero Barone de Marckdorff loci Abbate abſoluta, & honori Deiparæ atque SS. Martini & Oſwaldi conſecrata, ut videas multum aberrare, qui Bertholdi mortem ad annum 1179. referunt. *Dedicatio Weingartienſ. Eccleſiæ.*

A. C. 1183. Hoc primum anno moritur Bertholdus Epiſcopus noſter Conſtantienſis, Princeps optimus, in cujus defuncti locum communibus Canonicorum votis adſciſcitur Hermannus de Fridingen Equeſtri inter Hegovios Nobilitate clariſſimus, pacis & tranquillitatis publicæ ut amantiſſimus, ſic & cuſtos obſervantiſſimus, clero & populo admodum gratus & gratioſus. *Berthold. Epiſc. ob.*

Hoc eodem anno Fridericus I. Imp. Aug. cognomento Barbaroſſa una cum filio Henrico, ſolemniſſima Conſtantiæ Comitia celebrat, in maxima omnino Sac. Rom. Imperii Principum frequentia; quibus, incredibili Univerſi Imperii, atque Urbis inprimis noſtræ, cui id apud ſe effectum, plauſibile erat Pax toto Imperio Generalis, ab omnibus ſervanda, ſancita fuit. Quæ dein *Pax Conſtantienſis* eſt dicta, & à Baldo Principis fame Juriſconſulto, publicis litteris comprehenſa eſt, & commentariis illuſtrata. *Comitia Conſtantiæ.* *Pax Conſtantienſis.*

A. C. 1184. Sub hoc ferè tempus ſtella lucidiſſimæ Diœceſeos noſtræ S. Idda Comitiſſa Monialis Friſchingenſis in cœlos recipitur, ut inde potentius fidelium devotioni patrocinetur; quibus uſque hodie ritè invocata & honorata, prodigioſe in omni neceſſitate opitulatur ſepulta in Monaſterio Patrum Benedictinorum, ſacello S. Nicolai. *S. Idda moritur.*

Ipſo anno novum ſe Diœceſeos noſtræ ſydus prodit, Beatus Wernherus Yſnenſis Monaſterii Aſceta, qui novo nunc condito in Auguſtanâ Diœceſi à Marchionibus Rumſpergiis Monaſterio Urſinenſi primus Abbas impoſitus, locum & honorem inſigni vitæ Sanctimonia feliciter initiavit. *B. Wernherus Yſnenſis.*

Iterum Conventus Constantiæ.

A.C.1185. Iterum Constantiæ Conventum Principum celebrat Fridericus I. Imp. Ubi, Ottho de S. Blasio ait, Legatos Mediolanensium, & omnium Italiæ Urbium admisit & audivit, eosque post ultroneam submissionem, & clavium aurearum cum Urbium armis oblationem in gratiam recepit & dimisit.

Moritur Fridelæus Vorburgerus ab Helmhofen Campidonensium Princeps & Abbas, succedente Bertholdo ab Hochberg.

B Wernherus resignat.

Intolerantissimus honoris B. Wernherus designatus Ursinensis Cœnobii Abbas, titulo hoc nunquam admisso, cum prima sanctitatis exempla pro fundamento loci Ascetis reliquisset, nullis porro precibus exorari se passus ut Abbatis nomen assumeret, ad suum Isnense Cœnobium se recepit.

Rudolphus Abb.

Monachis Rudolphum Abbatem è Monasterio S. Blasii Herciniæ postulantibus, qui deinceps rem strenue gessit, & optimè meruit.

Theopertus Abb. mor.

A.C.1186. Eripit cœlum Sanblasianis & Diœcesi nostræ, communem multorum sanctorum patrem & Magistrum Theopertum sive Theodebertū Abbatem, cui communi Fratrum suffragio substitutus fuit Mangoldus sive Manegoldus, magna Generis nobilitate atq; opibus potente Domo oriundus, sed contemptu ipse honorum, atque insita Virtute multo illustrior celebratiorque.

Paradysus Virginum

Ipso hoc anno, Matronæ quædam ac Virgines Constantienses, studio sanctioris vitæ instituendæ, ædes quasdam construunt Religiosas, in loco quem usque hodie Paradysum appellant. Unde deinceps, ad locum similiter deinceps cognominatum prope Schaffhusium immigrarunt.

Fridericus I. Imp. frater Congreg-

A.C.1187. Fridericus I. Constantiæ nostræ magnus æstimator, Diœceseos fautor & Benefactor, quam adversus primum synceritati Monachorum fuit, & vera sibi insinuari inique tulit, tam nunc expertus aulicorum fallacias, ad excusandas excusationes in peccatis, hæc redimere omni modo satagit, & in Diœceseos inprimis nostræ Monasteria effusissimus est liberalitate, in Weingarttense præaliis ubi magnam partem conditos majores suos & avos habuit, Isnense deinceps & alia, eligens & serio exambiens in societatem non solum adscribi meritorum, *sed plenus*, ut MSSti. Veteres habent *Cœnobij Frater*, nuncupari & censeri: Bono Numine ita paulatim hominem ad sacrum iter, ac dein mortem disponente.

Hermannus Episc. obiit.

A.C.1188. Moritur Hermannus de Fridingen Constantiensis Episcopus cujus nonnulli mortem ad annum usque 1191. extrahunt, succedit pridem omnium expetitus votis Diethelmus Baro de Krenckingen Augiæ Divitis Abbas, vir incōparabili judicio, genii amabilitate, & in rebus gerēdis dexteritate.

Confraternitas.

Qanti fieret etiamnum Confraternitas illa, de qua supra, & communio sacrorum operum, quantique etiamnum Monasteria Diœceseos nostræ facta sint ab exteris, modicum fragmentum allegare placuit, indubitatæ fidei o-

rigina-

Digitized by Google

riginalium litteratum Conradi Archiepiſcopi Moguntini ad Abbatem Sangellenſem: *Conradus Dei Gratia Sabinenſis Epiſcopus, Moguntina Sedis Archiepiſcopus; & Apoſtolicæ Sedis Legatus, cum Univerſo ejuſdem loci Conventu, dilectis ſuis fratribus Udalrico Divina ordinante Clementia Cœnobii S. Galli venerando Abbati, ſanctiſſimoq; ſibi ſubjecto Conventui, ſalutem cum Fraterna dilectionis affectu, Relatione antiquiſſimorum Fratrum noſtrorum percepimus hanc conſuetudinem, inter Fratres ſanctæ Moguntiæ Eccleſiæ, ac inter Cœnobitas S. Galli hactenus extitiſſe, quatenus perpetuæ Fraternitatis vinculo, conjuncti orationibus, quæ tam pro vivis, quam pro mortuis, utrobiq; celebrantur communicarent. Etſi fortè aliquem ex Fratribus noſtris, pro aliqua honeſta cauſa in prædicto loco, adeſſe contingeret, plenarie unius Fratris prabendam reciperet, & eodem jure quilibet ex Fratribus Veſtris, Eccleſiam noſtram adiens, ſimilem charitatem inveniret. Annuitur &c. Ego Conradus &c. ad Cœnobium S. Galli veniens &c.* (teſtes plures & Palatinos commemorat) *prædictam conſuetudinem renovavi & confirmavi, inſcripſi ac ſigillo noſtro inſigniri decrevi.* Fuit hic Conradus Princeps Comes Palatinus de Witelſpach, S. R. E. fideliſſimus.

Epiſtola lectu dignissima.

Conſuetudo religioſa.

A. C. 1189. Rurſus illuſtrius præ cæteris lumen Diœceſi noſtræ præbet Hercinia, & quidem antiquiſſimum S. Trudtperti Cœnobium Hugonem ejus loci Abbatem, B. Eberhardi digniſſimum ſucceſſorem, virum ſanctitate non minus quam genere illuſtrem, quem cum ſub hoc tempus Advocatorum miniſtri indignius, quam pro munere & nomine officii tractarent, reſq; Cœnobii peſſum darent, coactus vir ſanctus conqueri apud Briſacenſes, non ignorantibus qui peccaverant, & hoſtiliter ulciſci parantibus. Nec effugiſſet latronum manus, niſi illo ſervante cujus cauſam ſervatam cupiit. Briſiaco revertentem, inſidiæ excepere loco fraudibus oportuno, latrociniis commodo. Sed nimirum pro Hugone Numen excubavit, & inſigni prodigio percuſſoribus occurrit, caliginem miram oculis offundens, ita ut nuſpiam tutior Hugo, quam inter hoſtes eſſet.

B. Hugo Abb. S. Trudtperti.

Mirè ſervatus

A. C. 1199. Illuſtrat plurimum Diœceſim & Helvetiam ſuam Beatus Bertholdus Angelomontanus Antiſtes, altiſſima rerum humanarum juxta & Divinarum cognitione, variisque revelationibus illuſtratus, quibus multa arcana compertiſſima habuit, & procul poſita, ut præſentiſſima vidit, cujuſmodi hoc ipſo anno fuit, dum mortem Friderici I. Imp. Aug. Aenobarbi in ſacra ſua expeditione prope Tharſum aquis hauſti ipſa die & horâ divinitus cognovit, & Fratribus eo nuncio ſtupentibus prædixit. Mortuus eodem anno eſt inſigne Diœceſeos noſtræ decus Rudolphus Zāringiæ Dux, Bertholdi IV. frater, poſtulatus Leodienſis Epiſcopus, ſed inde à morte ad Epiſcopatum noſtrum, & Mauſolæum majorum S. Petri Herciniæ relatus, qui magno beneficio Leodienſibus Principis ſui Tutelaris S. Lamberti ſacri corporis exuviasimpetravit & intulit.

B. Bertholdus Abbas.

Propheticus Spiritus.

Bertholdus Dux obiit.

A. C. 1191.

Digitized by Google

S. Vrbani Monaster.

A. C. 1191. Insigne fundatur Diœceseos nostræ Monasterium S. Urbani Helvetiæ, Ditionis Lucernatis à Leopoldo & Wernhero Liberis Baronibus de Langenstein, pro sacra Reformatione Cistercienſi, quod deinceps Barones de Kapffenberg, & Grünenberg insigniter dotavere.

Moritur Guelphe Dux.

Moritur Guelpho VI. dictus Achilles Germanicus, Principum totius Diœceseos longe potentissimus, in omnia fere Monasteria & Ecclesias, Weingarttense inprimis profusissimus.

Wernherus Comes Dockenburgius Abbas Einsidlensis honore se abdicat ob improbitatem nequissimi Advocati Rudolphi Rapersullani, cujus placandi causa Udalricus ex iisdem Comitibus electus est.

B. VVeingosus Abbas.

A. C. 1192. Novum se suo splendore Diœceseos nostræ sydus prodit, Beatus Meingosus sive Meingozus Weingarttensis Abbas è sanctissimo Hirsaugensi Archisterio postulatus eximia vitæ sanctitate conspicuus, maximorum Sanctorum filius, collega & æmulus, è familia Comitum de Lechsgmündt, quorum aliqui Principum nostrorum Agilolfingorum Aulam & auspicia sequuti, videntur loco Meingolzvveiler nomen reliquisse, plurimis ejusmodi à Palatinorum præcipuis nomenclaturam usque hodie retinentibus.

Ex Aulicis Guelphicis olim.

Bertholdi Abb Compid. merita.

A. C. 1193. Optimè meretur de Alemannia Bertholdus Campidoni Princeps & Abbas, qui alia præter merita inopiam provinciæ plurimum sua liberalitate sublevavit, & publico bono primus Ilerum fluvium ponte superabilem reddidit. Rursum insigne lumen Augustanæ Diœcesi, nostra præbet in Rudolpho eximiæ virtutis viro, Ursinensi Abbate, è S. Blasii Herciniæ postulato, non vulgo solum longè lateque celebrato, sed apud Principes summo in honore habito.

B. Berthold. Abb. Engelberg.

A. C. 1194. Non vivis solum exemplo Virtutis consulit sub hoc tempus plurimum S. Bertholdus Angelomontanus Abbas, sed mortuos immortaliter demeretur, quorum animi sæpius, ejus orationum instantia è purgatricibus flammis erepti, conspicuus se sepræbentes, viro sancto, ferventissimus egere gratias, ipso ad plures quotidie tantis pœnis liberandos animato, & posteros omnes tanti spe fructus excitante, ut alterum Odilonem in hoc animorum Liberatore Diœcesis nostra merito agnoscat, veneretur atque imiterur.

Animas liberat.

B. Henricus S. Blasii.

A. C. 1198. Sed & alterum pari industria zeloque vindicem hoc ipso tempore sibi datum afflictissimi animi mirifice sibi gratulari sunt, Beatum Henricum S. Blasii Herciniæ asceram, virum mira sanctitate, nobili in Suevia ortum genere, cognomento de Zvvifaltach. qui in Monasterio Ochsenhusano (S. Blasii membro) summo rigore vitam instituit, & nequid purgandũ à morte secum ferret sedulo cavit, & ipse vel levissima in se peccatilla graviter vindicavit, quo factum ut tam potens Animorum Advocatus fieret, pluri-

sibi admodum rigidus.

Digitized by Google

plurimos eorundem ex atrociſſimis illis Purgatorii pœnis liberaret,

A. C. 1196, Vinearum Monaſterium ſub hoc tempus, incertum caſu-ne an hoſtili furore in cineres redactum, memorabili ad omnem æternitatem Benedictinæ Hoſpitalitatis exemplo, Beatus Meingoſus Abbas prius reſtaurare noluit, quam Hoſpitibus & peregrinis ædes conderet, quibus reciperentur, ipſe interim cum ſuis ſub tentoriis habitans, & frugaliter vivens, ut in hoſpites liberalis eſſet, in quorum ſingulis, Chriſtum ſi non ſuſcipere, certè colere ſibi viſus eſt. Nec irremuneratam hanc liberalitatem Deus voluit, quin & temporaliter refunderet, quæ ipſe aliis tribuit, multis ampliſſima donatione rem Cœnobii augentibus. *VVeingartium exuritur.* *Hoſpitalitatis exemplum.*

A. C. 1197. Summo cœli plauſu, magno Diœceſeos noſtræ luctu, inter ſuprema ſydera collocatur B. Bertholdus Angelomontanus in Helvetia Antiſtes, die Menſis Novembris tertia, cum diem & horam mortis ſuæ Fratribus diſertè prædixiſſet, & hac ipſa (uti à prima qua Sacerdos eſt ordinatus nulla unquam facere prætermiſit) ſacris prius operatus eſſet, luculento geſtientis, & cœleſtes delitias prælibantis Animi indicio, feliciſſimè extinctus, quem paulo ante mortem inſigni miraculo Deus recreavit, cum raro æterni meriti prodigio, & ſingulari ſpecialis Divini Amoris argumento, aqua ex fonte, quem vir ſanctus deſignaverat, tertio hauſta, tertio prodigioſe in vinum generoſiſſimum eſt converſa. Fons deinceps, *Fons Abbatis* dictus, febricitantibus maximè ſalutaris. *Moritur B. Bertholdus.* *Ter aqua in vinum verſa.*

A. C. 1198. Sub hoc tempus triſti etiam incendio Ochenhuſanum Cœnobium dum inflammaretur, & extinguendi porro ſpes nulla ſupereſſet, jamque etiam ipſi Baſilicæ immineret, B. Henricus loci Prior iſtam ingreſſus, & ante altare S. Georgii, paſſis proſtratus brachiis flectere precibus Numen inſtitit, evicitque ut mox mirum in modum quaſi magno aquarum turbine inundante, infra breve unius horæ ſpatium totum incendium conquieſceret. *Incendium Ochſenhuſii.*

A. C. 1199. Meretur plurimum de Diœceſi noſtra B. Weingoſus Abbas Weingartenſis, reſtituta in novum fervorem ſæcularium cum Religioſis pia & devota Confraternitatis Inſtitutione, quâ plurimi mirifice accenſi tot ſanctorum virorum exemplis, cum matrimonii illigati vinculis Chriſto, relicto ſæculo, totos ſe conſecrare prohiberentur, certis tamen legibus, Religioſis Magiſtris ſe ſubjicerent, alienoque ſe ſe arbitrio permitterent, in participium viciſſim bonorum operum admiſſi, cujus rei plurima paſſim ſuperant inſtrumenta. Moritur ſub hoc tempus, Anonymus Monachus Weingartenſis, qui Chronicon de Guelphis Principibus ſcripſit, & aliud à Chriſto nato ad annum uſque 1197. lectiſſimus B. Weingoſi diſcipulus, inter ſydera etiam Diœceſeos adnumerandus. *B. VVeingoſi merita.* *Confraternitas utilis.* *Moritur Chronologus VVeingart.*

Digitized by Google

A. C. 1200. Iterum sydereis stellis splendidissima inseritur stella nova, jam primum memoratus Beatus Meingosus Abbas VVeingarttensis, multo deinceps magis terris profuturus, certè mortalibus, quam suo influxu sublunaribus stellæ illæ firmamenti, & mox à morte patuit, majora quam istæ posse, cum variis deinceps morbis prodigiosè mederetur, sanctitatem ejusdem variis signis Numine comprobante, & merita commendante, obiit 22. Aprilis.

P. Meingosus moritur.

Miracula.

Udalrico Baroni à Tegernfeldt olim Episcopo Curiensi, Sangallensi Abbati sponte resignanti superiore anno successerat Udalricus Comes de Veringen, optimo & utilissimo, homo totus prodigus & inutilis, cui hoc anno exauctorato à morte, & malè à bonis notato, Henricus Liber Baro à Klingen sufficitur.

Viricus Abb. S Galli.

A. C. 1201. Vitæ mortali excedit ad immortalem Manegoldus Præpositus Marchtalensis Ordinis Præmonstratensis celebris ad Danubium Monasterii, optimè meritus, cujus vetustæ imagini subscriptum legitur: Bonum certamen certavi, quia plus omnibus laboravi, cui Meinhardus successit.

Manegoldus Marchtal.

A. C. 1202. Magnum se denuo sydus Diœcesi nostræ magnorum meritorum commendat splendoribus Beatæ memoriæ Bertholdus Comes ab Haimburg Abbas VVeingarttensis vir præstantissimus, S. Bertholdi Garstensis in Superiore Austria Abbatis sanguine & sanctitate vitæ cognatus, piè æmulus Mellissui Bernardi instar, melle & lacte defluens, cultor Deiparæ singularis, æterna Vineatum & Diœceseos nostræ gloria.

B. Bertholdus V Peingart.

A. C. 1203. In Monasterio Helvetiæ Angelomontano exsplendescit egregiis vitæ Religiosissimæ actibus, Henricus de Warttenbach, nobilissimo prognatus sanguine optimi præclarissimique Abbatis partis sustinens, vir maximæ auctoritatis, Augustus Romanorum Regibus & Imperatoribus, Philippo II. Otthoni IV. & Friderico II. inprimis charus, à quibus sibi suoq; Monti Angelorum, amplissimas gratias impetravit.

Henricus de VVarttenbach Abb.

A. C. 1204. Ad Divi Galli Henricus Liber Baro de Klingen ejus loci Abbas moritur, felix œconomus suisque gratus, cui communi eligentium calculo, unanimi Aulicorum & populi voto, Udalricus Baro de Saxo sufficitur, vir eruditus, juvenis etiam Parisios in Galliam, & Bononiam in Italiam ad studia missus, ut videas re litteraria, bellicis motibus per Germaniam turbata, Germanos etiam apud exteros scientiam indagasse. Moritur etiam S Blasii Herciniæ Mangoldus Abbas, præpotenti, sed incerta nobis familia editus, cujus paterna hæreditate Monasterium illud plurimum fuit locupletatum.

Henricus Abb. S. Galli.

Litterarum cura.

A. C. 1205

Digitized by Googl

A.C. 1205. Magno mœrore Urbis noſtræ totiuſque Diœceſeos extinguitur Diethelmus Epiſcopus noſter Baro de Krenckingen, Augiæ Divitis Abbas 12. Aprilis, cum Epiſcopatui ſtrenue & utiliter ſumma cum laude præfuiſſet, cui Wernherus Liber Baro de Stauffen ſufficitur, etſi nonnulli ad annum ſequentem referant. *Moritur Diethelmus Epiſ.*

A.C. 1206. Udalricus Abbas Einſidlenſis, ingratiam inimiciſſimi Monaſterio Advocati Rudolphi Comitis Raperſvillæ electus ejuſdem cognatus & nepos, cum ea pompa, licentia, ambitione, & luxu viveret, ut nihil minus quam Relligioſum & Eccleſiaſticum Antiſtitem præferret, Monaſterii bona diſſiparet, alia venderet, pleraque pro pignoribus obligaret, Monachos ſuperbè, parce, duriter haberet, propinquis & adulatoribus cætera promitteret, eo denique præcipitaret, ut ultra tolerari non poſſet, unanimi Fratrum ſententia officio & dignitate exuitur, merito ſuo à poſteris *flagellum iræ Dei* appellatus. Ejus in locum Berchtoldus Liber Baro de Waldtſee Abbas conſalutatur. *Exauctoratur Ulricus Abb. Einſidl. Flagellum iræ Dei.*

A.C. 1207. Nunc denique pax diu deſiderata afflictiſſimæ Germaniæ redditur Otthoni IV. Philippi filia deſponſa, proviſſoque poſt mortem Philippi Imperio, quæ calamitates, etſi Conſtantiam noſtram minimè involverent, plurimas tamen Diœceſeos Abbatias graviter afflixerunt, dum prout quiſque Abbatum affectus ad alterutrum eſſet, nunc illo, nunc iſto triumphante ſeu triumphato, fuerent, aut gratia fruerentur. Certè Sangallenſe Philippo, Weingarttenſe Otthoni Fundatorum nepoti obnoxium, utraque læta & adverſa experiri debuerunt, etſi nulla ſua culpa, cum neutralibus eſſe minimè liceret, prout quodvis obligari ſeſe minimè ignorabat. Lucem Evangelii peregrinis inſulis infert Henricus Abbas ſeu Præpoſitus Marcktalenſis, quod ut felicius efficeret, ultro ſe ſe Monaſterii regimine abdicavit. *Paxreddita Germaniæ. Monaſterio-rum calamitas. Henricus Abb.*

A.C. 1208. Apud Campodunum mortuo Bertholdo Hochberger de ſacro Ligno, ſuccedit Rudolphus Wolffgangus de Küngſeck, equeſtri familia vir, ab inſigni prudentia & rerum gerendarum dexteritate commendatus. *Rud. Wolffg. Abb. Camp.*

Fundatur ſub hoc tempus inſigne Diœceſeos noſtræ Monaſterium Rütti Præmonſtratenſis Ordinis in agro Tigurino, à Luidolpho Barone de Regenſperg, Grüeningæ Domino, quod poſtea Tockenburgii Comites plurimum dotaverunt, & in eo ſepulturam elegerunt. Graviter colliditur Epiſcopus noſter cum Udalrico, Sancti Galli Abbate propter Caſtrum Reineck hoc demum Epiſcopus, non ſine multo Sanguine & provinciarum mutua vaſtatione patitur. *Rütte fundatur in Helvet.*

Digitized by Google

Miraculis illustratur B. Meingosus.

A. C. 1209. Admirandis prodigiis Diœcesim illustrat B. Meingosus Abbas nuper Weingarttensis, cujus sanctitatem à morte Deus magnis ad ejusdem tumulum commendat & celebrat, frequenti nunc ægrorum ad Sacrosanctum Christi lateris sanguinem in Vinearum Cœnobium occursu, factumque per sæpe ut dum alii, & alii ad SS. Sanguinem, alii ad Divi Meingosi sepulchrum recurrent, & apud alterum opem non invenirent, ab altero quamprimum, & vicissim ab altero prodigiosè juvarentur; ipso quasi Christo Domino ejusque Venerando sanguine sancti Abbatis merita & apud se auctoritatem commendante.

Christus ipse quasi defert?

obiit Wernherus Episc.

A. C. 1210. Communem mortalium viam ingreditur Wernherus Episcopus noster Constantiensis Liber Baro de Stauffen Brisiacæ propè S. Trudperti (non Ergoviæ neque Sueviæ sive Wirttenbergiæ) Princeps Religiosissimus, cui nihil potius fuisse legitur, quam Divini officii diligens cura, ita ut ejus causa multa magni ponderis & momenti seponeret, sepultus est magno cum honore in ipso Basilicæ Cathedralis dictus à nonnullis est à Castro Kussenberg, quod emerat & possederat, ipse ex familia Baronum prædictorum. Successit communibus votis Conradus Comes ab Andechs, Dominus à Degernfeldt, præfeditque annis 24.

Unde à Kussenberg dictus.

Wernherus Abb. Einsidl. obiit.

Apud Einsidlenses quoque Wernherus à se ipso gloriosè exauctoratus Abbas, vivere inter privatos, sed honoratissimus desit, ut qui æternum apud suos nomen & Amorem meruerit, relictis egregiæ pietatis in templo utilitatis in Aula & Oeconomia, fraternæ charitatis in Patrum Conventu præstantissimis monimentis, juxta insignia exempla Monasticæ demissionis. In Augia, post Hermannum Baronem à Speichingen, qui vix octo præfuit, menses eligitur Henricus Comes à Kalvv, vir Illustrissimus summæque & apud Cæsares, & Romanos Pontifices Auctoritatis.

Henric. Abb. Aug.

SS. Sanguinis Honor.

A. C. 1211. Magna Diœceseos gloria, nec minore provinciæ utilitate plurimum honorem Sacrosancti Sanguinis promovet Beatæ memoriæ Bertholdus Abbas Weingarttensis Comes ab Haimburg, sed & cultum Deiparæ Sabbathi officio instituto, quod festivum & solemne voluit & suis & exteris plurimum commendavit.

Item Deipara.

Cæterum Deiparæ Monasterium Vinearum singulariter commendatum, vel ob ipsam reverentiam SS. Sanguinis illic reservati, affirmavit. Placet Mellitissima ejus verba pauca ex multis afferre, vel pro ipsa SS. Sanguinis, tantæ Matris, tantique Abbatis ad posteros commendatione: *Sed quamvis in ejus* (Divinæ Matris) *obsequium, totus, ut dignum est, mundus occurrat, ut laudetur ab Hæreditate Dei in latitia gentis suæ, omnes tamen in hoc sacro degentes loco, specialis quædam spes & consolatio foveat, ex ipsius piissimæ Matris, velut familiari benignitate concepta; cum non dubium habeamus* (NB) *quin Sacrosanctum Filii sui Domini Nostri Sanguinem, cœlesti apud nos dispositione ac benedictione reconditum sedulo atque invi-*

Mellea prorsus verba.

imviſcerato Virtutis ſuæ reviſat affectu, & nos, imo locum, qui vitalem Tutelæ ac Salutis noſtræ continet theſaurum ex alto reſpiciens, in ſuffragium noſtræ Protectionis, de Throno Majeſtatis, mitis ſe & blanda ſubmittat, ut mitiget nobis à reſpectus, diebus malis, & faciat nos videre dies bonos in Regno æternæ claritatis. Adhortatur inde atque excitat vir ſanctus. *Neceſſario ergo & nobis incumbit, ut fides noſtri famulatus, ſingulari ad honorem ipſius gratulatione* intendat, quæ pretium Redemptionis Humanæ toti mundo propinans, & Generalem Chriſti Cultoribus ex virginali utero refundens medicinam, Nobis in ipſius reverendo Sanguine pignus ſpei, & Arram gratiæ præſtitit corporalem, ita ſanctiſſimè magnus noſter Abbas Bertholdus.

Deipara erga Sang. Chriſti exhortatio Pignus ſpei ſingulare.

A. C. 1212. Fridericus II. Imp. Aug. contra Otthonem IV. electus poſt ſuum ex Italia reditum Conſtantiæ Conventum celebrat, & ibidem pro tuendo conſervandoque Imperio inſignem ex Germania Superiore, Helvetia, Rhætia, Suevia exercitum colligit, ipſo interim adverſario Otthone IV. Uberlingæ agente, & ſuam pariter rem viriliter promovente. Certè Conſtantienſes rem tunc digniſſimam ſuo fecerunt nomine, & conſtanter admodum in fidelitate S. Petri ſe habuere, cum relicto Otthone tanquam excommunicato, Fridericum cum ſexaginta ſolummodo primitus occurrentem prompte ſuſciperent, & magnis quamprimum cum copiis occurrentem Otthonem hoſtiliter repellerent, & cum ignominia rejicerent. Friderico deinceps Urbi plurimum favente & inſignem è vicinis provinciis exercitum comparante.

Fridericus II. Imp. Conſtantiæ. Conſtantia nominis memor.

A. C. 1213. Celeberrima Comitia Moguntiæ celebrat Fridericus II. Imp. Aug. ad quæ comparet Conradus Epiſcopus noſter Conſtantienſis, unde non multo poſt Imperator Aquiſgranum pergit ibidem ſolemniter coronatus. Moritur eodem anno Bertholdus Abbas Einſidlenſis Liber Baro à Waldſee, eruditione, prudentia integritateque celeber, ſaltem civiliter, & Magiſtratu ſe ſuo ultro abdicat, votis Conradum Comitem à Dun deſignantibus. Monaſterium Virginum in Engelberg, ab Henrico Presbytero ſtruitur.

Conradus Epiſc. in Comitiis. Bertholdus Abb. Einſidl.

A. C. 1214. Sorores quædam Religioſæ, aliquot jam annis Conſtantiæ in campo, quem Paradyſum vocant commoratæ, Monaſterio ejuſdem nominis haud procul Schaffhuſio, adverſo tamen huic littore conſtructo, eodem relictis antiquis ſedibus immigrant, quo duſque hodie fama Religionis celebre habetur.

Paradyſi Monaſterium.

A. C. 1215. Triſtiſſimo incendio totum Vinearum Cœnobium, vulgo VVeingartten, in certum quo caſu, ſuſpicio tamen eſt, factione Friderici II. Imp. exuritur, præcipuo Eccleſiæ theſauro & SS. Reliquiarum, pariter hauſto, præter SS. Chriſti Sanguinem, arcam majorem, auro argento & gemmis divitem, Patronorum ſtatuas SS. Martini & Oſwaldi argenteas, cruces

VVeingartten exuritur.

binas aureas gemmisque obsitas, paucaque alia, quæ flammis prærepta sunt. Quo quidem deplorando in casu, omni vastissimi incendii flamma illustrior Religiosorum Charitas extitit cum neglecta proprii claustri parte, de eripiendis sacris DEO sororibus, quas nimirum arctius, pro more Ordinis, inclusas, vorax jam flamma circumdederat, piè laborarent, easdemque ægre ab incendio eriperent, quam deinceps pietatem, Numen in Cœnobii restauratione insigniter remunerari visum est, etsi Bibliothecæ & alia monimenta æternis merito lachrymis deploranda sint, magno cum Universalis Historiæ, tum maximè Germanicæ detrimento 8. Cal. Aprilis.

Charitas Religiosa.

Bibliotheca exusta.

A. C. 1216. Memorabili rerum successu Beatæ memoriæ Abbas Bertholdus, adnitentibus cum sacris, tum prophanis, singulari prorsus Numinis benedictione, Cœnobium, atque inprimis Basilicam, ea dexteritate & felicitate restaurat, ut postridie S. Martini pridie Iduum Novembris à Conrado Episcopo nostro Comite ab Andechs Domino à Tegernfeldt solemniter dedicaretur. Illatæ eodem tempore S. Martini Patroni Reliquiæ, quas liberalissimè, Henricus Augiæ Divitis Abbas Comes de Calvve ejusdemque Cœnobii Fratres Bertholdo Abbati condolentes, solatio obtulerant, dilectionis Benedictinæ usque hodie illustre monimentum.

Weingarten restauratur.

Charitas Augiensium.

Laboratunt hoc tempore strenuè Diœceseos nostræ Religiosi cum Episcopo nostro Conrado, in extirpanda nova & pudenda quæ per Turgoviam, & in partibus Alsatiæ emersit Hæresi asserentium, carnium & aliorum ciborum esum, quocunque die & tempore, tum vero omnem Veneris usum, nullo piaculo contracto licitum & secundum naturam esse. Sed conjectis in ignem præcipuis auctoribus, brevi extincta est.

Hæresis eradicata.

A. C. 1217. Iterum resuscitata cum Suitensibus lite Einsidlenses Asceta graviter collisi, ope & opera Henrici Advocati componuntur, etsi nunquam non alia & alia Suitenses tentarent.

Lis composita

A. C. 1218. Moritur sub hoc tempus Henricus Presbyter in Buochs, insigni pietate & liberalitate vir cum jam ad finem Cœnobium Sanctimonialium Virginum Angelomontanum deduxisset, & ad honorem S. Andreæ Apostoli consecrare curasset, idem de Virorum ibidem Cœnobio æque meritus, inter quos denique admissus, & Monasticen professus nec multo post felici fine consummatus in Ecclesia fundati à se Monialium Monasterii tanquam Fundator sepultus est.

A. C. 1219. Turcarum & Saracenorum viribus ac dominatu nimium invalescentibus, & latè omnia occupantibus, collecto ingenti per Germaniam exercitu, Constantienses etiam cives nostri zelum & fervo-

rem

rem ſuum exerunt ſuamque præclare operam Chriſto navant, plurimis nomen militiæ dantibus, aliis opes profundentibus, ipſo Conrado Epiſcopo noſtro, Caſtra Cæſaris ſequente & ſacram militiam ſua præſentia animante.

Ipſo anno moritur Udalricus Abbas S. Galli Baro de Saxo vir præſtantiſſimus ſub cujus regimine ab Innocentio Papa B. Notkerus Sanctorum albo ſumma totius Diœceſeos gratulatione adſcriptus eſt.

A. C. 1120. Conſtantiæ, magno pauperum civium commodo ægrotum ſolatio, Xenedochium, vulgo majus dictum, pulcherrimo Nobilitatis ad omnem æternitatem monimento, à duobus maximè, priſcæ Nobilitatis civibus, Henrico de Binzenhoffen & Udalrico Blaarer, exædificatur & fundatur, fundationem paulo ante, quam ſacram expeditionem ſequeretur, approbante ſolemniter Conrado Epiſcopo noſtro. Quod deinceps Blaareri longè liberalius auxere & dotavere, velut ſuo loco adiemus.

Eodem anno nobile illud & gratum Angelis Monaſterium Angelomontanum, voraci flamma conſummitur ſub Henrico de Wattenbach Abbate, qui deinceps illud ſtrenue refuſcitavit. Mortuo Rudolpho Wolffgango de Kirngſegg Campidoni præſuli, Henricus de Fürſtenbach in Abbatia ſuccedit.

A. C. 1221. Feliciſſimè ſuccedit Friderico II. Expeditio ſacra qui opera Joannis Brenni, Hieroſolymorum Regis, haud dubie concitante Conrado Epiſcopo noſtro Anathemate ſolvitur, ejuſque filius Henricus Aquiſgrani coronatur. De Conrado noſtro quando Conſtantiam reverterit nil legimus, veroſimile toti expeditioni interfuiſſe.

A. C. 1222. Triſtiſſimus Urbi noſtræ & optimis civibus hic annus fœdiſſimo exorto incendio, in domo Ludolphi Aurificis cujuſdam exorto, quo Urbs pulcherrima fœdiſſimè vaſtata, haud multum à totalis exitii periculo abfuit.

A. C. 1223. Immoritur non ſine maximo bonorum omnium luctu reſuſcitati è cineribus Angelomontani Cœnobii ſucceſſibus Henricus de Wattenbach ejuſdem loci meritiſſimus Abbas 29. Decembris, cum jam illud ſplendori priſtino mira dexteritate reſtituiſſet, cui in honore Henricus cognomento Arnoldus ſuffectus eſt.

A. C. 1224. Veroſimile hoc anno cum Henrico Brenno Hieroſolymorum Rege Conradum Epiſcopum noſtrum è Palæſthina reducem, Romæ conatus Cæſaris commendaſſe, atque inde Conſtantiam ad ſuam Eccle-

Ecclesiam rediisse. Rudolphus S. Galli Abbas Liber Baro de Güttingen eligitur Episcopus Curiensis.

A. C. 1225. Moritur hoc anno Henricus de Burtenbach Campidonensium Princeps & Abbas, succedente in locum & honorem Henrico de Summerovv, ab Alten Summerovv, familiæ quæ deinceps de VVolckenstein Sueviæ dicta est, hodie de Prasperg appellatur, & quæ deinceps duos magni nominis Pontifices Constantiæ nostræ dedit.

A. C. 1226. Annus hic gravi & irreparabili penè clade Monasterium Deiparæ Einsidlense affecit: Basilica, extra ædem Matris Virginis (quam sua manifesta præsentia, ex tanto igne tutam præstitit, & inoffensam) Monasterioque & omnibus ædificiis per sævum & insolitum incendium eversis, & in cineres cum universa sacra profanaque supellectile redactis III. Nonas Maij. quo infortunio multa Pontificum, Cæsarum Regum privilegia sunt desiderata. Ipso anno Udalricus ex Abbate S. Galli Curiensis Episcopus ad Imperatorem in Apuliam profecturus Romæ moritur, & in Laterano sepelitur 17. Sept.

VVettingen fundatur. A. C. 1227. Iterum insigne Diœceseos nostræ fundatur Monasterium Vettingæ ad Limagum, vulgo VVettingen, à conditore Maris stella appellatum. Is fuit Henricus Rapersvillæ Comes cum Anna Hombergensi conjuge, qui locum plurimis possessionibus liberaliter dotavit.

Conradus Episc. litem ponit. A. C. 1228. Conradus Episcopus noster Constantiensis, lite suborta inter duo Cathedralia Canonicorum Collegia Spirense & Constantiense super primis fructibus Ecclesiæ Eslingensis, rem amicè componi curat, per omnia utilem se pastorem exhibens, & Principem pacis amantissimum & tranquillitatis.

Eberhardus Abb. Salem. A. C. 1229. Insigne lumen Diœceseos nostræ latè eluceset Eberhardus Abbas Salemitanus Comes de Rordorff, vir egregio vitæ exemplo & meritis clarissimus, qui gratissimam Cœlitum Reginæ Cistercienſem Reformationem plurimum promovit, suoque Salemitano Cœnobio plurimum profuit. Ipso anno Conradus Abbas Sorethanus Monasterium absolvit.

Dedicatio Einsidl. A. C. 1230. Absolvitur hoc anno resuscitatum è cineribus Einsidlense Cœnobium à Conrado Comite de Thun loci Abbate ejusque Basilica solemniter à Conrado Episcopo nostro dedicatur. Eodem anno Conradus Liber Baro de VVinterstetten novum apud pagum Baindt, pro Virginibus Cistercienſibus Monasterium molitur.

Bertholdus Abb. VVeing. obiit, A. C. 1231. Ad immortalitatis præmia evocatur Beatæ memoriæ Abbas Bertholdus Comes ab Haymburg Cœnobii VVeingartensis Restaurator maxumus, dignissimus Beati Meingosi successor, cum plurima & egregia post se se & ingenii & virtutis reliquisset monimenta, inter singularia Diœceseos

Digitized by Google

cessos nostræ sydera computandus. Ipso anno Henricus Rapersvillæ Comes mortua conjuge & unica quam habebat filia in recens à se conditum Vettingæ Cœnobium se recipit, & Monasticen professus, vitam Religiosissimè transegit, neque Abbatis munus unquam, licet maximopere, qui aderant Fratres, id precarentur, admittere voluit, sed in Domo Dei abjectus esse elegit. *Henricus Comes fit mon.*

A. C. 1232. Iterum cœlum inter sydera sua transcribit & è Diœcesi nostra abripit B. Tudecham, primam Monasterii quod dein in Baindt translatum est in Seefeldt Abbatissam, quæ solo vivens spiritu, mortificatæ carnis mirabile exemplar, plena Virtutibus hoc anno 9. Cal. Septemb. ad sponsum migravit, cujus celebris est memoria in Menologia Cistercienſi. *B. Tudechn Abbat.*

A. C. 1233. In Monasterio Einsidlensi B. M. V. Conradus Abbas ex Comitibus de Thun, valetudine adfecta, simul quia prope oculorum usum per ætatem amiserat, dignitatem ultro & sponte resignat, cum ingenti labore & sumptu duobus ex incendiis, (alterius tempus non memorarur) Basilicam & Monasterium restituisset, creatus in ejus locum est Anselmus ex Baronibus de Schvvande. Eodem anno mortuo in Rhætia Curiensi Episcopo Bertholdo ex Comitibus Montis Sancti, vel ut alii volunt Comite Helffensteinio Constantiensi olim Canonico, suffectus rursum ex Diœcesi nostra est Udalricus Kyburgi Comes, Monachus Einsidlensis. *Conradus Abb. Einsidl.* *Vdalricus Episc. Curia.*

A. C. 1234. Moritur hoc anno Conradus à se ultro exauctoratus Abbas Einsidlensis III. Id. Maij. æterna memoria dignus, & de Cœnobio suo immortaliter meritus. Quo ipso anno alter quoque Conradus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus Comes ab Andechs 6. Septemb. beatissimo fine quiescit, in cujus locum eligitur Henricus de Thann sive Tanneck, quem nonnulli è Comitibus de Thann, Waldtpurgi Dapiferis fuisse opinantur. *Moritur Conradus Epis.* *Henricus Episc.*

A. C. 1235. Amantissimus pacis Princeps, Præsul per omnia laudabilis Henricus Episcopus noster, incertum qua juris prætensione gravi bello appetitur à Godefrido & Henrico Baronibus de Neyffen, quod cum omni modo amoliri, & res componere sed frustra conaretur, nec quidquam apud Barones proficeret commendata ferventibus precibus Deiparæ, sua & Ecclesiæ causa, invitus arma corripit, & in Valle Schvveickeri festo S. Albani congredi coactus, copiis longè inferior, Dei tamen & Divinæ Matris ope viribus superior fuit, etsi potentissimos illi auxiliarios Duces Teccenses, Marchiones Burgovios, Comites ab Achalm, Hohenlojos, Aichelbergenses alioſque haberent. Pugnatum acriter est à meridie ad serum usque, hostiumque primi pili Neyffenses ipsi cum quadraginta præcipuæ Nobilitatis, Marchione Burgoviæ, Comitibus ab Achalm, & Aichelberg, Dynastis ab Haylffingen Waldenstein, &c. capti & in vincula abrepti, Benignè *Bello gravi appetitur.* *Episcopus Deipara je commendat.* *Acerrima pugna.* *Præcipui hostium capti.*

tamen ab Episcopo habiti, & rebus compositis dimissi sunt Episcopo nostro Tutelari suæ honorem & gratias debitas referente, & dein Sancti Albani diem solemnem agente. Henricus à Summerauw Abb. Compid. moritur.

PP. Dominicani Constant. Hoc ipso anno, decimo quarto nimirum ab obitu S. P. Dominici Patribus ejusdem Ordinis Constantiæ assignatus est locus pro condendo Cœnobio, ubi etiamnum visitur in quadam Rheni insula, Niderburg dicta, in qua præcipua olim & Alemannorum & Romanorum munitio extitit,

A. C. 1236. Insigniter se probant egregia vitæ sanctitate & meritis Patres Dominicani, ita ut quamprimum ultronea civium largitione, Episcopo inprimis & vicinorum Prælatorum ope structura Cœnobii in altum

Cœnobium exstruitur consurgeret, cum insigni Basilica, quæ usque hodie cernitur, multis deinceps summæ & eruditionis & perfectionis viris, locum ad miraculum cæteroquin elegantem illustriorem reddentibus & cives præclare demerentibus.

A. C. 1237. Supremus hic annus Gebhardo Orteck, ab Mayburg

Gebhardus Abb. Camp. Compidonensi Abbati & Principi, vero pauperum patri, qui sub hoc ipsum tempus grandi fame provincias nostras vexante, magnam pauperum multitudinem fovit & aluit, successit Theobaldus, aliis Theotymus Birckerus à Felsburg, insignis Campidonensis Urbis benefactor, etsi modicam ejus successoribus, cives illi gratiam referrent.

Henricus Abb. Aug. ob. Extinguitur eodem anno Henricus Comes à Callwe Augiæ Divitis Abbas summa apud Cæsares & Rom. Pontifices auctoritate cui alia inter Eugenius III. solemni edito diplomate ex speciali gratia concessit, & Romæ & in omnibus Conciliis seu Synodis proximè ad pedes Rom. Pont. considere & tenere in manu Pontificiarum Legum & Canonum &c. Successit Conradus Liber Baro de Zimmern.

A. C. 1238. Annus hic solis inusitatam defectionem habuit, tenebrasque per diem, nocturnis non impares, non sine præsagio turbarum

Solis mira defectio. & miseriarum quæ consequutæ sunt, Friderico Cæsare petulantius omnia turbante, paternasque Romani Pontific. preces ac monita susque deque habente.

Eodem anno Conradus Liber Baro de Busnang Abbas S. Galli moritur,

Conradus Abb. S. Galli. militari ingenio vir, nec multum laudatus, post quem Walterus Baro de Trutburg eligitur, etsi nonnulli alium quendam obtrusum vellent.

A. C. 1239. Opera Henrici Episcopi nostri causa inter competitores

Henricus Episc. litis arbiter. Abbatiæ S. Galli definitur, & Walterus legitime electus decernitur qui, sive contuitu damnorum Episcopatui ab Antecessoribus suis illatorum, sive recens à Neyffensibus acceptorum, Ecclesiæ Cathedrali Constantiensi ultronea & liberali planè donatione, supra mille argenti marcas (magnam tunc temporis vim pecuniarum) elargitur.

A. C. 1240.

A. C. 1240. Iterum novam Religiosorum familiam, Religiosissima Urbs nostra, Constantia admittit, octodecim ab obitu Seraphici Francisci annis, Angelicam ejusdem sobolem, quibus insigne condit Cœnobium, loco ubi hodie scholæ Teutonicæ habentur, zur Samblung vocant, subitanea primum structura ex symbolis civium cœnobiolo exstructo, quod deinceps piorum beneficio ornatius surrexit, etsi inde postea, ut dicemus viri transferrentur, moniales immitterentur. *Franciscani Constantiæ.*

A. C. 1241. Magno luctu Urbis nostræ, Fridericus II. Imp. quem cives olim nostri ab Romano commendatum Pontifice, adeo generosè contra Otthonem IV. exceperant, juverant, propugnaverant ob immania in Roman. Pontific. & Ecclesiam scelera excommunicatur & exauctoratur, civibus nostris toto quamprimum animo ab eodem aversis, aliis circumcirca in factiones discedentibus, moxque inter se collisis & hostiliter grassantibus. *Frid. II. excommunicatur.* *Fridericus deserit Constant.*

Communem mortalium viam ingreditur Henricus Arnoldus Angelomontanus Abbas 14. oct. subrogato in ejus locum VVernhero Stauffachero, qui & ipse utiliter præfuit.

Æterno Diœceseos nostræ solatio & ornamento, cusum apud se primum, & Divinitus Divo Hermanno Contracto, Augiensi Monacho dictatum Canticum, mellifluum illud *Salve Regina* cum certis officiorum horis decantari instituisset Gregorius IX. Pont. Max. feliciter moritur valituro magis apud Constantienses & proximos Augienses pro suo pondere Cantici tanti valore, quanto propinquiore ad ipsos spectat, quam ad cæteros toto orbe Christianos, quibus usque hodie adeo solemne est, cumque tanto & plausu & fructu decantatum. *Salve Regina horis Canonicis submittitur*

Hoc eodem anno Monasterium Virginum Cistercienſium in Baind à Conrado Dynasta de VVinterstetten fundatum solemniter consecrat Henricus Episcopus noster Constantiensis ipso Festo die SS. Innocentum. *Baind Mon. Virg. fundatur*

A. C. 1242. In Monasterio VVeingartensi illustre iterum Diœceseos nostræ sydus extinguitur Beatissimæ memoriæ Abbatum Meingosi & Bertholdi in onere & honore successor, Hugo Comes Montfortius seu Weidenbergius, vir de Cœnobio suo meritissimus, & Chori inprimis Monastici commendator strenuus, Jugi Monachorum pro virili bajulis, in quo ut laboris plurimum, sic & plurimum fructus commendabat. *Hugo Abbas VVeingart.*

Apud Compodoenum post Avergurum Randeccium Abbatem exauctoratum succedit Hartmannus de Müllegg ab eruditione & meritis plurimum commendatus. *Hartm. Abb. Gampid.*

A. C. 1243. Horribili incendio vastatur pulcherrima Urbs nostra Constantia, & penè ac proximè periisset, nisi singulari Numinis & Patronorum protectione & precibus servata fuisset, quod alii triennio ante *Incendium Constantiæ.*

Digitized by Google

retulerunt, etsi & aliud esse potuerit.

A. C. 1244. Res mira, tantis syderibus perpetuo colluxisse Diœcesim nostram, ut inde semper raperet quod suis Cœlum Empyreum accenseret. Rursus hoc anno terris invidit B. Annam B. Tudechæ discipulam in Baindt Virginum Cisterciensium prope Weingartten Abbatissam exequestri Dynastarum de Franckenhoffen familia oriundam, cujus memoriam celebrat Cistercienſe Menologium, pridie 9. Martii.

B. Anna Abbatissa.

A. C. 1245. Memorabili exemplo demissionis & integerrimæ resignationis attractus vitæ sanctioris in Urbe nostra exemplis RR. PP. Prædicatorum sive Dominicanorum, Waltherus Baro de Trudtpurg Abbatia Sangallensi sese abdicat, & Dominici in Urbe nostra ordinem amplectitur.

Waldberg. Abb. S. Galli; fit mon. Ord. Prædic.

A. C. 1246. Post VValtherum Baronem de Trudtburg, S. Dominici Ordinem professum communibus Sangallensium votis Abbas & Princeps eligitur Bertholdus Liber Baro de Falchenstein animo non minus quam genere generosus, cæterum Romanæ Ecclesiæ non minus, quam Episcopus noster fidus, unde neque à Friderico neque à Conrado hujus filio confirmari voluit, sed ab Henrico Thuringiæ Landtgravio, electo Cæsare, confirmationem impetravit.

Bertholdus Abb. S. Galli

A. C. 1247. Etsi Augia Dives, eodem quo Episcopus noster, & Sangallensis respiceret, Ulma tamen Augiensium civitas aperte Friderico & Conrado excommunicatis favit, & incredibili Catholicorum luctu, Henricum Thuringum non solum exclusit, sed & sagitta trajectum, cum dysenteria accessisset, è medio sustulit.

Ulma hostis Imp. Henrici Thuringi.

A. C. 1248. Evocatur mortali è vita ad immortalem Henricus Episcopus noster de Thann sive Tanneck cum annis 14. summa cum laude præfuisset, Diœcesim & Cathedralem Ecclesiam locupletasset, & insigne Dominium Tanneck adjecisset, ejusque arcem seu castrum condidisset, sepultus est in Cathedrali, secundum quem Eberhardus Dapifer à VValdtpurg Episcopus est designatus.

Henricus E. piscopus post mortem.

A. C. 1249. Inquietæ res nostræ toto Imperio diversa spectante & ægrè quisque suum tuebatur, dum infiniti alienum expeteret, & ut quisque ad factiones inclinabat, quasi Belli jure suum vellet. Collisi similiter Episcopus noster & Sangallensis Abbas. Quæsita utrinque in bellum auxilia, delectus habiti, cumque utrique vires superesse ad Victoriam viderentur, prælii loco ac die constitutis, re inopinata Rudolphus Comes Rapertsvillensis, saniora suasit, tantumque potuit, ut sanguini parcerent, nec Imperium & patriam cæteroquin turbatissima magis turbarent pace & amicitia inter Principes dextertimè conciliata.

Barbatæ Imperii.

Episcopus & Sangallensis collisi.

Compositi.

A. C. 1250. Constantiæ, invalescente civium erga familiam S. Franciſci

ciſci amore, multiſque civium tam ſanctum Ordinem ex utroque ſexu ambientibus, viſum etiam muliebri ſexui condere in Urbe Cœnobium, & quia pro viris, minus & commodus & amplus deprehenſus prior locus, hic muliebri ſexui aſſignatus eſt, & ampliſſima alia viris aſſignata area, in platea, quæ poſtea primum ab ipſis *Fratrum* cognominata eſt, ubi uſque hodie viſitur. Conditorem præcipuum ſeu Benefactorem egit, illuſtris quidem Baro de Grünenberg, civibus, pro ſuâ, ut quiſque poterat, facultate, concurrentibus. *Virginum S. Franciſci Cœnobium.* *Fratres translati.*

Ipſo anno Eberhardus Epiſcopus noſter Conſtantienſis, à civibus pratum illud coemit, in quo poſtea arcem Gottlieben condidit.

A. C. 1251. Sub hoc tempus Joannes Dynaſta de Ravenſpurg Eques Auratus cum Patrum Dominicanorum Conſtantiæ Cœnobium liberaliter dotaſſet, ibidem optima cum voluntate Dominæ conjugis ſuæ Gutæ ab Angelburg Monachum profitetur. Guta vero cum conſenſu conjugis avitam arcem ſuam ad id ipſum concedentis, Cœnobium Virginum ejuſdem Ordinis Lövventhalenſe prope Hofam & Buchornam condit, ibique cucullum amplexa, Rectrix ejuſdem prima, ſeu Prioriſſa efficitur. *Ioan. de Ravenſpurg fit. Ord. Dominic.* *Lövventhal Cœnobium.*

Eodem anno Eberhardus Conſtantienſis Epiſcopus Monaſterium in Zurzach à Burcardo Divitis Augiæ Abbate, pro trecentis & decem argenti marcis emit, quod antea membrum Augienſe erat, & inſigne illic Collegium Canonicorum condit. Idem Caſtrum Gottlieben, inſigne ſui erga Deum amoris monimentum exſtruere incipit. *Zurzachium.*

A. C. 1252. Sorores Ordinis Benedictini Conſtantiæ, loco dicto *Zum Eaar*, quinquaginta annorum ſedulâ Oeconomiæ procuratione, tantum effecere, ut à Nobili quodam de Veldbach avitam ejuſdem nominis arcem emerent, & Abbatiam illio ſub Patrocinio Apoſtolorum Principis conderent, quo etiam, conſentiente Eberhardo Epiſcopo, majoris quietis ergo, ex Urbe emigrarunt. *Benedictinæ Virg. Conſtantiæ.* *Emigrant Veldbacum*

Eundem locum deinceps Sorores zum Thulenbrunnen dictæ à Veldtbacenſibus ementes inſigniter adornarunt Dominicanum Ordinem profeſſæ, qui locus uſque hodie Sancti Petri dicitur. *Monaſterium S. Petri.*

A. C. 1253. Tantus fervor cum civium, tum vicinorum animos invaſit ab egregiis Patrum Dominicanorum exemplis, ut non ſatis haberent, duo ejuſdem Ordinis Cœnobia condidiſſe, vellent & tertium habere, quapropter ſumma Religioſiſſimæ Urbis gratulatione, collatis Symbolis Tertium pro ejuſdem profeſſionis Virginibus in Zofingen dictum exſtructum eſt, locum pro iiſdem coemente Canonico quodam Cathedralis Eccleſiæ Conſtantienſis. *Monaſt. in Zofingen.*

Ipſo anno tertium jam intra paucos annos periclitata civitas noſtra eſt, *Conſtantia incendium.* parumque abfuit, quin conſpirantibus ab utroque lacu ventis, tota incendio con-

consumeretur 8. Martij incertum quo casu primum accensa. Ipso anno post Hartmannum de Mülleck Campidoni Abbatem extinctum succedit Ulricus Nerlinger à Wurmberg, ab eruditione non minus quam pietate commendatus.

Engelberg Virginum. A. C. 1254. Eberhardus Episcopus noster Constantiensis Dapifer Waldpurgius solemniter consecrat Monasterium Virginum Benedictinarum Angelomontanum in Helvetia, ad instantiam Waltheri ab Iberg Abbatis in cognomine Virorum Cœnobio, quo ipso tempore, memoratus Episcopus simul semelque duas & quadraginta Virgines memorabili numero Deo ibidem consecravit.

Monaster S. Elis. A. C. 1255. Moritur Conradus Liber Baro à Zimmern Abbas Divitis Augiæ alter fundator Cœnobii Virginum S. Elisabethæ in Urbe sua Ulmensi sacri, quod postea Seffingam translatum est, & hodie plurimum floret nomine disciplinæ successit in Abbatia Burcardus Baro ab Hövven.

Monasterium ad Angulum. A. C. 1256. Hoc anno Heremita quidam & Monachus Salemitanus nomine Henricus Frinck, auxiliis Bertholdi Comitis à Sancto Monte fundum liberaliter conferente, Monasterium quoddam Diœceseos nostræ condit, in honorem SS. Joann. Bapt. & Catharinæ Virginis, in Umbilico Montis Sanctorum, vulgo ad Angulum dictum, Ordinis Cisterciensis, &c.

Duo electi Cæsares. A. C. 1257. Magna rerum confusione à morte Guilielmi Hollandi Cæsaris, dum odio & invidia distracti in diversa Principes, alii Richardum Anglum Cornubiæ Comitem Regis Angliæ fratrem, alii Alphonsum Sapientem Castellæ Regem ad Imperium Rom. capessendum invitant, ad Alphonsum qui electionem ejus enunciarent, Eberhardus Episcopus noster Constantiensis, cum Bertholdo S. Galli Abbate mittitur, qui horum, cæterorumque Principum de se opinionem magna alacritate amplexus, quo minus se statim iisdem adjungeret, bello cum Mauris suscepto præpeditus fuit.

Episcopus noster legatus.

Constantia felicitas. A. C. 1258. Constantia nostra non una sed pluribus lucidissimis stellis collucet, dum nova Seraphici Ordinis sydera, & candidi Dominicanorum Patrum Ordinis lumina, quinque nova tam virorum quam mulierum implentes Cœnobia cœlo ipso applaudente sancta certant æmulatione, & subinde illuminatissimi utriusque Ordinis Generales, alios & alios, accedendo sacro fervori, subsidio mittunt, absolutissimæ exemplaria perfectionis, quibus Urbs nostra & cives mirificè ad pietatem excitati sunt.

Wurmspach fundatur. A. C. 1259. Iterum novum Diœceseos nostræ Cœnobium, sanctimonialium Cistercienſis Reformationis ad lacum Tigurinum Wurmspacense nimirum haud procul Rapersvilla, à Rudolpho Rapersvillensi Comite

mite fundatur & ex consensu Mechtildis conjugis & Vincentii filii IV. Id. Oct. liberaliter dotatur. Idem hoc ipso tempore Bollingam antiquum tempore Sancti Meinardi Monasterium è ruinis & ruderibus instaurat, & sanctimonialibus Præmonstratensis Ordinis tradit V. Id. Decembris. *Item Bollinga*

A. C. 1260. Eberhardus Episcopus noster Constantiensis, pro quingentis & duabus argenti marcis emit Præfecturam Clingen, cum oppido Clingenavv pro mille & centum marcis à nobili viro Walthero de Klingen. Item Tegerfeld pro 160. marcis, & Neukirch à Baronibus de Krenckingen, pro 350. marcis, sed & Bottenhausen ab Hiltpoldo de Steckboren pro marcis trecentis, quæ omnia ad hunc annum referunt MSSti. Archivi Cathedralis à Mangoldo citati. *Eberhardi Episc. merita.*

A. C. 1261. Moritur Rudolphus Comes Raperswillæ cum Vincentium juvenem filium ad immortalitatem præmisisset, ipse dissimillimus Rudolphi illius qui tam sacrilege bona Deiparæ ejusque clientum Einsidlensium tractasset, luentibus nihilominus totius familiæ interitu posteris, singulari tamen Numinis gratia, sera liberalitate in Religiosos, viam sibi ad felicem immortalitatem sternentibus, qui enim posthumus Rudolphó natus est filius, tantæ familiæ ultimus extitit, tota & amplissima hæreditate ad Haspurgios, & Hombergios Comites devoluta. *Rudolphus C. Raperswilla ob.* *Pœna peccati*

Ipso anno postridie S. Magni, incertum quo casu, fœdo incendio totum ferè Campidonense Cœnobium in cineres collabitur. Pessimo exemplo, nec pridem sub hoc tempus Romæ damnato, dilatandæ potentiæ intentus, Augiam adjungere Episcopatui allaborat Eberhardus Episcopus, jamque effecerat, ut Burcardus Abbas Liber Baro ab Hövven Abbatiam sibi cederet, verum Bertholdus S. Galli Abbas tantum Romæ potuit, ut Abbatia Episcopo eriperetur, & Albertus de Romstein Liber Baro, Sangallensis Monachus Abbas institueretur, quod sequenti anno contigit. *Incendium* *Eberhardi Episc. ambitio.* *Pluralitas beneficiorum damnat.*

A. C. 1262. Coactus cedere Augia Eberhardus Episcopus & pluralitatem beneficiorum suomet voto damnare, multo deinceps ferventior in sua Sparta ornanda fuit, quæque ad Cathedralem inprimis Ecclesiam facerent ante omnia curæ habuit, sacra lypsana, auro argento, gemmis vestiit, pretiosas sacras vestes esse voluit, plura altaria erexit, Beneficia ut vocant auxit, egregium per omnia Episcopum se comprobavit. Præfecturam Stein à Conrado Montis sancti Comite, ab Ulrico de Bodman, arces Bodman prope Bomgarten & Summerovv, nec non Præfecturam Lagnovv, emit. Multa sane & memorabilia præstitit. *Idem Episcopus Ecclesiam ornat.* *multa comparat.*

A. C. 1263.

Digitized by Google

Conradus Abb. VVeing.

A. C. 1263. Inter ſplendidiora Diœceſeos luminaria inſigni fulgore eluceſcit Conradus Dynaſta de Wagenbach Abbas Weingartenſis Præſul laudatiſſimus, de quo ſynchronos ſcriptor: *Quo domini adornatus virtute, omnium ſubditorum ſuorum in ſe provocabat affectum, &c. Fuit enim, inquit, benevolus, largus, munificus, patiens, compatiens, pius, miſericors, humilis, pudicus, ſobrius, continens & quietus, &c.* Nec minus à dexteritate in Oeconomicis & ſingulari prudentia commendatur.

Arnoldus S. I Blaſii Abbas.

A. C. 1264. Ad Divi Blaſii Hercinię proſperi rerum ſucceſſus ſub Arnoldo Barone ab Hohenſchvvanden Abbate, viro inter ſingularia decora Diœceſeos memorando, admodum munifico & felici admodum Oeconomo, ſed & Rhenaugię ſub Abbate Barone de Krenckingen res proſperæ, illuſtriſſimi nominis viris certatim in variis Monaſteriis Monaſticæ vitæ ſe devoventibus.

Epiſcopatui conſulit Eberhardus Epiſc.

A. C. 1265. Eberhardus Conſtantienſis Epiſcopus, totus in bono Epiſcopatus promovendo eſt, rurſum varia coemit, multumque Rationes & reditus ſuæ Eccleſiæ adauget, ſub hoc autem tempus decimas in Winterthur ab Hartmanno Kyburgi Comite emit, ſed & Decimas in Uberlingen à Pincernis de Winterſtetten, Præfecturam in Raynhaim ab Eberhardo Barone de Lupffen, prædium in Frickingen ab Anſelmo Barone de VVildenſtein, ejuſdemque nominis præfecturam à VVernhero de Raderauvv comparat, ut nemo ſatis Principis hujus ſolertiam miretur.

Plurima coëmit.

Conradus Abb. VVeing.

A C. 1266. Non ſine magno ſubditorum & vicinorum luctu moritur Conradus Abbas VVeingarttenſis Taparcha de VVagenbach, pro inſigni humanitate & in omnes munificentia toti provinciæ Venerabilis, cui communibus Patrum votis ſucceſſit Hermannus Dynaſta de Biechtenvveyler, Dominorum à Ravenſpurg & Ibach conſanguineus, vir & ipſe præſtantiſſimus. Extinguitur eodem anno & aliud Diœceſeos noſtræ præclarum ſydus Anſelmus Baro de Schvvanden Einſidlenſis Abbas, Antiſtes ſui temporis præcellentiſſimus, Pontificiæ dignitatis, ſuique Monaſterii libertatis propugnator acerrimus, poſt quem Udalricus Baro de VViniden Abbas creatus eſt.

Item Anſelmus Abb. Einſidl.

VValtherus I Abb. Engelberg.

1267. VValthero ab Iberg ſuccedit in regimine Angelomontani in Helvetia Cœnobii VValtherus de Chamo, primæ Nobilitatis, magnique nominis vir, probataque Virtutis, cujus tempore multæ ſplendidiſſimæ virtutis faces in utroque tam virorum quam mulierum Cœnobio, ſummo Diœceſeos noſtræ ornamento; colluxere.

NB. *Incendium ponatur A. 1270*

A. C. 1268. Terribili rurſus incendio Conſtantia noſtra miſerè vaſtatur, quo in ædibus civis cujuſdam Goeti exorto ſupra centum ædes conflagrarunt. Eodem anno tanta ventorum immanitas Urbem noſtram concuſſit, ut arbores maximas eradicarent, & tecta plurima ædibus dejicerent.

Reli-

Religiosissima sanè Civitas Constantia, non contenta à paucis annis (præter vetustiora plura) quinque Ordinis PP. & sororum Franciscanorum & Dominicanorum construere Cœnobia, hoc anno etiam sextum adjicit Patrum Augustinianorum, cum chorda, sive Heremitarum, in platea quæ latronum cum tempore dicta est, eo quod proditione detecta, eo loci, qui invaserant urbem intercepti, obtruncatique perierint. *Monast. Heremit. S. August.*

Moritur eodem anno Ulricus Neilinger, à VVurmberg Abbas Campidonensis, qui S. Thomam Aquinatem hospitio excepit, ut & Henricum VI. Imp. qui triduum cum ipso mansit, auctorque eidem fuit, turris geminæ (quod unam solummodo Divæ Hildegardæ sacram struxisset) Ludovici conjugis honori & nomini exædificandæ. Successit Eberhardus Burgberger. *S. Thomas Aquinas Campidoni. Gemina turris*

A. C. 1269. Turbatissima circa urbem nostram omnia, Conradino Sueviæ Duce cæso & Neapoli decapitato, sola Constantiæ securè, direptionem, incendia, infinitas injurias vicinorum spectante & miserente, Helvetia non minus quam Alemannia arma corripiente, cum totam pene adversum Basileensem Episcopum Rudolphus Habspurgius concitaret, & Germania sub bicipiti Aquila, duobus Cæsaribus vix in pedes consisteret. *Conradinus decollatus.*

A. C. 1270. Nunc primum tristissimum Urbis nostræ memorandum incendium, quod supra centum ædes devoravit, quod nos, & alii, perperam biennio ante posuimus. Abbas S. Galli Bertholdus, Baro de Falcostein, post multa varie, & magnam partem pro defensione Rom. Pontificis gesta, valida infirmitate prosternitur, Princeps maximæ auctoritatis, multis tamen invisus, qui interregni tempore omnia licere arbitrati, meritas flagitiorum pœnas Bertholdo dependerunt. *Incendium Constantiæ. Bertholdus Abb. ægrotat.*

A. C. 1271. Extincto, hoc anno Bertholdo, aliis Ulricum Guttingæ Baronem, aliis Henricum à Warttenberg eligentibus, graves cõtroversiæ. Huic plerique Ascetæ & Eberhardus Episcopus illi amici, & cives & Ramschvvagii inprimis ac Gielri, atque insuper Rudolphus Habspurgius assistebant. Hinc clades variæ & incendia, exusto etiam Episcopi cellæ oppido & Novo Ravenspurgo, Constantiensibus Episcopi sui damna lugentibus, etsi bello huic sese minimè immiscerent. *Moritur. Studia partium.*

A. C. 1272. Etsi Episcopum nostrum haud leniter adversarii premerent, deserere tamen causam Henrici VVarttenbergii non ausus, damna haud levia hoc anno tulit, sed & aliis intulit, deprecantibus negotio se immiscere Constantiensibus, interim quaqua versum incendia, cædes agrorum vastationes intuentibus, suæque Urbi, nequid ab æmulis pateretur sedulo caventibus. *Episcopus noster Henrico favet.*

A. C. 1273. Memorabili plausu Diœceseos nostræ Sacri Romani Imperii corona, præter omnium opinionem in expectato Rudolpho concivi *Rudolphus fit Imp.*

Digitized by Google

noſtro Comiti Habſpurgio decernitur, uti jam aliquot ante annos cognata ejuſdem Faræ Monialis eidem prædixerat, ob reverentiam Venerab. Sacramento exhibitam, ipſi & poſteris à Numine decretam, cum equo deſcendens hunc Sacerdoti offerret, tantam conſequutus deinceps in poſteris benedictionem. Ipſo anno, antequam Rudolpho tanta obtingeret dignitas, auxilio eidem veniens contra Baſileenſem Epiſcopum Udalricus Sancti Galli Abbas, in odium Eberhardi Epiſcopi, ſuburbium Conſtantienſe Stadelhoffen repente invadit, & hoſtiliter exurit, quod Epiſcopus æmulo Henrico faveret, ſuburbio illo necdum muris cincto, civibuſque nil tale metuentibus. Cæterum hoc anno, non multo poſt, Henrico mortuo Udalricus Abbatia quiete potitus eſt, & inimicitiæ deinceps utrobique deſiere.

Abbas S. Galli ſuburbium Conſt. exurit.

Moritur Eberhardus Epiſc.

A. C. 1274. Supremus Eberhardo lectiſſimo Epiſcopo noſtro hic annus fuit, quo 19. Febr. placidiſſimè in Domino obdormiit, de Epiſcopatu ſuo ſi quis unquam alius longè meritiſſimus, in cujus commodum 7236. Marcas argenti è ſuo Patrimonio impendit, & præter Dominia & poſſeſſiones ſupra memoratas, Eckenberg ab Equite de Kürneck, cum pertinentiis, curias aliquot in Neukirch à Friderico de Randenberg & Jacobo de Schaffhuſen, ab aliis autem diverſa & plurima emit, ſed & ad Epiſcopatum olim ſpectantia multa redemit, Pontifex dignus genere ſuo & memoria ſempiterna, cui in Epiſcopatu ſuffectus eſt, magna Epiſcopatus utilitate Rudolphus Comes Haſpurgius, novi Cæſaris patruelis. De utroque pervetuſti hi verſus:

Poſſeſſiones Epiſcopi.

Rudolphus Haſpurgus Epiſc.

In Alemannia duorum fratrum filii uno nomine
In ſpatio unius anni exaltati ſunt, unus in Regem
Romanorum, alter in Epiſcopum Conſtantienſem.
Sunt duo Rudolphi patrueles conſignati
Ad regimen diſpar mirabilis ordine ſuti
Romam Rudolphus Rex, Te Conſtantia munit
Præſul Rudolphus, amboſque ſibi DEUS unit,
Rex Romæ, Præſulque tibi Conſtantia tali
Omen nunc primum datur eventu ſpeciali
Iſta duo mira ſpatium facit unius anni.

Rudolphi duo Cæſar. & Epiſc.

Ipſo anno datis Thuregi litteris Rudolphus I. Imp. Udalricum Einſidlenſem Abbatem S. R. I. Principibus accenſet.

Primus Principi Einſidl.

A. C. 1275. Moritur Udalricus Liber Baro de Güttingen Abbas S. Galli 14. Febr. amiciſſimus Cæſaris Rudolphi, quem & Rudolphus contra Sangallenſes foverat & juverat, ſuccedente eidem fratrum calculis Rumoldo Barone de Ramſtein, qui, uti & plerique Monachorum, & Udalrico & Rudolpho, plurimum erant adverſati, adeo ut deinceps minus ſemper benevolum habere Cæſarem viderentur.

Vlricus Abb. S. Galli.

A. C. 1276.

Digitized by Google

A. C. 1276. Suum pro Eccleſiæ Conſtantienſis ſibi creditæ commodo ſtudium declaraturus, Rudolphus Epiſcopus noſter, ex bonis ſuis Patrimonialibus, Arbonenſe oppidum (Arboris felicis olim dictum) cum pertinentibus, à Marquardo de Kemnaten Nobili Equite, ſuburbia vero emit ab Udalrico de Bodman nobiliſſimo Heroe, Raderach inſuper caſtrum pro quatuor marcarum millibus comparat, cum omnibus eo quoque ſpectantibus, multaque alia paſſim coemit longè majora facturus, niſi optimos conatus ingruentes belli turbines involviſſent ac depreſſiſſent. *Conradi Epiſc. ſedulitas.*

Ipſo anno Templum S. Joannis Baptiſtæ in Urbe noſtra Conſtantienſi nobili Canonicorum Collegio exornatur, & Collegiata, ut vocant, fit Eccleſia opera & liberali fundatione Henrici de Klingenberg, Præpoſiti ad S. Stephanum, qui & primus S. Joannis fit Præpoſitus. Moritur Walthetus de Chamo Abbas Angelomontanus laudatiſſimus die 3. Febr. ſuccedente Arnoldo de Wyle, *Abbate Bono*, ut loquitur vetuſtiſſimum Chronicon, *Fideli, & Prudente.* *S. Ioannis Eccleſ. Colleg.* *Arnoldus Abb. Engelb.*

A. C. 1277. Hyems gelidiſſima, qua totus lacus Acronius ſive Bodamicus gelu concretus glacie riguit. Quadrageſimalis autem jejunii tempore, inaudito terræ motu provincia contremuit, & Urbs noſtra duodecies terribiliter concuſſa fuit, annus tamen feliciſſimus & fertiliſſimus extitit, ita ut Conſtantiæ lectioris frumenti modius 12. crucigeris, modius ſiliginis 10. vel 8. ß. omnia omnino viliſſimo pretio venderentur, durante hac anno- *Fertilitas mi-* næ vilitate biennium totum, omnibus non tantum in copia ſuppetentibus, *ra.* ſed & ſupra omnem hominum memoriam, ſapore & præſtantia quadam ſingulari excellentibus, frumento æque ac vino, carne & fructibus univerſis. Carnis bovinæ libra ß. 1. ſuillæ 3. vini nobiliſſimi menſura 3. vel 2. ß. vendebatur. Udalrico Einſidl. Abbati mortuo ſufficitur Petrus Baro à Schwande. *Hyems gelidiſſima.*

A. C. 1278. Grandi bello, innocens involvitur optimus noſter Epiſcopus Rudolphus, Tutor Rudolphi Junioris, ſui ex fratre Godefrido nepotis, Alberto Cæſaris filio eam ſibi tutelam ambiente, ad quem nullo modo ſpectaverat. Nec ſuum quærebat commodum Epiſcopus, ut æmulus quærere, videbatur. Inde in furorem verſus Albertus, adverſus cognatum, & Chriſtum Domini ſanctioris notæ Epiſcopum arma corripere non verebatur, moxque turbata circum Conſtantiam omnia, magno Epiſcopatus & Urbis noſtræ incommodo, priuſquam Pontifex noſter & ipſe tutelæ inculpatæ arma corriperet, & in ſubſidium amicos, & fideles ſubditos congregaret. *Bello appetitur Epiſcopus noſter.* *Auxilia quærit.*

A. C. 1279. Iterum terræ motus graviſſimus Helvetiam & Sueviam acriter concuſſit, multa ædificia dejecit, & maxima damna fecit. Rumoldus S. Galli Abbas Baro de Ramſtein majoris quietis ergo Abbatiam *Terræ motus.*

resignat succedente in ejus locum Wilhelmo Comite Montfortio, Habspurgii non minus, quam Antecessor odioso.

Wilhelmus Abb. S. Galli.

A. C. 1280. Insigniter rerum sui Pontificis satagunt Constantienses, inque societatem Tigurinos concitant, inter confœderatos etiam Episcopi dant nomen VVilhelmus S. Galli Abbas. Rudolphus Montfortius, Hugo Scherensis, & Mangoldus Nellenburgensis Comites. Alberto aderant Hugo V. Verdenbergius Reineccii Dominus, Rudolphus Saragaunensis, Argoviæ & Alsatiæ Urbes aliique Magnates, ita nemo uspiam, nec domi quidem suæ securus, cædibus, rapinis, incendiis alternatim grassantibus, dum optimus Episcopus frustra pacis media quæreret & Albertus, jus omne suum in ferro poneret.

Bellum Episc.

Hoc eodem anno, cum fortè Abbas Petrus festo die S. Osvvaldi, Opidi Patroni, Tugium ad illam, quæ quot annis fieri solet, magna accolarum frequentia supplicationem religionis causa ex suo Einsidlensi Cœnobio veniset, eaque peracta in Deiparæ Matris antiqui oppi Sacello, cum multis aliis pietati intenderet, inter sævissima tonitrua de cœlo tacta ædes sulfure fumo & vapore, non solum ipsum, sed plures alios exanimavit 9 Augusti, qui præsul singulari virtute fuisse scribitur, in cujus locum Henricus ex Baronibus de Güttingen electus fuit.

Casus miserabilis Tugii.

Henricus Abb. Einsidl.

A. C. 1281. Fervet bellum Constantiense, sive potius Alberti Habspurgii cum Episcopo nostro, gravi sane & continua nunc istorum nunc illorum clade & eversione, sed & non meliore eorum fortuna, qui alterutri parti aderant. Nec minora reliqua etiam Diœcesi mala Rudolpho Imp. Bernates, Tigurinos alioque armis castigante, qui bello Bohemico sibi adesse detrectaverant.

Continuatio belli.

A. C. 1281. Rudolphus I. Imp. invisit devotionis gratia ad SS. Lateris Christi sanguinem, & interfuit consecrationi altaris Omnium Sanctorum, ubi & alias SS. Reliquias veneratus est, è quibus plures, diversæ ab illo Lateris Dominici, SS. Sanguinis sub cruce collectæ à M. Magdalena, portiones quarum aliquid meruisse videtur. Post cujus discessum infra Octavam Apostolorum Petri & Pauli tertia die, cum magno Comitatu eodem occurrit ejusdem conjux Augusta, *& cum decenti honore* (ut vetus MStum. habet) ab Abbate Hermanno suscipitur, & cuncto thesauro SS. Sanguinis Christi & Reliquiarum viso, ducitur in triclinium in extrema parte palatii ædificatum, ubi discumbens epulari cœpit cum sequentibus: Mechtilde Ducissa Bavariæ, Agnete Ducissa Saxoniæ, Guta Regina Siciliæ, Clenita Reginæ Ungariæ Catharina & Halevvige filiabus, & Rudolpho fratre ipsarum &c. quæ pro comitatus dignitate inferendum censuimus.

Rudolph. I. Imp. in VVeingarten.

SS. Sanguinis Christi.

Augusta Imp. comitatus.

Fuit eadem occasione prædictus Imp. cum conjuge in Augia Minore cum Anna conjuge, & quod paupertinum etiam Canonicorum Præmonstraten-

Augia Minor dotatur.

ſtratenſium Collegium eſſet, uterque liberales admodum ſe præbuere, ita ut pro ſecundis Fundatoribus habeantur.

A. C. 1283. Miſerabili denuo incendio Urbs noſtra Conſtantienſis graviter periclitatur 14. Febr. flamma ſæviſſimè invaleſcente & ſexaginta civium ædes, intra breve temporis ſpatium abſumente. *Incendiũ Conſtantiæ.* Ipſo anno nimium perurgente Abbatem S. Galli Alberto Auſtriaco & VVilam obſidente, reſtituitur componitur, ut Abbas Cæſarem Herbolſteinam tunc obſidentem convenire juberetur, promiſſa venia & gratia eſt, ſi Ibergam arcem ſuam traderet, unde Tockenburgius cogeretur ſed abnuit, graviter offenſo Cæſare à quo inter rebelles eſt declaratus. *Abbas S. Galli in diſgratia Cæſ.*

A. C. 1284. Eberhardus de VVolmatingen olim Abbas Salemitanus, vir præſtans admodum mortalitatem exuit, cum octennio ante Abbatiam ſponte reſignaſſet. Triſtiſſimo incendio Cœnobium S. Georgii Iſnenſe, cum tota civitate exuritur, ſub Abbate Henrico de Brunavv, qui illud præclare reſtituit. *Iſna exuritur*

A. C. 1285. Ingenti mole, ſumptu, arte magnificentiſſimam ac pene incomparabilem Salemitani Cœnobii molitur Baſilicam Udalricus de Selfingen ejuſdem loci præſtantiſſimus Abbas, Fratribus converſis totum opus in ſe ſuſcipientibus, & mira induſtria atque dexteritate perficientibus, in qua viginti octo altaria elegantia, & duo organa Muſica conſtituere, nemine non ſtructuram admirante, & ſummo opere commendante. *Baſilica Salemit.* *Converſorum Labor.*

A. C. 1286. Magna conſternatione tot provinciarum, in cauſa ſane minus laudabilis proſequitur omnem hoſtilitatem contra Epiſcopum noſtrum, ſuum tertio gradu conſanguineum, nihil unquam iniqui admittentem, Albertus Auſtriæ Dux, & innocentiſſimos Diœceſeos homines Deiparæ Eccleſiæ proprios, cæde, rapinis incendio vexat; affectans propriæ utilitatis cauſa cognati juvenis Tutelam, necdum cogitans, quantum ſibi exitii ex tutela ſui ex fratre nepotis, immineret *Albertus Habſpurg. juratus Epiſc. hoſtis.*

A. C. 1287. Rurſus ingens Urbi noſtræ Conſtantienſi ab exorto ſubitum incendio periculum, Deo & ſolertia civium flammas compeſcentibus poſtquam viginti quatuor ædes civium in cineribus conſedere. *Incendium Conſtantiæ.*

A. C. 1288. Iſnenſe Cœnobium, quod ſupra exuſtum fuiſſe cum tota Urbe diximus ab Henrico de Brunauvv Abbate inſigniter cum Baſilica S. Georgii reſtauratum Chuno Tullenſis Epiſcopus ſolemniter conſecrat, annuente procul dubio Epiſcopo noſtro, quod ipſe ſibi in Suevia tutus non eſſe videretur. *Iſnenſ. exuſtum reſtauratur.*

October, November atque December menſes, præter naturæ ordinem æſtivi, tanto quidem calore, ut Conſtantiæ juvenis ipſis Natalitiis Chriſti feriis in lacu Bodamico & Rheno, non aliter atque Julio & Auguſto men- *Color hymis mirus.*

mensibus balneando se recrearent, Virgines violis & verbasculo serta necterent. Alii in annum sequentem rejecere.

Æstas pluvia. A C. 1289. Æstas pluvia, abysso quasi abyssum invocante, & talis inundatio fluminum, extuberatio & excretio lacus Potamici ut continentem omnem, & paulo post montes superatis non paucis collibus conscensurus videretur, omnibus quæ in ora maritima extabant absorptis demersisque. *Inundatio.* Continuatur Alberti Austrii cum Episcopo nostro bellum nemine exterorum Principum, ut decebat, pacis satagente, multis distractas Habspurgiorum vires gratulantibus.

Grandinis lapides. A. C. 1290. Incredibilia penè sunt, quam grandia de grandine & tempestatibus hujus anni memorent Chronologi Veteres MSSti. quæ pro indubitatis venditant. Certe in propinquis Constantiæ partibus, lapides cœlo cadentes sex marcarum pondus exsuperasse scribunt. Alii (quos penes fidem esse jubemus) in Comitatu Talfingensi, omne in pascuis pecus prostratum peremptumque & supra mille homines occisos, repertos lapides aliquot *Res pene incredibilis.* quibus portandis vix duo homines sufficerent.

A. C. 1291. Irritati implacabili Alberti Austrii in suum Episcopum odio Constantienses & Wilhelmus S. Galli Abbas, oppidum Buchornense, *Buchorna expugnata.* mercatura & opibus tunc florentissimum Alberto obnoxium armis repente obruunt, expugnant, diripiunt, incendunt. Præda opima fuit, vini frumentiq; ingens abducta copia argenti marcæ octies mille. Nec inultum sinens Albertus paulo post Nellenburgum & Willam oppidum expugnavit & diripuit.

Moritur Rudolph I. Imp. Ipso anno moritur Rudolphus Imp. Austriis quam primum Styriisque ab Alberto deficientibus; quæ res civium nostrorum animos plurimum excitavit.

Adolphus Nassovius Imp. A. C. 1292. Magno nostrorum plausu eligitur Adolphus Nassovius Rom. Augustus, nostris rem suam & Episcopi promoventibus, Alberto Austriæ motibus se impeditum plurimum dolente, quam fortuna Nassovii magis vexabat, quam successus nostrorum, omnia quæ Episcopo eripuerat armis repetentium & evincentium.

Confœderati pro Imp. Confœderatione inita contra Albertum Austrium, pro Imperio futuræ, junguntur Urbes Constantia & Tigurum, Abbas S. Galli & Comites Rudolphus de Montfort, Hugo de Scheer, & Mangoldus de Nellenburg. Tigurini manente Adolpho Cæsare, non expectatis auxiliis Episcopi nostri Vitodurum aggressuri, dum ocscitantius agunt, à Vitoduranis repente oppressi, plerisque interfectis, cum Alberto deinceps paciscuntur.

Henricus Episc. Const. A. C. 1293. Incredibili Constantiensium luctu Rudolphus Habspurgius, exitâ vitâ Pontifex, ærumnis insuper ab tot injuriis confectus diem suum obiit, in Choro Cathedralis Basilicæ sepultus, plurimum exemplo vitæ & industria suæ Ecclesiæ profuturus, nisi bella obstitissent. Suffectus Henricus

Digitized by Google

eus à Klingenberg Rudolphi Regis quondam Cancellarius, & tum Episcopus Frisingensis, à minori parte Capituli, pluribus in Fridericum Comitem Zolleranum consentientibus electus hoc, nequid turbarum oriretur sponte cedende, & pensionem certam in singulos annos reservante, quod utrobique est approbatum. *Udalricus Abb. Angelb.* Eodem anno felici exitu diem supremum clausit Arnoldus de Wyle Abbas Angelomontanus, cui Udalricus de Bernavv subrogatus est.

A. C. 1295. Hocanno, autumnali tempore circa festum Nativitatis Deiparæ Constantia nostra, inaudito terræ motu circa meridiem contremuit, ædesque universæ totius urbis adeo concussæ sunt, ut omnium ruina timeretur, minantibus in mensa poculis & patinis, campanis per Urbem plurimis nemine impellente consonantibus, multisque hinc inde muris corruentibus. *Terræ motus Const.* Exercuit ea concussio, & metus populum, ea ipse die non semel bis terve, sed novemdecim distinctis vicibus, ut nemo non totus horrore concuteretur, quod etiam aliquot postea diebus frequens extitit, Deo nihilominus & Deipara Urbem & cives gratiosè servante, ita ut nemo interiret. *Res diuturnæ*

A. C. 1296. Vita excedit Eberhardus Burgberger Abbas Campidonensis, succedente Conrado Zollerà Wisensteig viro insigni eruditione conspicuo. *Conradus Abb. Campid.* Insigni miraculorum gloria Diœceseos nostræ devotionem concitat bonum Numen, quibus Sacrosanctum lateris Dominici Sanguinem in Weingartten commendat & celebrat, quibus permoti diversi Episcopi eo peregrinantibus varias gratias sive indulgentias impertiantur. *Miracula SS. Sang.*

A. C. 1297. Hermannus Dynasta à Biechtenvveiler Monasterii Weingarttensis Abbas in pago Altorffensi Monasterium Virginum Franciscanarum condit, lectissimis Virginibus assignatum, quas inter non paucæ ex eo tempore perfectionis opinione celebres, inter singularia Diœceseos luminaria censeri meruere. *Monaster. Virg. Altorff.* Urbs nostra Constantiensis, Alberto Austrio jurato nuper sui Episcopi hoste, Imperium ambiente, sollicita, omnem sese obmuniendi rationem & modum excogitat. Nascitur B. Elisabeth Ungariæ Regina, Monialis in Töss.

A. C. 1298. Henricus Episcopus noster Canstantiensis, præclarè de Ecclesia sua mereretur, insigniter resarciens, quæ sub Antecessore Rudolpho per assidua prælia & vastationes passa fuerat, debitis maximis dissolutis, possessionibus redemptis, plurimis emptis, quæ inter Solium Tyberii, vulgo Keyserstuol oppidum pro octo marcarum argenti millibus comparvit. Idem aliquādiu Administratione Divitis Augiæ potitus, Cœnobio insigniter cōsuluit, & postquam reditus auxisset, sponte, ut suo dicemus loco, resignavit. Ipso anno victus cruentissimo prælio ab Alberto Adolphus, magno multorum luctu periit, iis qui peremerant, deinceps etiam violenter pereuntibus. Obiit eodem anno Henricus Abbas & Princeps Einsidlensis octavo Idus Novemb. *Henrici Episc. dexterius.* *Adolphus interf. occub.*

Joanne

Joanne Barone à Schvvande in ejus locum ſubſtituto, ſed & apud Angelomontanos mortuo Udalrico de Bernovv Rudolphus Schertlieb ſufficitur.

Moritur Abb. Hermann.

A. C. 1299. Supremus hic annus Hermanno de Biechtenvveiler Abbati VVeingartenſi fuit, prid. Cal. Januarii, viro eximiæ apud ſummos infimoſque opinionis, cui Fridericus Heller ab Hellerſtein ſucceſſit. Memorabile quod Zimbrenſis Comes de convivio quodam Conſtantiæ celebrato refert. Iſtud exhibuit Rudolphus Baro ab Hövven Decanus Cathedralis, qui collegas Canonicas cæteroſque omnes Collegiatarum invitans, alia inter fercula caput unius piſcis, in quadraginta ſex tomos diviſum propoſuit, duobus ſolum tomis ejuſmodi patinam pro tota menſa ſufficientem implentibus. Tacetur piſcis nomen, cumque tanto capite eſſet, totus tamen menſuram novem pedum non exceſſit captuſque eſt in lacu Joannis à Bodman Mindelſee, ab hoc Decano præfato dono miſſus. Mortuo II. Oct. VVilhelmo S. Galli Abbati Comiti Tockenburgii, ſuccedit Henricus Liber Baro de Ramſtein. Quam odioſus antea Conſtantiæ Albertus Imp. tam amicus dein extitit, & hoc anno occurrens diutius ſubſtitit.

Piſcis rara magnitud.

Ingens caput.

Albertus I. Imp.

B. Ioannes C. Monfort.

A. C. 1300. Etiam remotiſſimis in partibus, nova ſe ſtella prodit Diœceſeos noſtræ, B. Joannes Comes de Montfort, qui prælia Domini generosè pugnans contra Saracenos, talibus conatibus ſanctè immortuus Leucoſiæ tumulatus eſt, cujus ſacrum corpus hoc anno inventum prodigiis magnis orbi illuxit, ſub cujus Patrocinio & nuncupatione Franciſcanorum Cœnobium illic eſt conditum.

Verum hoc ipſo anno Conſtantia noſtra, novi & Auguſtiſſimi quidem ſyderis exortu feliciſſima & Illuſtriſſima reddita, diem annumq; merito inter fortunatiſſima cenſet. Dies 12. Calend. Aprilium fuit, Monachorum Archiduci ſacra Divo Benedicto, quo Urbi noſtræ magnus omnino Patronus eſt editus, Beatus Amandus à Monte, parentibus Religioſiſſimis nō minus quam nobiliſſimis, cui in Baptiſmo Henrici eſt nomen impoſitum, Amandi Profeſſio Monachica dedit, cognomen Suſonis vulgus aſſignavit, quod ejus mater à Sauſſen diceretur. Is quantus dein fuerit, ſuo loco dicetur, talis omnino, de quo haud immerito Conſtantia noſtra æternum ſibi gratuletur & vero etiam immortaliter glorietur.

B. Amandus à Monte.

Cognomen Suſo.

Henricus Epiſc. Abb. Aug.

A. C. 1331. Sub hoc tempus reſignat Abbatiam Divitis Augiæ Henricus Epiſcopus noſter, cum Oeconomiam in integrum reſtituiſſet & verum paſtorem & patrem egiſſet, providit autem de paſtore optimo, quem promptè Augienſes non ſolum admiſerunt, ſed ultro ex Monaſterio Petruſiano poſtularunt, Diethelmum Baronem de Caſtell virum diſciplinæ Monaſticæ cultorem & zelatorem ferventiſſimum, admodum religioſum & omni cultu virtutum ornatiſſimum.

Reſignat.

Mori-

Digitized by Google

Moritur Andreas Ungariæ Rex parens B. Eliſabethæ noſtræ Monialis in Tœs, cujus noverca Agnes Alberti Imp. filia novercalibus inſidiis, ſanctiſſimam puellulam mitis modis ludit & circumducit, ne Regno Ungariæ potiretur, Numine optimo ſic permittente, ut ſibi in ſponſam cederet, & noſtræ Diœceſi pro ſydere illuceſceret. *Obiit Andreas Rex Hng.*

A. C. 1302. Cometa terribili fulgore totum menſem emicuit Agnes Ungariæ Regina Alberti Imp. filia ſtatibus Ungariæ Reginam ſibi natam, nuptiam Andreæ Regis filiam, ſerio repetentibus, educandam ſplendidius inter Cæſaris liberos, atque inſuper Henrico Archiduci, Alberti Imp. filio ſuo Germano elocandam communiſcitur, fraudibus denique novercæ peſſimæ adlucrum Diœceſeos noſtræ Numine convertis. *Cometa terribilis.* *Fraudes Agnetis Reginæ.*

A. C. 1303. In Helvetia, orta inter Auſtriacos Caſtrenſes & Veneri Comitis in Monarchia ſubditos contentio, in bellum erupit, tranſitoque Lindemago, Caſtrorum regionem Comes ferro & flammis populavit. Diethelmus Augiæ Divitis Abbas, vir religioſiſſimus, dum religioſos ſuos ad diſciplinæ Regularis obſervantiam ferventius excitat, peſſimis modis traducitur. *Bellum Helveticum.*

A. C. 1304. Moritur Fridericus Comes à Zollern, Henrici Epiſcopi noſtri anteceſſor, decimo circiter poſt reſignationem anno, vir ſumma morum lenitate ac manſuetudine, pacis tranquillitatiſque ſtudioſiſſimus, quod vel ex uno illo patet, quod maluerit Epiſcopatum legitimè ſibi delatum, imo jam aliquamdiu optimo titulo retentum, reſignare, quam vim vi repellere, & creditæ ſibi provinciæ inquietem cauſare, ut uſque hodie ejus modeſtiæ Conſtantia noſtra plurimum debeat. *Obiit Frid. Epiſc. Conſt.*

Eodem anno Albertus Imp. tribus communitatibus, ut vocant, Helvetiæ, duos, ſuo & Imperii nomine Præfectos dedit, Geſslero à Brauneck Equiti Suitiam & Uraniam, Silvaniam Beringero à Landenberg commiſit: qui cum inſolentiùs plebem tractaret, Geſslerus inprimis, pileum ſuum ſuſpenſum, denudato vertice aut aliter coli quam ſeſe Cæſaris Vicarium mandaret, & neglectum acrius vindicaret, paulo poſt defectionem totius Helvetiæ cauſavit. *Præfecti Helvetiæ.*

A. C. 1305. Lue peſtilenti univerſali Germania caſtigatur, tanto mortalium excidio ut vix tertia pars ſuperfuiſſe perhibeatur. *Lues peſtilens.*

A. C. 1306. Vitâ excedit Henricus Epiſcopus noſter Conſtantienſis Udalrici à Klingenberg & Erentrudis Liberæ Baroniſſæ de Caſtell filius Rudolphi I. & Alberti I. Imp. Cancellarius vir doctus æque ac Nobilis, Hiſtoricus inſignis qui & in gratiam prædictorum Cæſarum librum inſignem de familia & origine Domus Habſpurgiæ compoſuit. Condidit ſeu potius reſtauravit templum S. Laurentii Conſtantiæ in Urbe, & Epiſcopatui multis modis conſuluit, in Cathedrali Baſilica tumulatus. Memorabile ejus fi- *Moritur Henricus Epiſc.* *Exemplum fidelitatis.*

Digitized by Google

delitatis erga Cæsarem argumentum: quod cum audisset trecentos insigni armatura equites in subsidium Alberti contra Adolphum, à se propriis sumptibus missos, omnes exceptis tribus occubuisse, illico diceret, libenter 300. argenti marcas se se expensurum, si & reliquis tribus, eadem sors & mors obtigisset. Ipsum vicissim tanti fecit Albertus, ut in solemnissimo Principum conventu, quo coronata est Imperatrix ejus conjux, quo præter Electores duo & quinquaginta Principes, Comites, Barones Equites quinquies mille quingenti convenerant, Electoribus sua fercula inferentibus, Moguntinum Augustæ, sibi Henricum nostrum assidere jusserit, Colonienſi rem adeo ægre fervente, ut servire Cæsari recusarit, seque è loco convivii subduxerit, Alberto nihilominus Henricum nostrum, tanquam dexteram suam colente & diligente, ipso anno incuria cujusdam juvenis. Astetæ Monasterium Engelberg exuritur.

Quanti fallus ab Imp.

Girardus Gallus Episc.

A. C. 1379. Sufficitur in locum Henrici demortui à Clemente Pont. Max. Eberhardus, sive Gerardus de Benar natione Gallus, vir literarum studiis excellentissimus, Germanorum tamen rituum morumque prorsus ignarus, ita ut multa illi fraus à malevolis, haud minimo cum Episcopatus incommodo inferretur, cæterum laudabilis vitæ extitit, Princeps amabilis & modestus, quique plurima Dominia & arces Bomgartten, Kunnenberg, & oppidum Solii Tiberii pulchre reparaverit & excoluerit. Ipso anno cæsis Præfectis à Cæsare impositis Helvetii primum conjurant.

Princeps laudabilis.

Helvetiorum defectio.

A. C. 1308. Plurimum ut alieni sanguinis olim effuderat Albertus Imp. pro indipiscenda & extorquenda Rudolpho consanguineo suo Episcopo nostro, Rudolphi Junioris Habspurgii tutela, ita tutela æquo diutius retenta Joannis ex fratre nepotis, hoc ipso anno, horribili casu, proprio ipsi sanguine & vita constitit, Joanne sæpius super paterna hæreditate sibi ultra annos retenta quiritante, eoque demum furoris arrepto, ut in Diœcesi nostra, in quam e jusq. Episcopū adeo injurius fuerat, Joannes patruum Cæsarē, in oculis Aulæ transflumen scelus intuentis crudeliter mactaret, inque fugam sese cum Comitibus conjiceret. Occubuit autem eo ipso loco Kal. Maij, ubi dein Chori altare Königsfeldæ, sive Campi Regis, ex eo facinore nominati, Monasterii Monialium paulo post structi erectum fuit.

Cades Alberti Imp.

Locus cædis.

Agnes Vngar. Regina.

A. C. 1309. Occurrit in Helvetiam Agnes Ungariæ Regina, Alberti cæsi filia, B. Elisabethæ noverca, hac secum adducta, ut ipsa cædem parentis Augusti ulciscereturr, sæviitque adeo crudeliter, ut neque uxoribus & parvulis liberis parceret, quæ indignitas adeo B. Elisabethæ puellæ Regiæ cordi fuit, ut sibi ipsa pati extrema videretur, vix sibi meliorem novercam experta, quæ nihil non egit, quod facere posset, ad Regni Ungarici unicam Hæredem evertendam & Regno spoliandam.

B. Elisabeth Regni hæres.

A. C. 1310. Molitur insigne Ordinis S. Francisci Virginum, in loco

cædis

cædis Cœnobium, Agnes Ungariæ Regina, Königsfaldense dictum, & contra fidem Regni Ungarici Magnatibus, de desponsanda Henrico fratri Archiduci Elisabetha filia Regni unica hærede, datam, quin & Henrico, ut videtur, jam promissam, ipsam cogit Religiosam amplecti vitã, novo à secondito intrudere conata, quod tamen illa recusans, Ordinẽ S. Dominici in Monasterio Tõss prope Winterthur exambit, quo delata quamprimum & sacra veste induta cum 13. tantum annorum esset & nonnisi 15. hebdomades in sacro Tyrocinio exigisset, noverca nimirum Moniales loci precibus perurgente professione solemni Deo se devovet (cum ut vitæ Author habet, innocentissima puella, nihil porro spei in crudeli noverca repositum haberet) & ex necessitate Virtutem faciens, toto corde Sanctum Institutum arriperet. Ita singulari Dei dono nostræ Diœcesi obtigit, pridem dignum cœlo ipso sydus, nisi bonus Deus patientiæ Regium miraculum, terris diutius contuendum objicere maluisset.

Monasterium Königsfeld.

Fit monialis in Tõss.

B. Elisabetha

Cogitur silvercea.

A.C. 1311. Gerardus Episcopus noster Constantiensis Henrico Cæsari adest, in profectione Romana, per cujus absentiam Henricus Archidux fraudes sororis Agnetis detestatus, Regni hæredem & sibi & regno perfide ereptam questus, B. Elisabetham in Cœnobio Tõss, tanquam sponsam sibi promissam, convenit, nullam esse professionem, cum propter ætatem, tum propter Tyrocinii, vix coepti neq; exacti defectum, violentiam præterea & fraudes novercæ asseverans, ipsam omnino cucullo spoliare secumque abripere nititur. Hæc mora ad deliberandum petita, illico coram Venerabili Sacramento altaris se prosternit, multumq; fluctuans, tantopere eo in conflictu deliberationis laborat, ut à sensibus aliquam diu relicta, ex ore ac narribus plurimum sanguinis funderet, donec mirifice à Numine roborata, internâ quadam voce, constans manere jussa, alacris consurgeret, & sponso disertissimè, *potentiori se manum dedisse, cui fidem frangere nullo modo vellet*, ediceret, tristissimumque à se dimitteret. Helvetii libertatem quam semel amplexi sunt mordicus retinent, omnesque Habspurgiorum conatus eludunt.

Gerardus Episc. cum Cæs.

Henricus Archidux B. Elisab. rapere cogitat.

Avertitur.

A.C. 1312. Exemplar prodigiosæ in omni vita patientiæ B. Elisabetha nostra, in paupertimo, vilissimo, & rebus necessariis, ferè omnibus, destituto Cœnobilo, cum extrema laboraret inopia, nec ulli unquam quereretur, noverca tamen satis non fuit, nisi gravius affligeret, missa illuc cognata Moniali è Monasterio Freyburgensi, sorore Rudolphi I. Imp. natâ Busnangæ Baronissa, austeri ingenii muliere, quæ tenellam & Regiam puellam adeo immisericorditer habuit, ut sororibus medullitus doleret, detestantibus novercæ improbitatem, & talis morum magistræ indiscretam disciplinæ commendationem.

Patientia B. Elisabeth.

Magistra crudelis.

A.C. 1313. Magno dolore optimi Pontificis nostri Gerardi præsentis, apud Bonconventum Senensis agri oppidum, Henricus VII. Imperatorum optumus, dum per Deiparæ Matris in cœlos assumptæ celebritatem moratur

Moritur Henricus VII.

dyſenteria VII. Cal. Sept. extingnitur, ingenti & incomparabili totius exercitus luctu, Gerardo quamprimum inde Conſtantiam iter accelerante, & negotia Diœceſeos ſedulo curante.

Magno rurſum ſplendore ſe prodit inſigne Diœceſeos noſtræ ſydus B. Luitgarda prima Magiſtra & Fundatrix Monaſterii Wittickovv Ord. S. Franciſci, quæ ſub hoc tempus, pro neceſſitate aliqua conveniens in Kônigsfeld, Agnetem Reginam, dum ad menſam hujus adſidet prophetico ſpiritu intuita Cœnobiali ſui incendium, inter uberrimas lachrymas, *jam jam* inquit *Cœnobium meum*, ô *Regina flammis abſumitur*, cui Agnes: & à me ſtatim reædificabitur, quod & præſtitit, ſuumque etiam Künigsfeldenſe plurimum excoluit.

B. Luitgarda Magiſtra.

Spiritus Propheticus.

A. C. 1314. Majo menſe ipſa inventæ S. Dominicæ Crucis die incendium horribile majorem fere Conſtantiæ Urbis noſtræ partem latiſſimè graſſando involvit & exuſſit. Ortum illud in Judæi cujuſdam ædibus, reſtingui facili negotio ab eodem potuiſſet, niſi nequiſſimus ille ſpectator potius tantæ calamitatis, quam Sabbathi ſui tranſgreſſor apparere voluiſſet, ut facilè appareat, quanta Sabbathi ſui reſpectu Judæi ex condicto & de induſtria comminiſci queant Reip. Chriſtianæ peſſum dandæ.

Incendium horribile.

Judæorum fraudes.

A. C. 1315. Moritur hoc anno Hartmannus Abbas & Princeps Campidonenſis cognomento Schneller de Rauns, pauperum Mæcœnas, ſuccedente Henrico ab Hirſdorff, viro prudentia & eruditione claro. Suitenſes à Gerardo Epiſcopo noſtro fruſtra commoniti, ſacrorum communione interdicti, à Leopoldo Archiduce armis non minus fruſtra tentantur, cæſis Archiducalium præcipuis Rudolpho Habſpurgio, Ulrico Barone de Ruſeck, pluribuſque præcipuæ Nobilitatis, qui omnes ad Deiparæ, pro cujus rerum defenſione pugnaverant, Heremum ſepulti ſunt, nunquam felices magis, & glorioſi, quam cum victi & cæſi à Sacrilegis viſi ſunt.

Suitenſes excommunicatu.

Auſtriaci cæſi.

A. C. 1316. Inſignia jam ſanctitatis ſpecimina edit juvenili ætate Beatus Juvenis Henricus de Monte, incertum quibus primum Magiſtris Conſtantiæ creditus, magiſtram tamen omnium diligentiſſimam in Virtutum ſtudio nactus, matrem propriam, fœminam ſanctiſſimam, cujus ipſe exemplis non minus eruditus quam verbis, mirificè profecit, ita ut ſub hoc ipſum tempus Conſtantia noſtra, præter tot diverſorum Cœnobiorum decora & ſydera, duo hæc profani hominum ſtatus Illuſtriſſima exemplaria habens iiſdem, inter turbines vicinæ Helvetiæ, ſecuriſſimè & feliciſſimè fruereturr.

Mater Beati Suſonis.

Suitenſes, Uranii, Silvani, libertati ſemel aſſertæ intenti, in omnem ſe partem vertunt, eique tuendæ ſedulò invigilant, Habſpurgicis è contra, jura ſua tueri allaborantibus, magna rerum omnium per Helvetiam confuſione.

Helvetica Libertas.

A. C. 1317.

Digitized by Google

A. C. 1317. Æternâ memoriâ dignissimus Rudolphus Abbas Angelomontanus extinguitur, cum Monasterium suum horribili incendio ante annos undecim incineratum egregie restaurasset, tamque utilem per omnia Præsulem se probasset, ut secundi Fundatoris titulo dignus censeretur. Successit Waltherus de Clivo. *Rudolphus Abb. Engelb. alter Fundator.* Eodem anno Henricus Liber Baro de Ramstein Abbas S. Galli vita excedit, sublecto Fratrum suffragiis Hiltpoldo de Werdenstein, Equestris præstantissimæ familiæ ejusdem loci Religioso. *Hiltpoldus Abb. S. Galli.*

A. C. 1318. Supremus hic annus fuit Gerardo de Benar Constantiensi Episcopo nostro, optimo Pontifici, cui concordibus Collegii Cathedralis votis & calculis successor designatus est Rudolphus eo nomine Tertius Comes de Montfort, vir insigni sapientia & prudentia conspicuus, egregiis naturæ & gratiæ talentis à Numine instructus, quibus etiam præclare usus est, & de Episcopatu insigniter meruit. *Meritur Gerardus Episc.* Æterna gloria Constantiæ nostræ B. Henricus à Monte, Suso cognominatus, Princeps juventutis, studiosorum omnium exemplar & speculum, sæcularis etiamnum, velut extra sæculum Angelicam vitam instituit, & de statu mutando deliberat. *B. Henricus Suso.*

A. C. 1319. Nunc primum diem suum obiisse Gerardum Episcopum nonnulli volunt, & Albertus Argentinensis, etiam Rudolphum Episcopum à summo Pontifice resignatum contendit, longe aliter referentibus rem qui præsentiores, erant. Etsi enim superiore anno in electione, vota primum Canonicorum, in diversa irent, aliis Henricum de Klingenberg Juniorem, aliis Henricum Comitem de Werdenberg, aliis denique Rudolphum designantibus, concorditer tamen postea in hunc omnes consensere, qui hoc primum anno confirmationem Roma impetravit, non autem electus à Papa, sed confirmatus fuit. *Errores non illorum.* *Confirmatur à Papa Rudolphus Episc.*

A. C. 1320. Nunc denique sæculo, cui nunquam consensit, vale dixit, & in Monasterio Urbis nostræ lectissimo Patrum Dominicanorum Ordini se addixit, optima sanctissimæ matris suæ voluntate Beatus juvenis Henricus de Monte, stupente tota Constantiensi juventute, tantæ Nobilitatis flosculo à conspectibus suis repente abrepto, & in hortum propinquum liceet, & proximum, inserto, & omni tamen sociorum contubernio sejuncto, cujus procul dubio exemplum deinceps plurimum valuit, ita ut ejus propositum plures imitarentur. *Fit Dominicanus B. Suso.* Diethelmo Abbate Divitis Augiæ disciplinam Monasticam pro virili promovente, infensi nonnulli ejusdem, ceu tristioris vitæ, hostes apud Henricum Fürstenbergensem Comitem (cognatum procul dubio suum) efficiunt, ut occasione captata in Christum Domini manus violentas injiceret, & captivum abriperet, donec piorum opera, & comite ne procul dubio Episcopo nostro, in libertatem restituerentur. *Diethelmus Abb. capitur.*

Digitized by Google

B. Suso profes-sionem Ord. facit.

A.C.1321. Exacto Tyrocinii sacri anno Monasticen solemniter profitetur Constantiæ apud PP. Dominicanos B. Henricus à Monte & incredibili statim rigore tenerrimæ carni suæ bellum acre indicit, Martyr verè voluntarius, longo admodum ac pene intolerabili Martyrio sese excrucians, donec jussu Numinis, mitius secum agere juberetur. Ea inter ingenti ad

B Susis factum mirabile.

nomen dulcissimum Jesu affectu, illud articuli longitudine profundè pectori insculpsit, multoque seipsum sanguine cruentavit, nec multo post Professionem tempore, visione mirabili, consolationem inexplicabilem meruit, cum antea tentationibus variè jactaretur.

Mœnia majora Constant.

Hoc anno, Constantiæ mœnia illa nobilissima & ampliſſima quæ alluentes Urbem Rhenum fluvium & Acronium lacum excluderent, ad usque turrim Lateritiam vulgo dictam, construi cœpta sunt, atque inde Turgoviam versus, quantum usque hodie excurrere cernuntur, promota. Turris vero ipsa exstructa est impensis Judæorum, Constantiæ degere & sedes stabilire cupientium. Quo ipso etiam anno exstructus murus post Palatium Episcopale, ad turrim usque Judaicam.

B. Suso Coloniam mittitur

A.C.1322. Magnum à se sydus, & thesaurum incomparabilem dimittit eo huc usque illustrissima & ditissima Urbs nostra, B. Henrico à Monte, vulgo Susone à Superioribus suis Coloniam Ubiorum ad litterarum studia misso ut dives cæteroquin vetustissimis sanctorum Reliquiis, Metropolis, novo aliquam diu thesauro bearetur, Urbem nostram paulo post variis difficultatibus involventibus, cum scisso in factiones Imperio, ipse etiam Episcopus noster Ludovico Bavaro Imperatori favens excommunicatione plecteretur.

Inquieta omnia.

A.C.1323. In Diœcesi, inquieta omnia, Helvetia inprimis, aliis Friderico Austrio, aliis Ludovico Bavaro faventibus, donec acri prælio Fridericum victum, Ludovicus cum fratre captivum traheret, plerisque deinceps ad victorem respicientibus.

Constantia periclitatur.

A.C.1324. Hoc anno Austriaci Constantiam nil minus metuentem, repente obruere, suique Juris facere conati, insignem exercitum variis itineribus, nocte maturatis, ita ante Urbem haud procul collegere, ut nemini civium innotesceret. Præmissi militum audacissimi, qui tenebris usi, summo

Prodiuntur hostes.

mane, portis apertis, in mediam urbem quasi serpendo se se infunderent, ac dein fora præcipua occuparent, reliquo interea exercitu, paulatim succedente. Verum advertit fraudes faber quidam ferrarius, qui & illico prodidit, & tenebriones illos in lucem & crucem produxit. Concurritur illico à civi-

Cæduntur.

bus, & miserorum qui jam medium urbis invaserant, cædes maturius facta, quam ut universi interirent, dum prope ædes, quas Rosetum dicunt, centum circiter interremptis, cæteri secure ad portas & extra Urbem se reciperent, quam cæteri cives periculum intelligerent. Plateæ deinceps ab nomine latronum illorum nomen impositum, perenne manet.

A.C.1324.

Digitized by Google

A. C. 1325. Hoc anno, Feria II. post Dominicam infra octavam Ascensionis Carolinum Fœdus, sic vocant, à civibus Constantiensibus initum propter quod Episcopi deinceps, Urbi molesti admodum & adversi fuerunt. *Fœdus Carolinum.*

Hoc ipso anno, memorabili prorsus ad omnem æternitatem exemplo sub regimine Abbatis Waltheri de Clivo, Calendis Septemb. in Monasterio Virginum Benedictinarum Angelomontano, velatæ sunt, Deoque dicatæ simul semelque Virgines sanctimoniales centum quadraginta, expensis & in præsentia Agnetis Ungariæ Reginæ, matris B. Elisabethæ Ungariæ Hæredis, quæ Agnes fuit filia Alberti I. Imp. *140. Moniales simul velatæ.*

A. C. 1326. Iterum cœlum illustrissimum Urbis nostræ sydus exambit, Beati Henrici à Monte, dignissimam, uti felicissimam tanto filio, Matrem, quæ carne soluta, filio quamprimum suo, in studiis Coloniæ versanti conspicuam se stitit, & de obitu suo, & gloria edocuit, moxque osculo ori ejus impresso, & impertita benedictione disparuit, ita ut deinceps non matrem, sed Patronam coleret & exoraret. *Sancta Mater B. Susonis moritur.*

Hoc eodem anno Joannes Einsidlensis Abbas ætate jam ingravescente Abbatiam resignat commendato Joanne ab Hasenburg Barone, S. Geroldi Præposito viro industrio, quem statim concordibus votis elegere, nec multo post moritur quam privatam amplexus vitam esset, insigni virtute & laude Antistes. *Ioan. Abb. resignat. Ioann. Abb. Einsidl.*

A. C. 1327. Confœderatur denuo hoc anno Urbs nostra Constantiensis, cum Urbibus Moguntia, Wormatia, Spira, Argenterato, Basilea, Fryburgo, Lindovio, Uberlinga & Helvetia confœderatis, Solodori, Tiguro, Berna, & communitatibus, Urania, Suicia, Silvania, &c. *Confœderatio Constant.*

A. C. 1328. Nunquam sine stellis lucidissimis Constantia nostra amplissimusque ejusdem Pontificatus, quas inter effulsit sub hoc tempus vel maximè B. Elisabetha Vallis S. Catharinæ propè Diessenhofam Monialis Ordinis S. Dominici, cognomento Hainburgin Virgo lectissima quæ 14 annos nata Cœnobium ingressa, castitatis & simplicis obedientæ speculum extitit, silentii studiosissima, sibi rigidissima, ita ut totam sæpe hyemen nec semel quidem ad fornacem seu ignem se conferret, flagris horrendum in modum se concideret. Fuit à teneris unguiculis S. Joanni Evangelistæ devotissima, omnesq; securos esse jussit, qui ipsum sibi Patronum deligerent, nihil ad ejus intercessionem negandum, quidquid congruum saluti peteretur. Extat in Choro etiamnum altare ejusdem Apostoli pectori Christi suaviter indormientis, Elisabethæ procul dubio huic familiarius dilectum, in quo biennis etiamnum libri Autor, desperatissima valetudine prodigiosè convaluit, ut merito & Medico huic suo, & Elisabethæ ob communia amoris studia, æternum se devotum obstrictumque fateatur. Ægrior quandoque Elisabetha, cum signo ad preces dato, modicum insuper quie- *B. Elisabeth Diessenhof. S. Ioanni Evang. devotissima.*

Digitized by Google

quiescere cuperet, vocem intrinsecus se alloquentem audiit: *Surge libenter propter me, Filia, qui propter Te lubens libensque crucem amplexus sum, certum in ea me moriturum.* Elisabetha sanè exemplar sanctitatis omnibus fuit, ornamentum Diœceseos sempiternum.

A. Christo animatur.

A. C. 1329. Iterum prorogant confœderationem Constantia nostra, & dictæ Civitates, quibus se adjungunt Comites, Udalricus à Montfort, Eberhardus de Kyburg & Rudolphus Episcopus Constantiensis. Hoc ipso anno idem Pontifex noster Rudolphus, in Urbe nostra solemnitet Synodum celebrat, rebusque Ecclesiæ piè ac providè consulit. Eodem anno Hiltpol. dus de Werdenstein Abbas Sangallensis extinguitur, diversis dein diversos eligentibus, aliis aliisque Udalricum Baronem ab Endt Dominum in Grimmenstein, Rudolphum Montfortium, & Berentoldum Baronem de Falckenstein, singulis causam suam Rom. Pont. commendantibus, qui tunc Avenione degebat.

Confœderatio iterata.

Synodus Constantiæ.

A. C. 1330. Pendente in Aula Pontificis trium competitorum lite rerum interea Administrator Rudolphus Episcopus Constantiensis eligitur & expetitur, qui id laboris acceptans, utilem omnino Sangallensibus se probavit, & aliquot annis magno omnium plausu fidelissimè rem Cœnobii promovit.

Rudolphus Admin. S. Galli.

A. C. Waltherus de Clivo senio gravis & curis confectus libere Abbatia Angelomontana se abdicat, suffecto in ejus locum Wilhelmo, cujus tempore frequentissimus Religiosorum in utroque virorum & Mulierum Monasterio fuit numerus, ita ut utrobique quodvis centenarium superaret, è quibus plurimi egregiæ integritatis fulgore exsplenduere.

Frequens Religiosorum numerus.

Tigurinorum ad partes Ludovici transitionem excommunicatio subsequuta, multa contulit mala, pulsis inde Divinorum officiorum ministris & Monachis, exilio septendecim annos continuante. Involuit se se imprudens in eamdem calamitatem Rudolphus Episcopus noster, & Ludovico Imp. excommunicato favens, similem cum eodem sententiam subiit, dum ipse Amicissimo Cæsari infidelis censeri metueret, seque & Episcoparum magnis difficultatibus intricaret.

Excommunicationis mala.

A. C. 1332. Inter tantas turbationum nebulas emicant haud pauca summi splendoris, diversis in Cœnobiis Sydera, in Monasterio Töss Virginum Dominicanarum, præter B. Elisabetham Ungariæ Reginam Beata Idda de Wezikovv Libera Baronissa, quæ marito orbata sacrum habitum amplexa, ob egregias virtutes, invita Prioriſſæ munus obire debuit, speculum absolutissimum omnium Virtutum, sub cujus transitum miri splendoris stella ante lectulum ejus consistere, & quasi gestire visa fuit. Sedet in Diessenhoffensi S. Catharinæ Cœnobio non minus sydus B. Adelheides Patricia Constantiensis, nomine Pfefferhartin, mirificè exsplenduit, cujus mira erga animas

Sydera.

Beata Idda in Töss.

B. Adelheid Mon. Diessenhoff.

Digitized by Google

animas purgatricibus flammis obnoxias charitas se prodidit, invicta autem in tribulationibus & morbis patientia emicuit, quam à morte miraculorum gloria optimum Numen commendavit & illustravit. Fuit & ipsa cultrix singularis B. Joannis Evangelistæ, quem cæterosque Apostolos felicis agonis Patronos exoravit & meruit, incertum quo anno, pridiè tamen Nonarum Aprilium.

A. C. 1333. Vita excedit Rudolphus Comes de Montfort Episcopus noster, vir cæteroquin omni laude dignissimus, sed quod in excommunicatione mortuus, apud Arbonam (quam arcem insigniter excoluerat ibique decesserat) loco non sacro, sed prophano sepultus, donec post viginti demum annos, absolutione obtenta (fertio enim pœnituisse suprema ætate scribitur) effossus, honorifice loco sacro sepultus est. Successit majore votorum numero in demortui locum, Nicolaus de Kentzingen & Frauvvenfeldt, Magister Curiæ cognominatus, vir Nobilis & pius, quem tamen nonnulli de Grotzingen appellant. Contra Nicolaum, à Canonicis quibusdam Illustrioribus, Comitibus Fryburgio, & Fürstenbergio, Baronibus Bienburgio, Strassbergio & de Castello Albertus Comes ab Hohenberg intrusus est patre Rudolpho furioso homine natus: Verum Nicolaus Romam profectus confirmationem & consecrationem statim impetravit, & consilia iniquorum exsufflavit. Referunt alii Rudolphum Episcopum nostrum, sub extrema vitæ, renunciasse fidelitatem Ludovico Bavaro Imp. tanquam Ecclesiæ rebelli, cumque hic gravius eidem succensus, Marispurgum oppidum & arcem obsideret, persuasum, an coactum à Canonicis resignasse, quæ pro fabula habemus. Ab morte Rudolphi Sangallenses Hermannum Baronem à Bonstetten Abbatem consalutarunt.

Moritur Rudolphus Episc.

Nicolaus fit Episcopus.

Schisma.

Hermannus Abb. S. Galli.

A. C. 1334. Rudolphus Comes ab Hohenberg, nunc temporis Sueviæ Præfectus, ægerrimè ferens filium suum Albertum ab Episcopo nostro Nicolao præventum, confirmationem & consecrationem Romæ impetrasse, iracundia rabidus, ipse ad Ludovicum Imp. contendit, super Nicolao queritur, eoque rem redigit, ut ipse Cæsar injuriam ultum pergeret & gravi obsidione Marispurgum Episcopi arcem & oppidum per quatuordecim hebdomades, etsi frustra premeret, Nicolao cum armigeris vasallisque suis rem strenuè agente omnesque conatus eludente. Nec diu superfuit Rudolphus frustraneis conatibus, mortuusque Nicolao omnia quam securissima reliquit. Moritur eodem anno Joannes Abbas Einsidlensis, ex Baronibus ab Hasenburg, in cujus locum Conradus II. ex Baronibus de Goesgavv Abbas renunciatus est.

Cæsar Marispurgum obsidet.

Conradus Abb. Einsidl.

A. C. 1335. Hermannum Baronem ab Eschibach Rhætia, Curiensi imponendum Cathedræ enixe à nostra Diœcesi & Einsidlensi Cœnobio petierat, & meruerat. Hic brevi Præsulatu æternum meritus, hoc anno de-

Hermannus Episc. Cur.

Digitized by Google

cessit, magno sui relicto desiderio, cui satisfieri meliore modo non potuit, quam si successor, quoque ex eodem Monasterio postularetur. Is fuit Udalricus à Lenzburg, Heremi & ipse Marianæ Monachus, magno Canonicorum Curiensium plausu exceptus.

Vdalricus Episc. Curiens.

A. C. 1236. Infirmatur gravissimo & periculosissimo morbo B. Elisabetha Regina Ungariæ Monialis in Töss, incomparabili fulgore Diœceseos nostræ lumen, miraculum futura patientiæ, quæ antea humilitatis & paupertatis erat, etsi jam biennio antea quartana cœpisset laborare, nunc torminum violentia, tota inutilis facta, ita ut nulla ratione sese movere, & membris propriis uti posset, mox sanie quoque regium corpus exedente, nemo ut satis miraretur fœminæ animum in tanta tormenta sufficere, ipsa in crucifixi sui consideratione suavissimè acquiescente, & dolores sponsi, longè acerbius, propriis ferente. Sed & alia stella lucidior iis quibus illustratur Firmamentum, alia Elisabetha, è familia Baronum à Stoffen, è Valle S. Catharinæ prope Diessenhoffen mirifice elucescit, quæ optima mariti voluntate, cum filios eidem quatuor binas filias peperisset, cum hisce duabus Monasticen amplexa, decus æternum familiæ, totiusque Germaniæ evasit, marito quoque ejus exemplo tantopere succenso, ut una cum quatuor filiis (res mirabilis) idem Ordinis Institutum profiteretur. Ad Venerabile Sacramentum altaris mirificè affecta fuit, & ad Crucifixi imaginem. Huic aliquando questa, quod Oeconomam agere cogeretur, vocem intus loquentem audiit: *Ego merces tua æterna ero*, ad quam incertum quo anno, duodecima tandem Decembris, hilaris evolavit.

B. Elisabeth Regina ægra.

Morbi violentia.

B. Elisabeth L. B. à Stoffelen.

Vox Divina.

A. C. 1337. Nicolaus Pontifex noster, Princeps optimus, cum ex Solio Cæsaris sui Episcopatus & Juris oppido Constantiam rediret, & Glatfeldam venisset, à Baronibus à Tengen intercceptus, nonnullis è comitatu interfectis, aliis vulneratis, captivus in vincula ad arcem Hohen-Hövven abripitur, ubi propè sex menses retentus, proximarum civitatum & Nobilium interventu, libertatem denique obtinuit. Post Conradum ab Eslingen Salemitanum Abbatem, Udalricus Comes de Sargans ad Abbatialem honorem extollitur.

Nicol. Episc. capitur.

A. C. 1338. Incredibili Cœlitum plausu Beata Elisabetha Ungariæ Regina, Monialis in Töss, cœlestium syderum Ordini inseritur, cum ipsam prius B. Elisabetha cognata Thuringiæ Landgravia cœlo descendens visitasset, & consolata esset. Ipsam & in vita, & morte insignibus prodigiis Deus illustravit, cujus sacrum corpus insepultum per dies octo, ad usque occursum Agnetis Novercæ asservatum fuit, huic autem supervenienti, de nocte gloriosa apparuit, nive candidior, supra duas ulnas, etiam ministris spectantibus, in aëre elevata, serio novercam alloquuta, his tamen, quæ loqueretur, minimè intelligentibus, Agnete tristissima inde recedente, & quæ audisset nemi-

Moritur B. Elisab. Reg.

Miracula claret.

Noverca apparet.

Digitized by Google

nemini unquam prodente. Decessit autem 6. Maij, ætatis suæ 41. cum octo & viginti annos in sacro Ordine exegisset. Sacrum corpus cum 30. hebdomadibus sub terra conditum quievisset, cum ob sanctitatis manifestæ signatum ob regii generis dignitatem elevatum, & in sarcophagum lapideum translatum, adeo incorruptum repertum est, ut nec vestigia quidem ulcerum uspiam apparerent, cœlestis adoris fragrantia inde erumpente. *Incorruptio corporis.*

A.C. 1339. Occidente uno sydere, Constantiæ semper nostræ unum ex altero oritur, & quidem ejusdem Monasterii stella illustrissima, Beata Idda de Sulz, incertum, Equestrine, an Comitum familia, quæ marito prius viduata in Thös cucullum amplexa est. Misericordia erga pauperes cum ipsa à teneris unguiculis adolevit, quam sæcularem etiamnum spectabili forma Cacodæmon prohibere voluit, nec potuit, uti nec mentitus Religiosum, illis suasionibus à proposito Religionis absterrere potuit. Obedientia plurimum claruit, & abstinentiæ virtute. Ajunt: sub *Gloria Patri* contuitam aliquando puerili specie Salvatorem Moniales omnes amantissimè amplecti, quotquot se profundius inclinassent, præteriisse, quæ obiter fecissent, quasi erectiores ipse assequi brachiolis non posset, Oeconoma designata, dum Numini quereretur, ista inaudiit: *Denm nobilibet reperiri*, qua voce exhilarata, facilè acquievit, & sororibus simul ac Numini diligentissimè inserviit. *B. Idda de Sulz.* *Ejus virtutes.* *Vox plena Solatii.*

A.C. 1340. Redditus pridem Constantiæ patriæ suæ ab studiis litterariis Beatus Henricus à Monte, cognomento Suso, tantis sese cruciatibus quotidie, & voluntario Martyrio exhausit, ut pene deficeret, & perrexisset consimili tenore, & majore crudelitate, nisi Christus ipse, & Deipara, temperare jussissent. Ipsum non semel, siti voluntaria pene deficientem, cœli Regina potare est visa, quæ cum aliquando potare promitteret, & is poculum se nullum videre quereretur, è suo potandum corde, respondit, fassa alteri cuidam suo amico, suo se Virgineo lacte suum Susonem potasse, certè à potu illo, granum quoddam instar cœlestis mannæ in ore remansit, quod diutius masticando retinuit. Confratri cuidam Susonis, Christus, cum pixide plena sanguinis visus, isto Susonem circa pectus primum, dein pedes manusque, ac cætera membra inungere: scisciranti num vellet ipsi sua quinque vulnera imprimere: *Imo*, inquit, *volo pectus ipsius totamque naturam, passione notare, ipsumque juxta cor meum facere.* Certè nullus sermo sufficit tantam tanti thesauri nostri dignitatem describere. Iterum Constantia nostra, novo fœdere Tigurinæ & Sangallensi Urbi jungitur. Germania variis casibus agitata, & graviter pe- *Voluntarius Martyr.* *Potatur lacte Virg. Matris.* *Mirabilis visio.* *Novum fœdus.*
clitante.

Digitized by Google

B. Elisabetha alia.

A. C. 1241. Familiarissima, sanctâ necessitudine, Beato Susoni nostro alia Cœnobii in Tôss Elisabetha . . magnis Virtutum splendoribus cœlum ipsum perstringit hoc tempore, etsi Elisabethæ Regiis impar natalibus, proxima tamen sacris conatibus, cujus beneficio pleraque habet. Constantia nostra, annisque posteritas, quæ in Susone admiramur & veneramur. Certè Elisabetha Divinis asueta revelationibus, non inter sanctos solum Diœceseos nostræ adscribi meruit, sed inter Doctos, de quibus Danielis 12. *qui autem Docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Ipsa est, quæ magnum omnino librum scripsit Divinorum dictatorum, ipsa quæ Divini hujus viri Susonis arcana nobis communicavit, ipsa, quæ multarum Beatarum Virginum sibi majorem partem cognitarum facta posteritati tradidit, cui Constantia nostra immortaliter debet, cujus nomen merito ab omnibus celebretur.

Docti accendi.

Liber magnus

Tumultus Constantiæ.

A. C. 1242. Magnis tumultibus miserè admodum jactatur Constantia nostra, plebe, exemplo rebellium adversum Dominos Helvetiorum, in Patritii & Equestris Ordinis viros insurgente. Initium tumultuum, initio anni 12. Januarii sese prodidit, qua die, incertum quo factionis authore, plebs de repente arma corripuit, foraque omnia & plateas clamoribus implevit, & Nobilitatem exauctoratam volùit, ac penes Tribunos & plebem claves, & jura omnia Urbis fore proclamavit, cum antea è solis Nobilibus Magistratus constitueretur. Obniti primum rebellibus Nobiles conati sunt, & tumultum sedare, è quibus duodecim Bettvvingeri cataphracti coronatis galeis, in forum effusi, paulo post repressi, ipsi nobilesque omnes arma exuere & tradere coacti, cum spes porro reprimendæ audaciæ nulla superesset, ultro omnes urbe excessêre. Syllabum excedentium subjicimus.

Nobilitas exauctorata.

Bettvvingeri cataphracti.

Viri Nobiles Patriciique qui Urbe excessere.

Nobiles & Patricii.

Henricus Spiser.	N. Brätschli.	Nicolaus Freij.	Ioan. Freij.
Fridericus Freij.	Albert. Blaarer.	N. Barth.	N. Geist.
N. de Nusplingen.	N. de Creuzlingen	N. ab Ilvvol.	N. ab Hausen.
N. Bletz à Rotenstein.	N. Blez &c.	Henricus Englin ab	Engelsee.
Barthol. Engel. &c.	Wenzlavv.	Vlricus Schnevveis.	Arnold. Schnevveis
N. Koetten.	N. Herdler.	N. Bastian.	N. ab Haus.
Iacobus ab Haus.	N. Schem.	N. Schlepp.	N. Golen.
N. wamlich.	Egolphus Blaarer.	Vlricus Schvvarz	N. Specker.
N. Fuli.	walther. im Hoff	Conrad de Hoff.	N. Schumli.
Henricus Sailer.	N. Lôvv.	N. Röttli.	N. Kustrel.
N. de Magelahofen.	N. de Schanfingen.	N. de Schanfing.	Hen. Rüss.

N. Guell.

Digitized by Google

Ni Guell.	Rud. Wienner.	N. Schilter.	Pip. Tuvvinger.	
N. Schurpff.	Henricus Ratz.	Hen. Haven.	N. Tüfelgadeo.	
N. Zorn.	N. Gregorii.	Iacob. ab Vlm.	N. de Raming.	*Nobiles & Patricii.*
Henr. Montprat.	C. Bettminger.	N. Apotecker.	N. Haurn.	
Ioan Wid.	Bovvenwid.	N. de Rogvveil.	N. Rauch.	
N. Harzer à Salenſtein.	N. Rûli.	N. à Schvvarzach.	N. de Fryburg.	
N. Kilchherren.	N. Egli ab Herderē.	N. Suanerag.	Henr. à Lindavv.	
Hen. de Vberlingen.	Vlr. à Lonberg.	Ioan. Nieſili.	Henr. im Thurn.	
Hen. à Tumbach.	Abli de S. Gallo.	N. Richmann.	Henr. Gudenz.	
Waltherus Schvvarz.	Henricus ab Vlm.	Ioannes ab Vlm.	C. Blaarer.	
N. de Lochen.	Henr. Sprutēhofer.	Ioan. Sprutēchof.	N. Büntlich.	
Vlr. Sprutenchofer.	N. Schmelii.	P. Linde.	Ioan. à Schaffhauſē.	
Conr. à Schaffhauſen.	Conrad Betningen.	Ioan. Betninger.	N. Zaph.	*Vrbe omnes excessere.*
Pip. hinder S. Ioan.	Alb. de Tettickhofē	Strubl Goldaſt.	N. Tûbli.	
Henr. Survvis.	N. Schalenberg.	N. Stetten.	N. Mangolt.	
N. Æching à Güternavv	N. de Schönavv.	N. Stickel, &c.		

Tanto numero viri nobiles & Patricii, urbe ſibi excedendum ſtatuere, & exceſcere, qui tamen plerique, plebe ſemet pejus tractante, compoſitis motibus circa Pentecoſtes feſta in Urbem rediere. Moritur hoc ipſo anno Diethelmus Liber Baro de Caſtell Abbas Divitis Augiæ optimè meritus, cui Eberhardus Baro de Brandis ſucceſſit. *Obiit Abbas Diethelmus.*

A. C. 1243. Alia rurſum Firmamenti Conſtantienſis ſtella ſe prodit B. Anna de Ramſchvvag, vetuſtiſſimæ Comitum, Baronum & Equitum familiæ æternum decus, Monialis Vallis S. Catharinæ prope Dieſſenhofen; quæ cum junior ægrius ſe ſe ad diſciplinam & exercitia juventutis ſacræ accomodaret, viſione Divina commonita, ultronea deinceps extitit, & variis prævenita gratiis, perfectionis ſtudio magna evaſit, Divinis viſitationibus & conſolationibus aſueta. Parentem ſuum legitur purgatricibus flammis eripuiſſe, multumq; precibus apud Numen potuiſſe. Ipſo anno ſumma annonæ caritas provincias noſtras dire flagellat, ita ut magna pars hominum, ligna putrida cortices arborum aliaque pulmentis admiſcerent; quo tempore Epiſcopus noſter Nicolaus Myrenſis illius liberaliſſimi pietatem æmulatus, memorabili veri paſtoris exemplo, tria quotidie pauperum millia pavit, ſtupentibus miniſtris unde ipſi tantum afflueret, quorum unus cum inſtantius ipſum ab prodigilitatem incuſaret (ut affecto jam ætate & invaletudine corpore erat, quod fulcro ſcipionis ſuſtentabat) baculum in caput improbi illiſit: *Et tu maledicte*, inquit, *opinaris me Epiſcopum Conſtantienſem, tam rerum omnium indigum eſſe, ut ſi deſint alimenta; pecuniæ non ſuppetant fructibus coemendis?* Certè vulgo *Pauperum Pater* merito ſuo dictus eſt; meliore elogio, quam ſi Principum potentiſſimus diceretur. *B. Anna de Ramſvvag.* *Annona caritas.* *Epiſcopi liberalitas.* *Inſignis reprehenſio.*

A. C. 1244. Conſtantiæ, Hoſpitale ſive Xenodochium majus, quod ante annos centum viginti ab Henrico de Binzenhofen & Udalrico Blaarer, *Xenodochium Conſt.*

Digitized by Google

fundatum diximus, hocanno Diethelmus & Egolphus Blaareri, ampliſſima donatione dotavere, pulcherrimmum ſanè & digniſſimum Blarerianæ familiæ monimentum.

Nicolaus Epiſc. ob. Ipſo anno incredibili paupertum omnium luctu & comploratione moritur Nicolaus Epiſcopus noſter in ſua arce Caſtell, cum ipſo feſto S. Mariæ Magdalenæ gravi morbo tentatus in lectulum ſe abjeciſſet, & tertia poſt die S. Jacobo ſacra diem ſuum feliciter obiiſſet, à paupertinis ſuis Palatinis, qui quotidie ejus oſtia & greſſus abſervabant, uti vivens petierat, ad tumulum elatus, & in templi Cathedralis choro prope pulpitum conditus. Succedit Udalricus Pfeffenhart, nobili Conſtantienſi familia oriundus, Eccleſiæ Cathedralis Canonicus & Decanus, B. Adelheidis, de qua ſupra, cognatus.

B Margar. Vvillin. A. C. 1245. Iterum lumen ſplendidum Conſtantiæ noſtræ memorandum B. Margarita Willin dicta, lectiſſima in Thoſs Monialis, jugi quaſi Martyrio ſe quotidie mactans & conſecrans Numini, corpuſculum, præter crudeliſſimas flagellationes fame & vigiliis immiſericorditer afficiens, quam tamen ſemel ante Primam obdormiſcentem excitans ſpectabili forma Virginum ſponſus, hiſce verbis corripuit: *Hic*, inquit, *hora ego coram judice ſtabam, & tu ſtertis ac dormis?* Cordi habuit vocem amabilis ſponſa, & nunquam enim meminit, donec ad præmia, & procul dubio Martyrum, vocaretur, cui cum mors proxima denunciaretur, ſoluta in riſum: *& hoc optatiſſimum nuncium*, ait, *ſemper expectabam*, magno gaudio felicem animam exhalans.

Læta moritur.

B. Anna de Klinglauvv. Sed ne ſolam hanc ſtellam omineris juxta illam multaſque alias pari exſplendeſcit ſplendore ejuſdem Cœnobii Monialis B. Anna de Klinglauvv perfectiſſimæ Vitæ Virgo, ſolatium omnium afflictorum, cujus omnia dicta, facta ſpirabant odorem ſuavitatis, quæ à morte Eliſabethæ ab Elgavv conſpicua, inſtar fulgidi luminis apparuit, è cujus elevatæ calvaria, magna fide ſoror ægrota hauſtum aquæ, an vini faciens, illico convaluit.

Henricus Abb. Camp. A. C. 1346. Moritur Gervvicus Hortbander ab Helmshofen Campidoni Princeps & Abbas ſuccedente Henrico ab Oberhofen, viro ſplendido, ſed malo Oeconomo. Etiam inter ſæculares religioſo fervens ſpiritu, Anna quædam, haud procul Conſtantia B. Suſoni non ſine Numinis ſpeciali gratia innoteſcit, ipſa arcem quandam inhabitans, cœli tamen proprior arcibus, quam variis revelationis Deus Suſoni, & hunc ipſi commendavit, cujus tamen genus & habitationis locum, de induſtria Suſo ſubticuit.

B. Anna.

Stellæ variæ. B. Barbara. Subprioriſſa. A. C 1347. Solum Toſienſe Diœceſeos noſtræ Cœnobium, cœlum quaſi novum effici viſum ſtellis perpetuo variis colluxit, paucas è multis obiter attingimus. Ex his Barbara, vulgo Belina dicta, Subpriorem loci viginti annis egit, diſcretionis norma habita & devotionis. Paulo ante mortem,

mortem, dum forte fortuna ad cellam ejus quædam sororum diverteret, & nemine præsente agoni proximam animadverteret, moxque altum *moritur moritur*, exclamaret, & moritura, *quis moritur?* subjiceret. Tu inquit, hæc præ gaudio in risum effusa, ridendo supremam exhalavit animam. Huic proxima B. Catharina Blettin dicta silentii studiosissima & quasi perenniter silentiaria, admirationi ob egregias virtutes etiam perfectis fuit. Duabus illis B. Margarita dicta Finckin, virtutibus nec hilum cessit, à quinto ætatis anno, ad 75. usque eodem in Cœnobio, in Virtutum studio nulli secunda, cui perpetuo in auribus & corde tuba illa Judicialis insonabat, cujus consanguineæ, Beata Elisabetha Melzin & Idda de Tengen, pari vitæ integritate æternam apud consorores, sanctissimo vitæ exemplo memoriam meruere.

B. Cathar.

B. Margaritæ

BB. Elisabeth & Idda.

A. C. 1318. Constantiæ, ut & aliis passim locis, Judæi in suspicionem adducti, fontium per Germaniam infectorum, & consequentis inde pestiferæ per omnes provincias luis, flammis devoti & exusti sunt, tota adversum eosdem Europam conclamante.

Judæorum supplicia

A. C. 1349. Magnum iterum Urbi nostræ Constantiensi ab incendio periculum, & quidem ab insigni perfidia & scelere Judæi cujusdam, qui superiore anno sive metu supplicii ob fontes intoxicatos, sive persuasione Christianorum, nostris se se Legibus addixerat. Is pœnitentia ductus, ut in se se ipsum animadverteret, & scelus ejuratæ Judaicæ Religionis memorabili ultione plecteret, domum ipse suam in Urbe incendit, incendioque ejusdem se se devovens, Judæum se morivociferando, infelicem animam efflavit, & à temporalibus consumptus flammis, ad æternas æternum ustulandus descendit, quo insimul igne quatuordecim vicinæ civium ædes, non sine magno reliquę urbis periculo conflagrarunt. In solo Virginum Angelomontano Cœnobio 116. Moniales lue pestifera extinguuntur.

Incendium Constantiæ.

Judæi perfidia.

A C. 1350. Iterum sydereo fulgore Divina gratia ex humili sororis, ut vocant, Conversæ pectore, mirificè se prodit, radiosque illustrissimos sanctitatis latissimè spargit ex Beata Gutta, cognomento Mestina, Monasticen in Valle Divæ Catharinæ professa, Virgine egregia. Hæc juvenculaadmodum Deo & Deiparæ consecrare Virginitatem suam enixe desideravit, & conservari humillimis precibus expetiit. Ipsam, cum forma eximia esset, libidinosus juvenis perditè amavit, & vel nolentem opprimere & deperire omnino statuit. Vigilavit pro dormiente Deipara, & cum scala ad fenestram cubilis adhibita, juvenis scandere nititur incomparabili splendore Dominam cum speciosissimo præ filiis hominum infante adfidere & excubare ad fenestram contuitus, territus sese illico recepit, neque deinceps aliquid nunquam ejusmodi præsumpsit, vitam vixit in

Beata Gutta Conversa.

A. Deipara servatur.

Cœnò-

Digitized by Google

Angelica Virgo. Cœnobio planè Angelicam, etsi longo sane, at voluntario Martyrio, corpori penè intolerabilem quam sæpius Cacodæmon impedire conatus, flagellum violente è manu extorsit, ipsa dein acrius in se sæviente omnesque ejus conatus eludente. Ab eodem hoste in puteum præcipitatam Numen mirè servavit. Dono lachrymarum tota pene diffluxit, ita ut oculis merito timeretur, ac proin temperare monita: Damnum nullum esse dixit, Dei gratia oculos perdere. Vivere desiit sub hunc ipsum annum inter mortales, ut inter immortalia sydera locaretur, inde æque patriæ & felicius patrocinatura, quam si diutius supervixisset.

Donum lachrymarum.

Constantia Tigurinis adest Ipso anno Constantienses nostri Tigurinis confœderatis auxiliares copias mittunt, cumque iisdem hostiliter invadunt oppidum Rapersvillanum cum arce antiqua, & expugnant.

Abb. Isnens. cum toto Conventu perit. Eodem anno tristissimo casu Henricus Abbas Isnensis, cum toto virorum Religiosorum ejus Monasterii cœtu, incuriâ coci cujusdam, qui ollas non curaverat seu inspexerat, venenata bestia aliqua in earum aliquam illapsa, miserabiliter una eademque die morte absumpti sunt, haud leviter inde Cœnobio periclitante, donec piorum hominum adnisu rebus afflictis consuleretur.

Moritur Vdalricus Episc. A. C. 1254. Valedicit mortalibus Episcopus noster Udalricus III. die 6. Novembr. cum Episcopatui septem annis utilissimè præstitisset, & insignem successori thesaurum reliquisset, quem condendæ propè arcem Gottlieben Urbi novæ destinaverat, & jam pagum vallo & fossis circumduxerat, sepultus est in choro Cathedrali. Designatur communi Canonicorum suffragio Episcopus Joannnes eo nomine Quartus Equestri familia de VVindeck (aliis VVindtlauvv) antea Alberti Claudi Archiducis Cancellarius, vir doctrina conspicuus & singulari sapientia præditus, paulo post ab Innocentio VI. summo Pontifice confirmatus.

Ioannes Episc.

Carolus IV. Imp. Constat. A. C. 1352. Carolus IV. Imp. Aug. magno apparatu & comitatu Constantiam occurrit, summo ibidem plausu exceptus, & mirificè loci & situs elegantia captus. Spectans autem sacrum Cathedralis Ecclesiæ thesaurum, partem pectoris S. Pelagii Martyris Urbis & Diœceseos Patroni, dono Episcopi & Canonicorum accepit, & charam habuit. Sed & in Augia Divite Reliquias Sanctorum veneratus, inde partem Capitis S. Marci Evangelistæ, & ad S. Galli Reliquias SS. Galli & Ottmahri meruit, quæ postea omnia Bohemiæ intulit, & in sacro Arcis Pragensis thesauro, reposuit. Eodem anno laudatissimus Episcopus noster Joannes sacris Ordinibus initiatus dum sacrum primum solemniter facere constituisset, edictum vulgavit, nequis eidem Sacerdotum interesset, qui non Cleri corum more tonsus

Primitiæ Ioan. Episc.

&

& honesto conformique sacerdotibus habitu vestitus esset. qua ex causa, plurimi sese subduxêre, Episcopo rem ad subsellia Romana trahente; & plurimum in Cleri reformatione laborante.

A.C. 1353. Iterum cætera Diœceseos lustraturum retinent sydera Illustrissima Monasterij in Töss; nimium splendentia, illis firmamenti longè illustriora; è quibus Beata Margarita ab Hunickon & B. Adelheides de Frauwenberg Equestrium familiarum ornamenta æterna, magnis se meritis, DEO, Angelis, & hominibus commendavére. Margaritæ parens magnus Cœnobij Dotator fuit, eaque propter beneficio Regno beatitatis donatum â morte conspicuus ipse retulit, sed & Margarita post mortem B. Elisabethæ ab Elgauw in gloria apparuit; Adelheides autem Baronissa, magno olim Dynastæ nupta, in matrimonio speculum lucidissimum conjugalis sanctioris vitæ extitit, inde exemplar facta Religionis. Certè esse minima in Congregatione elegit, & in se munia tyruncularum minimarum transtulit. DEI paræ ejusque filio longè addictissima; hisce demerendis mira excogitavit; verbo uno: Thesaurus meritorum nostræ Diœceseos fuit.

B. Margarita ab Hunickon.

B. Adelheid. Baronissa.

Ejus humilit.

A C. 1354. Antiqua jam lis intercesserat Episcopos inter Constantienses & Homburgios Dynastas, super juribus oppidi & Castri Marckdorffensis, metuebatq; Joannes, ne cum tempore adversa pars præscriptionis titulo, integrum sibi dominium vendicaret. Anxius tamen, ne suum alteri sive dimitteret, sive eriperet, causam Judicibus permisit, qui pro Episcopo pronunciarunt, approbante sententiam Cæsare; quæ res tantopere Homburgio doluit, ut nihil non deinceps sceleris in optimum Præsulem moliretur.

Lis super Marckdorffio.

A.C. 1355. Conradus Homburgius, vindictæ avidus, nulla nec juris, nec Cæsaris, neque Episcopi & pastoris sui reverentia, sacrilego ausu, quidquid posset, Episcopi & Ecclesiæ, diripiendo & vastando, arcem Gottlieben alia inter, hostiliter invadit, prædatur, incendit, & circum omnia populatur; Episcopo nihilominus dissimulante, neque vel justis quidem armis, hominis furiosi amentiam irritandam arbitrante.

Conradus ab Homburg.

A C. 1356. Nec continuit se furor insani hominis, nisi in ipsum Christum Domini injiceret manus, & sacrilegas, parricidiali quoque contaminaret scelere, patris imbueret sanguine: ergo duodecimo Cal. Februarij, dum Joannes Episcopus cum Domino Otthone de Reineck Vicario suo, Friderico â Secretis, & alio quodam Sacerdote Conrado de Stockack, nil tale metuens cœnaret, parricida memoratus, cum complicibus scelestissimi facinoris, armatus palatium & triclinium ingreditur, & nil mali meritum, ut nec metuentem Episcopum, lethali conficit vulnere & trucidat. Præsentissimus tamen sibi ipsi in morte ipsa Pontifex, in nullas alias erupit voces, quam sui in Virginum Virginem amoris indices, inclamans & ingeminans: *Maria Virgo, suprema.*

Occiditur B. pisc. noster.

Ejus verba

Martyribus accenſend. *pro Tuo Capellano apud filium intercede.* Interceſſit & Martyrum procul dubio choris adjungi impetravit, pro ſuæ Eccleſiæ juribus glorioſe occumbentem. Quod vel inde patuit, maximis Eccleſiæ noſtræ jungendum ſyderibus, ut quem deinceps Numen inſignibus ad tumulum miraculis comendaverit.

Sepultura communis. Sepultus eſt prophano primum loco prope Sacellum B. Margaritæ Virg. & Martyris, parricida cum complicibus magna nobilitate, majori tamen nequitia, viris impune evadente, donec ad tribunal Divinum cauſam dicere cogerentur.

Terræmotus ingens. Idem annus memorabilis juxta ac miſerabilis terræ motu horrendo & excitiabili fuit. Decimo enim quinto Cal. Novemb. cœlo veſperaſcente, tremere ſolum validè occœpit, ſed circa mediam noctem, tum vero ingenti fragore omnia concuti, quaſſarique cum decies antea, paucas intra horas terra moviſſet. quâ quidem concuſſione in ſola Conſtantienſi Diœceſi noſtra, octo & triginta arces everſæ ſunt, cum magna hominum ſtrage, & omnium fere turrium & concamerationum ruina.

Vlricus Epiſc. Conſtant. Succeſſit Joanni Epiſcopo occiſo Udalricus Eques de Fridingen, qui tamen hoc ipſo anno, cum nonnulli Henricum Brandiſij Baronem, Einſidlenſem Abbatem promotum vellent, ultro reſignavit, ne quæſtionibus ſeſe involveret, Romano Pontifice Henricum ſtatim confirmante.

Miracula Ioannis Epiſc. A. C. 1357. Numine innocentiam & merita Joannis Epiſcopi prodigioſa ope ægris impertita celebrante, ſacrum ejus corpus exhumatur multoque cum honore in Cathedrali Eccleſia ſepelitur. Pridie Idus Maij, ruſum graviter terra concuſſa eſt, per Helvetiam inprimis & tractum Rheni, peſtilenti deinceps lue motum conſequente, Carolus IV. Imp. petente Henrico *Lites variæ.* Epiſcopo, Epiſcopatus Conſtantienſis Privilegia confirmavit, quibus illi pene totam Urbem ſubjecit, unde perpetuæ deinceps Epiſcopos inter & Urbem lites emerſere. Henrici loco apud Einſidlenſes Principatum adeptus eſt Nicolaus Baro â Guttenburg.

Peſtilẽs lues. A. C. 1358. Conſtantiæ, & tota paſſim Diœceſi, quin & Germania Univerſa, peſtilenti lue multa mortalium millia occubuere. Sept Cal. Decembris ſolemnis Principum Conventus juſſu Caroli IV. Imp. Conſtantiæ eſt celebratus. De B. Amando ſive Henrico Suſone, multa & mira referenda occurrerent, verum geſtorum ſeries ad annos relata non habetur, ut de induſtria abſtineamus.

Nicolaus Abbas. A. C. 1359. Reſignat ultro & ſponte Abbatiam Angelomontanam Henricus Abbas, cujus loco Nicolaus de Weiſerlen ſubſtituitur. Inter turbida tempora, bellorum, luis contagioſæ, & terræ motuum inconcuſſa magnis ſanctitatis ſplendoribus Diœceſim illuſtrat B. Idda ſoror converſa *B. Idda converſa.* Vallis S. Catharinæ prope Dieſſenhofen culinæ ſervitio deſignata, anima

ſtellis

ſtellis omnibus lucidior, Divinis revelationibus illuſtrata. Hanc cum Beatæ memoriæ Maria de Conſtantia (patria ſua) cognominata, graviſſimis morbis confecta hiſce liberari rogaret, ejusque Patrocinium imploraret, ipſa rei ſatagens facile impetravit, & felix mortis nuncium eidem attulit, quâ ſequenti die extincta fuit, nec multo poſt Mariam Idda quoque conſequuta eſt, aliis & aliis ſtellis inter occaſum aliarum orientibus.

A C. 1360. Intulit cœlo rurſum illuſtre ſydus Epiſcopatus noſter Beatam Eliſabetham, illam de qua ſupra, Beato Suſoni noſtro familiariſſimam, Divinis viſitationibus & illuſtrationibus illuminatiſſimam, maximo damno hujus Hiſtoriæ noſtræ, ut, â cujus morte nemo deinceps Suſonis geſta proſequutus ſit. *B. Eliſabetha moritur.*

Nicolaus Angelomontanus Abbas, vix guſtans regimen Cœnobij immaturè præripitur, die 25 morte ſublatus cui Fratrum Suffragiis Rudolphus â Stüelingen ſubrogatur. Moritur eodem anno Hermannus S. Galli Abbas liber Baro de Bonſtetten, ſuccedente Georgio de Wildenſtein Barone. *Rudolph. Abb. Engelb.*

A.C. 1361. Par nobile ſtellarum effulget ſub hoc tempus in Monaſterio Vallis B. Catharinæ B. Helena Brümſin ab Herblingen ex nobili familia de Turre & B. Adelheidt Zirgerin, utraque cœleſtibus viſitationibus in terris aſueta, illam bonum Numen variis tribulationibus varie exercuit, & lepra demum percuſſit, nobiliſſimum patientiæ ſolidiſſimæ exemplar. Iſta ſibi ipſa perpetuo carnifex fuit, & cum ſupremum decumberet, mortemq; imminere non dubitaret, Prioriſſam ad ſe inviſentem, ſerio rogavit, quandonam ipſi & ſororibus commodius foret, ut morereretur? Reſpondenti de nocte incommodum ſatis & turbativum eſſe, eo quod tabulâ pulſatâ ſorores plurimum terrerentur. Tum illa: Ergo ſi placet craſtina poſt Miſſæ celebrationem moriar. Ita factum, & ſic ſacris proviſa beatam hilaris efflavit animam. *Duo luminaria. B. Helena Brümſin. B. Adelheidt. Mira res!*

A.C. 1362. Longitudine hyemis, & præteritæ æſtatis æſtu intolerabili, pabuli undique na a ingens inopia. Poſtea etiam pecudum fœda mortalitas, & inde omnium penè rerum maxima penuria, quæ haud paucos quoque mortales ad extrema adegit. *Magna annona caritas.*

A.C. 1363. Triſtiſſimum Urbi noſtræ Conſtantienſi, Suſonem ſuum, princeps decus & ſolatium dimittere coactam, ipſo nunc in Conventu Ulmenſi morante, nec Ulmam ſolam, ſed omnem circumjacentem provinciam plurimum illuſtrante. Habuit Wiblingenſi in Cœnobio Benedictino familiarem Religioſum aliquem, quocum libenter contulit, ita ut hæc ſydera velut Evangelica illa animalia, mutuo excitarent & accenderent. *B. Suſo Ulmam mittitur.*

A.C. 1364. Moritur Agnes Ungariæ Regina Alberti I. Imp. filia B. Eliſabethæ noverca, Fundatrix Cœnobij Campi Regij, ibidem tumulata. In Monaſterio Virginum Angelomontano ſimul ſemelq; triginta ſacro velo *Agnes Ungar. Reg. obiit.*

amiciuntur ab Henrico Barone de Brandis Episcopo nostro Constantiensi.

Moritur B. Suso. A.C.1365. Insignem humani generis thesaurum, Constantiæ nostræ, ut patriæ pluribus annis concessum, Ulmæ aliquamdiu creditum cœlum terris hoc anno eripit, Beatum Henricum aliàs Amandum â Monte (Rhætica utique familia, sed Constantiæ Sedem figente, vulgo Susonem dictum) virum in quo Sapientia ipsa delectari, & sedem figere est visa, postquam absolutissimus in omni Virtutum exercitio evasisset. Decessit 25. Januarij Ulmæ in Conventu Patrum Dominicanorum, in Sacro Xysto seu ambitu Cœnobij sepultus, & ad nostram usque ætatem incorruptus. Ipsi Amandi, pro Henrici nomine Numen ipsum imposuit, quod dignissimus cœli amoribus esset. Ejus scripta, mustum æternæ Sapientiæ spirant, vita tota est speculum & exercitium Christi Passionis. Ipse amor Matris Virginis, miraculum, & insolentissimum, suæ ætatis. Gloria Constantiæ nostræ immortalis, cujus nemo non Constantiensium impressam altè pectori memoriam habere deberet, tota Urbe extare deberent tanta viri, in omni æde privata, nedum publicis, nominis & Virtutis monimenta. Locustæ Germaniam & Diœcesim nostram tanto numero infestant, ut nubis crassioris instar, solis aspectum obvelarent. unde ingens denuo rerum necessitariarum caritas, multæque exortæ incommoditates. Ipso anno moritur Nicolaus Abbas & Princeps Einsidlensis 4. Id. Martij Liber Baro de Guottenburg, nom nato successore Marquardo ex Baronibus de Gruenenberg.

Incorruptus â morte.

Gloria Constantiæ.

Locustæ, vis.

Res turbulentæ. A.C.1366. Colliduntur gravissimo super piscationis jure Constantienses & Augienses, Mangoldo Brandisio Barone, Episcopi nostri ex fratre nepote, Augiæ Oeconomo, litem intendente, & piscatores aliquot interceptos exoculari curante.

Beata Elisab. monialis. A.C.1367. Rursus cœlesti lumine stella Diœcesim nostra illuminat Beata Elisabetha cognomento Bächlin sacra DEO Virgo in Valle S. Catharinæ, Numini â teneris annis addicta, quam cum â Monastices proposito parens avertere conaretur, decem annorum puella, parentem deterruit, minata apud tremendum Judicem de patre conquesturam; ita ut deinceps facile acquiesceret. Vixit ad septuaginta duos in Cœnobio annos, Divinis revelationibus plurimum illustrata & accensa.

Insidiæ & hostilitates. A.C.1368. Crescunt odia Constantiensium & Augiensium, his 26. Nobilium ex Urbe nostra Tigurum ad ludos solemnes Equestres tendentium intercipientibus, nostris rem fortiter gerentibus & Augienses in fugam agentibus perempto Wolfgango Barone de Brandis Manegoldi fratre; Constantiensibus aliquot paulo post Marpacum Brandisiorum arcem expugnantibus, novemq, ex propugnatoribus captis, Constant. abductis atque decollatis.

Iuunt quiinjurij erant.

Lud. Abb. Weing. A.C.1369. In Monasterio Weingartensi post Henricum Toparcham ab Ibach Ludovicus ejusdem nominis & familiæ successor Baro ab Haldenberg

alterum

Digitized by Google

alterum Salomonem agit, Præsul incomparabilis, sapientia, auctoritate & in rebus gerundis dexteritate.

Gliscunt odia Constantienses inter & Augienses, cumque Episcopus hisce favere videretur, nec posse Mangoldo ex fratre nepoti contradicere, multaque ab Carolo IV. in præjudicium urbis impetrasset, quam antea benè affecti ad Episcopos cives erant, tam deinceps iisdem contrarii fuêre.

A. C. 1370. Constantia tumultu civili; tantum non tota evertitur, insurgente denuo in Magistratus & nobiles plebe, & violenta manu Senatum invadentibus, novemdecim Tribunis cum suis Tribubus; ita ut frustra primùm reluctati, Tribunorum præcipuo rebellionis Archistratego trucidato, cedere tamen, & ad mortem quæsiti sese abdere, emigrare denique quibuscunque poterant modis, urbe cogerentur, quæ non quisque clam secum abstulerat, sive absconderat, omnibus in prædam furiosæ plebis, cedentibus. Duravit dies quinque metuenda seditio, donec nemo porro qui libidini plebis obniteretur appareret, & ex hujus sententia Consules deligerentur & Senatores. *Tumultus Constantiæ.* *Magna rerum turbatio.*

A. C. 1371. Iterum plaga cœlitus immissa, haud dissimilis ejus de qua supra, Cicadarum denuo infinita multitudo, agros, prata, vineas depascentium, magna denuo annonæ caritate necessario consequente. *Cicadarum multitudo.*

Iterum lumen insigne è novissimo conversarum sororum Ordine, in Valle S. Catharinæ prope Diessenhofen se prodit B. Adelheides dicta de S. Gallo, DEIparæ addicta, in laboribus â juventute sua, & quidem ut sub laboribus penè deficiens, nunquam sacra sua exercitia prætermitteret; Divinis revelationibus illustrata, ut facile appareret, DEUM erga ipsam mirificè affici, & quod cum humilibus sermocinatio ejus. *B. Adelheid. conversa.*

A. C. 1372. Henricus Episcopus notter post diutinam cum civibus urbis nostræ contentionem, pacem denique haud diu duraturam componit, cum quæsita atque impetrata ab Helvetij vicinis libertas, plebis nunc Urbis Dominæ animos, nimis quantum afficeret. Eodem anno Constantienses adjunguntur Societati illi Equitum, qui ab ensibus nomen sibi vendicarunt, quos omni loco & tempore gestare solebant. conducti è civibus quatuor, qui reliquorum nomine, gladios continuo manu præferrent. *Lis composita.* *Societ. Ensis.*

A. C. 1373. Exigit grandem ab Urbibus Imperij pecuniarum summam Carolus Imp. bello, ut ajebat, gerendo, & recusantes ingenti comparato exercitu cogere parat, ita ut denique nolentes volentes cogerentur, Urbe nostra Constantiensi quadraginta millia, Ulma 52000. Rottvilla 10000. Rüttlinga 15000. Lindovio sex millia, numerantibus & pendentibus. *Carol. IV. exigit pecuniam.*

A. C. 1374. Annus continuis imbribus infestus & exitiosus; flumina pleraque alveos & ripas supergressa, quidquid verè obviam fuit abripuere, *Annus exitiosus.*

nonnullos etiam vicos pene integros, frequentia in campis armenta & pecora, non absque mortalium magna strage & nece; præcipuè mense Novembri, tanto malo invalescente.

Terræ motus, &c. A. C. 1375. Nec meliora novi anni initia. exeunte enim Januario mense terra validè concussa est, hiaruntque plurimis locis in maximas speluncas montes, situm etiam rupes locis nonnullis mutavere: quæ ut in præsentia ingentem trepidationem omnibus generarunt, ita calamitatum, quæ brevi in has regiones migrarunt, haud dubie indicia extiterunt.

Peregrinatio Sacra. A. C. 1376. Diethelmus Schilter, nobilissima inter Constantienses familia, una cum Joanne de Bodmann peregrinationem ad sepulchrum Domini, & ad S. Catharinæ in Monte Sinay instituit, quam & postea accuratè descripsit. *Angli in Helvetia.* Angli & Galli Helvetiæ nostræ incubant hæreditatis prætextu, quæ Catharinæ Austriacæ Galliæ Thalassiarchæ Cousilij Comitis conjugi deberetur, donec aliquoties contusi, & fame coacti, unde venerant reverterentur. Henricus Episcopus noster Festum Dedicationis Ecclesiæ Uffnaugiensis, metu periculi ab navigatione lacus, incommodius tempus differt, & sacras Indulgentias conduplicat.

Marquard Abb. Einsidl. A. C. 1377. Vitam mortalem exuit Marquardus Abbas & Princeps Einsidlensis Bertholdi Baronis â Grünenberg filius, Walcheri frater XV. Cal. Novembr. in cujus locum suffectus est Petrus Baro de Wolhausen, ultimus suæ familiæ Præpositus S. Geroldi. Wenceslao Rege nihil quam Urbium privilegia & contrahere & imminuere satagente, confœderantur hoc anno *Confœderatio urbium.* 19. Imperij Urbes: Constantia, Memminga, Lindovium, Biberacum, Werlinga, Buchornium, S. Galli, Ravenspurgum, Wangena, Isna, Campidonũ, Leütkirchium, Kauffoura, Ulma, Wila, Esslinga, Reutlinga, Rotvilla & Pfulendorffium, &c. moxque Confœderatorum fervor in Oppidum Duttlingense efferbuit, quod prima obsidionis die expugnatum, direptum & exustum fuit muris etiam solo æquatis.

Augetur Confœderatio. A. C. 1378. Jungunt sese fœderatis Urbibus, Nordlinga, Wimpfena, Dinckelspula, Halla, Rottenburgum ad Tubarum, Alena, Weissenburgum, Schweinfurtum. & non multo post etiam Ratispona, Augusta Vindelicorum, Norimberga, Basilea, Argentoratum, Moguntia & Francofurtum, durante confœderatione annos undecim, solis dein Septem Potamicis Urbibus fœdus continuantibus.

Constant. contra Wirtemb. Ipso anno Constantienses accita ope Urbium Uberlingæ, Ravenspurgi, Pfulenduri, Lindovij, S. Galli, Weilæ & Buchornij, contra Wirtembergium moventes, Castrum quoddam munitissimum, quartodecimo die obsidionis expugnant & evertunt.

Ludi Equestr. Constantiæ. A. C. 1379. Incertum admissíne denuo in Urbem nostram Nobiles & postliminio revocati, an pars, quæ manum & fidem plebi dederat, in Urbe tole-

Digitized by Google

tolerata; Hoc certo anno insigne Hastiludium & solemne Nobilitas nostra Constantiæ celebrat, rerum præ aliis satagentibus Henrico Schilter, Joanne Rauck â Winiden, Henrico de Thurn, Joanne Gaudenz, Henrico Goldast, Joañe de Rieth, Volckero de Magelzhofen, quatuor de Hof, tribus â Lindt, quatuor Blaareris, duobus Hertleris, duobus â Schellenberg aliisq;. Mortuo Georgio ad Divi Galli Abbati, sufficitur Chuno â Stofflen Liber Baro. *Præcipui ex Constantiens.*

A.C. 1380. Lætificant Civitatem DEI Curiam cœlestem & terrestrem plures egregia vitæ integritate viri fœminæque diversorum in Diœcesi nostra Ordinum, & Vallis illa S. Catharinæ Rhenana nunquam non germinat, quod cœli terris invideant, cujusmodi hoc tempore fuit Beata Idda cognomento Sultzerin soror conversa ibidem, singulariter â Numine electa. Quæ cum diutius torqueretur super vocatione sua, syncera simplicitate ardentes carbones utraque manu apprehendens. DEUM rogavit, siquidem loco esset qui ipsi placeret, ab illis nil pateretur. Inde nil damni illatum seu manibus sive vestibus observans, constans deinceps in fide mansit. DEO fidelissimè diebus ac noctibus servijt. quæ â morte tumulo inferenda insigni prodigio honorata est, ventorum & imbrium vi funalibus ad funus extinctis, cœlitus reaccensis, neque dein quidquam â vento & aquis passis. Ipsi conserviit in Cœnobio Richi de Schalcken, soror & ipsa conversa, ante Iddam defuncta, cui cum morituræ adesset Idda cœlestem hanc vocem audiit: *O si viverent in Cœnobio omnes, uti hæc Richi vixit!* Sed & hæc aliam sororem juxta se servientem habuit Barbaram nomine, cujus tota vita in orationis studio & DEI servitio constitit. quæ supra hominis naturam abstinentiæ Virtute claruit, seque fame ac siti confecit. *B. Idda Conversa. Mirè confirm. B. Richi de Schalcken. B. Barbara conversa.*

A.C. 1381. Inquietæ Diœceseos nostræ res, per Helvetiam inprimis, ubi exasperati Habspurgiorum Helvetiorumque animi illis hoc anno Solodurum nocturnis insidiis occupare tentantibus, multaque hostilia in Bernates audentibus, unde natum Kyburgense bellum, & semina quoque belli omnium atrocissimi Sempacensis. *Helvetice motus.*

A.C. 1381. Mortuo Henrico â Mittelberg Campidoni Abbati ac Principi succedit Fridericus ab Hirsdorff, contra quem cum Capitulares aliquot Pilegrinum â Nordholtz promotum vellent, multa inde enata jurgia & incommoda sunt, donec Pilegrinus denique de causa desperaret. Pergunt in flammas majores erumpere motus Helvetici, multum deinceps & sanguinis & ignium daturi. *Fridericus Abb. Camp. Gliscunt bella, Helvet.*

A.C. 1383. Decumbentem in arce Gottlieben desperatâ valetudine Henricum Episcopum nostrum, solatur sua præsentia Petrus Abbas Einsidlensis, collega olim, & in Abbatia successor, & nonnulla pro Monasterio impetrat. Decessit eodem anno Henricus Klingovij Episcopali oppido, *Morit. Henr. Episc. nost.*

in

Digitized by Google

in Festo S. Cæciliæ, indeque translatus & in Cathedrali Basilica sepultus est. Inde dissidium inter deligentes aliis Mangoldum Brandisij Baronem Augiæ Abbatem Henrici nepotem, cæteris Nicolaum â Risenburg nominantibus.

Mangoldus Episcopus.

A. C. 1384. Mangoldus Episcopus solemniter confirmatur ab Adolpho Archiepiscopo Moguntino Nassovio Comite, Metropolitano suo 27. Januarij hujus anni; verum Nicolaus Romæ suum urgens negotium & causam â Papa confirmatur, & â civibus Mangoldo infensissimis summo plausu, magna pompa excipitur, & ad Cathedralem Ecclesiam solemniter deducitur, Mangoldo Jus suum armis vendicare parante, qui tamen hoc ipso anno 8. Cal. Novembr. dum militiam suam lustraturus equum conscendit, inde præceps eodem momento vitam finiit non sine correcti veneni suspicione, in Augia Divite tumulatus.

Repente moritur.

Fœdus Vrbium majus.

A. C. 1385. Annus hic celebris fuit, magno Civitatum Rheni, Sueviæ & Franconiæ fœdere, in quibus etiam Constantia nostra fuit, etsi Helveticis sese motibus necdum commisceret. Nicolaus Episcopus æmuli insidiis liber, splendidè se habuit, Conviviis solemnissimis sese recreans, ita ut intra breve tempus 24. millia florenorum dilapidaret. Helvetij non præmonitis Archiducibus loca alia tentant, alia occupant.

Constantienſ. Lindovium expugnat.

A. C. 1386. Incertum, quibus injuriis irritati Constantienses nostri, in Lindovienses movent, munitissimamquo natura urbem summa animorum & virium contentione fortiter oppugnantes, felicissimè expugnant. civium tamen saluti consulunt suorumque aliquot, jurato in Nobiles familias odio in earumdem necem conjurantes, capitis quamprimum damnant. quod & Victores domum regressi faciunt, duobus civium simile quid in Buchornenses decernentibus & capite luentibus.

Grande miraculum.

Contigit sub hunc annum in templo Bernrain sesquihoram ab Urbe distante, puerum petulantiorem lignatum euntem Crucifixi imagini per contemptum nares emuncturum, quo securius, ut protervè dicebat, ipsum oscularetur, illud nequiter tentare; moxque obrigescente ad nares imaginis manu ac digitis, & fixis prodigiosè, captivum teneri, nulla inde vi abstrahendum, quam concursu ad miraculum facto, ad preces solemnes populi solveretur. Verum is puer biennio post, cum denuo maledica peccaret gravius lingua, hâc excisa in exilium actus memoratur. Anniversaria miraculi memoria deinceps solemni ex Urbe processione, Inventæ Crucis Festo celebrata.

Pœna peccati ſera.

Leopoldus Auſtr. occub.

Ipso anno Leopoldus Archidux magno Nobilium comitatu, insigni cum exercitu contra Helvetios properans, prope Sempacum IX. Julij memoranda clade profligatur. ibidem cum plerisque Nobilium tumulatus.

A. C.

A. C. 1387. Nicolaus Episcopus noster Baro de Risenburg à Barone de Thengen Tiguro Constantiam rediturus prope Glattfelden interceptus, in Hohen Hövven captivus trahitur donec promissis stare polliceretur, multa promittere vulgo incusatus, & nihil servare. Idem grandium debitorum malè conscius, spem concipiens Olmatensis Episcopatus adipiscendi, Constantiensem libere à se abdicat, Canonicis quamprimum, Burcardum Baronem ab Hövven, Cathedralem Præpositum in Cathedram Episcopalem evehentibus. *Nicolaus Episc. moritur.* *Episcopatum abdicat.*

A. C. 1388. Nicolaus ex-Episcopus, Olmatensem sive Olomucensem occupaturus Episcopatum, Marchionem quemdam Moraviæ eidem jam prælatum reperit: Burcardo interea novo Electo nostro, confirmationem Romæ coram urgente, nec quidquam efficiente, donec Nicolaus Præpositi munere se contentari sineret, Burcardo cum Roma reverteretur incredibili plausu Constantiæ recepto. *Nicolaus utroque honore excedit.* *Fit Præpositus.*

A. C. 1389. Constantienses cum septem Confœderatarum urbium subsidio Lupolz castrum obsident atque expugnant, captivi inde abducti Joann Dapifer Waldpurgius, Hermannus Comes de Sulz, Diepoldus de Luterach, Egolphus de Schellenberg, Henricus Wolffgangus ab Erlibach, Conradus de Freyberg, Ulricus de Laubenberg, Eberhardus de Weiler, aliique litro soluto vita donati sunt, castrum tamen incensum & dirutum. Ipso anno Constantia amplior facta & munitior est reddita, quod à vicinis Helvetiæ turbis nonnihil metueret. Laborant Constantienses plurimum cum Confœderatis, pro componendis Helvetiæ motibus, idque hoc anno impetrant, pactis septem annorum induciis. *Lupolz expugnatur.* *Constantia dilatatur.*

A. C. 1390. Floret inter tot tumultus Angelomontanum felicissimum Cœnobium, ad quod certatim convolant lectissimæ Diœceseos nostræ Virgines, Angelicis Virginibus accenseri gestientes, & hoc ipso anno 24. insimul Religioso habitu induuntur. Magnam apud omnes laudem meretur Burcardus Episcopus noster, Deique honorem & Sanctorum magno zelo promovet. Moritur hoc anno, magno sui relicto desiderio Petrus Baro de Wolhausen Einsidlensis Abbas, Pacis præcipuus per Helvetiam auctor, cui Ludovicus ex Comitibus de Thierstein sufficitur. *Monasterium Engelberg.* *Ludovicus Abb Einsidl.*

A. C. 1391. Iterum binæ firmamenti nostræ Diœceseos stellæ memorandæ sunt: B. Machtildis de Wangen prænobili genere, ipsa Nobilior insita animo ingenuitate, quæ in Monasterio Vallis S. Catharinæ prope Diessenhofen summa perfectionis fama exsplenduit, & Divinis revelationibus illustrari meruit, & Beata Lucia Schultheissin, sanctimonialis in Töss, mortificationis suorum sensuum studiosissima, ita ut triginta totis annis per fenestram cellulæ suæ nec cœlum neque hortum aut campos respiceret, sibique valde rigida esset. Eam nimia sui dejectione laborantem cœlestis vox vi- *B. Machtild. Monial.* *B. Lucia Schultheissin.*

sionis beatificæ certam reddidit, & mirificè ejusdem desiderio accendit.

Hercinia luminaria. A. C. 1392. Sed & Hercinia suis syderibus nunquam usque hodie destituta, Diœcesi nostræ, plurimum semper splendoris contulit, hoc anno S. Blasii Monasterium Abbatem Henricum ab Eschenz habuit, virum glorioſum & Polytropum, sub quo sacer ille cœtus plurimum floruit & splenduit. Nec minor gloria S. Trudperti, ubi sub hoc tempus Benedictus Liber Baro de Stauffen Dei cultum promovit.

Libertatis species. A. C. 1393. Libertatis titulus apud Helvetios ubi primum invaluit, ejus semper desiderium in die invaluit. Ita hoc anno Abbacellenses aliorum exemplo, Domino & Principi suo Sangallensi obedientiam renunciarunt, contra quos Abbas Chuno Baro de Stofflen Constantiensium, urbiumque Potamicarum confœderatarum opem imploravit & meruit, modico tamen fructu, cum illi vicissim amicorum cæterorum auxilia impetrassent, & in proposito suo confirmati essent.

Abbacellenses rebelles.

Bellum Wirtenberg. A. C. 1394. Conjurat latè Nobilitas, quos inter Constantienses nostri contra Wirtenbergium, quem insolentius agentem armis comprimere satagunt. Fœdus illud, incertum qua causa, dictum vulgo fuit der Schlegel Punt.

Burcardi Epiſc. gesta. A. C. 1395. Burcardus Episcopus noster inter alia gloriosè & laudabiliter gesta, fundat sacellum SS. Petri & Pauli juxta Cathedralem Ecclesiam, propè S. Mauritii & Mausolæum S. Conradi Episc. idemque liberaliter dotat, ubi etiam à morte sepulturam eligit. Abbacellenses pergunt consulere libertati suæ, & Dominum suum pro viribus persequi, omnia susque deque suorum Pastorum monita & dehortamenta habentes.

Abbacellenses.

B. Mechtild. de Stanz. A. C. 1396. Lucidissimum sydus Constantiæ nostræ totiusque Diœceseos Mechtildes de Stanz, maximis meritis ipsum sibi cœlum obligat miraculum patientiæ, devotionis; mortificationis & flagrantissimæ charitatis, quibus Numen ipsum mire sibi obstrinxit, & Cœlites demeruit. Decubuit aliquando annum totum & 13. insuper hebdomadas, neque ipsa neque aliis scientibus quo morbo laboraret, cum tamen jam jamque semper morituta videretur. Deprehendit causam lectioris notæ Medicus, & nimia amoris id fieri violentia affirmavit, sanguine omni ad cor recurrente, cujus istud capax non esset. Verum Deus, qui tantopere ipsam inflammavit, ipsam quoque conservavit. Familiarem admodum sibi habuit Angelum Custodem suum, qui ipsam de nocte ad orationem excitaret. Ipsam prodigiis atque miraculis à morte honorasse Numen, MSSti. memorant.

Mirè servatur

Miraculis claret.

B. Conradus Dominicanus. A. C. 1397. Aliud eximii splendoris sydus Diœcesi tota Apostolico zelo vagatur, multumque passim proficit, & verbo & sanctioris Vitæ exemplo B. memoriæ Conradus de Grossis, Ordinis S. Dominici, patria Bruxellensis

Ange-

Digitized by Google

Angelororum consortio familiari in mortali corpore honoratus, Divinis revelationibus assuefactus, aliisque miraculis à Numine commendatus, in Spiritu absorptus interque celebrandum & orandum sæpe extaticus, qui hoc anno eximiam stellam imo plures cum eadem è Diœcesi nostra abducens, in restaurato Alsatiæ Cœnobio Schönen-Steinbach collocavit: nimirum Beatam Claram Annam ab Hohenberg, Diessenhofensis Cœnobii Virginem sacram, & ibidem primam instituit Priorissam, adductis ex eodem Cœnobio aliis quoque sanctioris vitæ sociis Adelheide de Hattingen, Elisabetha Goldtschmidin, Elisabetha Meringerin & Magdalena Bettungerin, quæ pro fundamento sancti illius Cœnobii deservirent. *B. Clara Anna ab Hohenberg.* *Socia ejusdem.*

A. C. 1398. Magno totius civitatis & Diœceseos luctu mortalibus eripitur Burcardus Episcopus noster Liber Baro ab Hövven, & in sacello Supra dicto à se condito, magno cum honore sepelitur. Mortuus in festo S. Hieronymi, cui ab Senatu Canonicorum universo ipsa die S. Galli Fridericus eo nomine Secundus, Comes de Nellenburg, Conradi, & Elisabethæ Comitissæ de Montfort filius subrogatur, vir præstantissimus, incredibili plausu consalutatus & consecratus, verum verso post paucos dies gaudio in luctum, cum Fridericus nimia debitorum mole à Nicolao Risenburgio oneratum Episcopatum cerneret, habitisque summis Canonicorum Collegio pro honore gratiis, Pontificatum libere resignaret, veteremque locum inter Canonicos occuparet. Quare collectis denuo calculis Marquardus de Randeck Episcopus eligitur, Henrici & Claræ ab Homburg filius, Mindensis jam antea Episcopus. *Burcardus Episc. obiit.* *Fridericus Episcopus.* *Marquardus Episc.*

A. C. 1299. Tristissimus hic annus Constantiæ nostræ horribili denuo longe lateque per eam grassante incendio, quod in suburbio Stadelhofensi exortum partem etiam Urbis corripuit & in cineres redegit, malo decem horas integras sæviente, excitato deinceps S. Jodoci templo, eo ipso loco, unde primum incendium prorumperat. *Constantia incendium.*

A. C. 1400. Ignavissimus Cæsarum, & turpissimus Principum Christianorum Wenceslaus Caroli IV. filius, sæpius prius commonitus, ridens consilia minasque solemnissimè exauctoratur, eidemque ex Consilio Rom. Pontificis Rupertus Comes Palat. Bavariæ Dux subrogatur. Fine Februarii horribilis Cometa apparuit, consequente lue pestilenti, & magna vi imbrium, ita ut à Festo S. Gregorii, ad usque S. Lamperti, supra medium annum pluvia tempestas continuaret, has tamen pluvias anno sequenti credimus accensendas. *Wenceslaus Imp. dejectus.* *Cometa apparet.*

A. C. 1401. Udalricus, an Waltherus ejus frater, ab Ulm Equestri Ordine vir, magnæ molis opus Montem Oliveti in media Cathedralis Xysti area molitur, totum secto, & exsculpto eleganter, in forma saxorum tempestate exesorum, scopulorumque prominentium, cum eleganti subtus *S. Mons Olivati.*

montem ſacello. Ipſo anno Helvetii omnes, exceptis Suitiis, Ruperto Imp. Sacramentum fidelitatis præſtiterunt.

Abbacellenſe bellum.

Natum ſubinde eſt bellum Abbacellenſe, longe omnium graviſſimum ſive geſtarum rerum magnitudinem ſpectes, ſive caſus mirabiles, & fortunæ in rebelles indulgentiam penè perpetuam, cum maxima multarum urbium & provinciarum Diœceſeos noſtræ ruina & deſolatione.

Conradus Martyr.

Conradus puerulus Dieſſenhofæ inſtinctu Judæorum crudeliter occiditur, 26. Novembr. miris celebratus.

A. C. 1402. Moritur Ludovicus Abbas Einſidlenſis Comes à Thierſtein, electus Epiſcopus Argentinenſis, in ipſo apparatu & itinere, quo ad Pontificatum capeſſendum, nocte quæ VII. Idus Octobr. præceſſerat, in arce Feſiconis repentina morte abreptus.

Ludovicus Abb. Einſidl. obiit.

Poſt cujus obitum, magno omnium conſenſu lectus eſt Abbas Hugo ex Baronibus à Roſeneck, quem Monaſterii Adminiſtratorem Ludovicus ſe abſente conſtituerat.

Hugo Abb.

Conſtantiæ hoc anno Majus ſacellum, quod uſque hodie extat, conſtruitur. Fridericus Comes à Zollern fit Augiæ Abbas.

B. Margarita de Tiguro.

A. C. 1403. Iterum perditiſſimo tempore, inter nebulas denſiſſimas variarum calamitatum ſplendida effulget ſtella ex Monaſterio Virginum Toſienſi Beata Margarita de Tiguro dono lachrymarum feliciſſima, variis revelationibus à Deo illuſtrata, invincibilis patientiæ in diuturno & graviſſimo morbo mirificum exemplar.

Reformatio Einſidl.

A. C. 1404. Hugo Abbas Einſidlenſis, totus eſt in reparandis & in priſtinum ſtatum reſtituendis Monaſterii rebus, per faſtum & prodigalitatem Anteceſſoris, abſumptis & laceratis, ante omnia autem, ſollicitus eſt, de priſca loco ipſi ſanctitate aſſerenda, & luxioribus ad exemplum Principis Aſcetarum moribus ad Sanctorum exempla reformandis, optimè omnino de Monaſterio meritus & inter præcipua Diœceſeos decora celebrandus.

Abbacellenſes proſequuntur bellum.

A. 1405. Fervet bellum Abbacellanum, quo præter innumera antiquitatis monimenta etiam arx vetuſtiſſima Comitum de Tockenburg incenditur & ſubruitur, & Auſtriacæ ditiones fœde vaſtantur, Friderico viciſſim Archiduce S. Galli oppidum obſidente, paulo poſt tamen deſerente. Ipſo anno Conſtantienſes portam illam Urbis, quæ poſt S. Stephani Baſilicam viſitur, primùm conſtruxere, vulgo Büntrich, ſive Lanzenthor, appellatam. Campidoni mortuo Friderico ab Hirſdorff Abbati & Principi ſuccedit Fridericus à Laubenberg, inſigni prudentiæ laude plurimum celebratus.

Frider. Abb. Campid.

Marquardus Epiſc. rebellibus minatur.

A. C. 1406. Acribus minis, poſtquam nil preces, nil monita profecerant deterret rebelles Abbacellanos eorumque auxiliarios Marquardus Epiſcopus noſter Conſtantienſis, & rebellionis ſcelus, quæque ſequerentur damna, clades, incendia, Dei graviſſimam indignationem exaggerat, nullo penitus fructu, niſi obſtinationis, & quod ipſimet Patri & Pontifici ſuo graviter & inexcuſabiliter minarentur.

A. C. 1407.

Digitized by Google

A. C. 1407. Nulla habita cujuſque ratione, in ſacros æquè ac profanos cives & exteros ſæviunt crudeliter rebelles, ingentemque vim caſtrorum & arcium Abbatiſcellani cum Glaronenſibus & Suitiis conſœderatis, exurunt & diruunt per Turgoviam, ferro, flamma in ipſos quoque agros & vineas debachantur: poſtremo apud Conſtantiam, quia Epiſcopus noſter, multas graves cenſuras in eos publicaverat, & excommunicaverat triduum Urbem obſederunt, ſed fruſtra, cum nemo excurſionem faceret, ſive hoſtile aliquid tentaret, ſi forte hoc ipſo docti ab injuriis & ſacrilegiis abſtinerent, motis inde caſtris vicinos diripuerunt, magna inſolentia & arrogantia undiquaquæ populabundi. Paraverat exercitum contra eos Marquardus Epiſcopus, Nobilitatemque Sueviæ ad compeſcendam ſuperbiam, & ignominiam refellendam accenderat, eo maximè quod per impotentiam animi ſparſerant, vulgo Abbatiſcellani, ſi Brigantio (quo deſperata Conſtantia iter & conatus flexerat) potiantur, Nobilitatem totius Sueviæ exterminaturos. At ipſum mors antequam deſtinatam expeditionem capeſſeret, paucis ante Chriſti Natalitia diebus, properata abſumpſit, magnæ Virtutis & dignationis Antiſtitem.

Sacra & profana miſcent.

Conſtantiam obſident.

Epiſcopi conatus.

Moritur Epiſc. noſter.

A. C. 1408. Anno proin ſequente ineunte, continuo de novo, his rerum turbis, inſtituendo Canonici conſultarunt, ſuumque Præpoſitum, antiquæ Nobilitatis virum Albertum Blaarerum Epiſcopum conſalutarunt. Hic anteceſſoris ſui ſequutus veſtigia, magnas continuo copias comparavit, civibuſque ad arma vocatis, cum proxima Nobilitate, Rudolpho inprimis Montfortio, & Sueviæ ſocietate, Divi Georgii titulo per ea tempora inſigni, duxit in Abbacellanos nonam jam hebdomadem per acerbiſſima frigora, Brigantium pertinaciter obſidentes, primaque luce, quæ Divo Hilario ſacra erat, in hoſtem invectus, facilè profligavit, magnamque partem cecidit, arma, impedimenta, caſtra eorum in poteſtatem redegit, Brigantium, & in eo Guilielmum Comitem obſidione liberavit, multosque ex hoſtibus, ſuamet manu, generosè obtruncavit. Nec dubium, quin ultra bellum progreſſurum fuiſſet, niſi paulo poſt pugnam hanc, ipſe Rupertus Imp. Conſtantiam advolaſſet, ſuamque auctoritatem interponens, Abbacellanos debita præſtare Abbati ſuo, pacem cum Nobilitate habere, & inducias cum Domo Auſtriaca juſſiſſet. Ipſo anno Conſtantiæ porta alia, illa nimirum, quæ in latiorem aciebus inſtruendis campum, vulgo, Briel, ducit, magna mole & ſumptu exſtructa & communita eſt. Replet Conſtantienſem Diœceſim ſanctitatis fragrantia & miris ſplendoribus Beata Eliſabetha Reüttenſis Franciſcana Virgo, magnis à Numine gratiis nobilitata, ita ut ſacris etiam ſtygmatibus, inſtar Seraphici Franciſci inſigniretur, æterno prorſus Epiſcopatus noſtri ſolatio & ornamento.

Albertus Epiſcopus.

Hoſtes profligat.

Rupertus Imp. Conſtantiæ.

Nova in urbe porta.

A. C. 1409

Digitized by Google

A. C. 1409. Albertus Episcopus noster, frustra Romæ confirmationem suam urget, pro irregulari habitus, quod jam electus Episcopus ipse manus in hostes strinxisset, & ut ferebatur suo gladio magnam stragem edidisset. Fuit nihilominus tanquam legitimè electus, summo in honore & pretio habitus, quod nemo nesciret, non levitatis causa quæ fecerat, sed inculpatæ Tutelæ causa, & justo in juratos hostes odio, gessitque ea laude gubernacula Episcopatus, ut brevi tempore multa pro bono publico præstiterit. Constantiensibus inprimis supra modum dilectus & Amicus.

Alberto negatur confirmatio.

Agnoscitur tamen.

Schisma gravissimum.

A. C. 1410. Vexatur misere Orbis Christianus & in partes distrahitur periculosissimo Schismate, manetque in statu turbido & incerto, ad usque Concilium Constantiense. Accessit ad cumulum mali, mortuo hoc etiam anno Ruperto Imp. Augusto, quem Constantienses Amicissimum experti plurimum deplorarunt, Wenceslao Ignavo Imperium denuo, sed frustra exambiente. Verum Jodoco Moraviæ Marchioni, & hoc post mensem 6. defuncto Sigismundo Ungariæ Regi Wenceslai germano supremi fasces delati sunt.

Rupertus Imp. moritur.

Sigism. Imp.

Eodem anno orta Episcopum inter nostrum & Tigurinos contentio, & mox bellum, populaturntque Tigurini quidquid Episcopatus fuit Tannecium usque, rursus Constantienses par pari referentes plurimas Tigurinorum arces & ditiones everterunt. Sed brevi rediere in concordiam, compromisso in Hermannum Toparchum de Landenberg facto.

Episcopus contra Tigurinos.

Albertus Episc. resignat.

A. C. 1411. Initio anni hujus, Albertus Episcopus noster, nec invito Rom. Pont. Episcopatum violenter retinere videretur, pulcherrimo observantissimi filii exemplo, ultro & sponte multis deprecantibus resignat, summo consensu capituli Otthoni Marchioni ab Hochberg & Rottelen, servata tamen sibi, & quidem mediocri annua pensione.

Ottho Episc.

Suburbium Constantiense.

Ipso hoc anno absolvitur magnæ molis structura, suburbii Constantiensis, muris robustissimis & duplici vallo fossisque communiti, idque duabus egregiis turritis portis fit pervium, alteram vulgo Mannißthor, alteram Emmishofer Thor appellant, civibus sibi mature ab Helvetiorum moribus, & insidiis præcaventibus.

Porta 2. Vrbs.

Eodem anno moritur Beatæ memoriæ Joannes de Witte, socius Beati Conradi de Grossis de Episcopatu nostro pariter optime meritus, uterque singulare ejusdem lumen, etsi in Basileensi mortui & in Steinenbach tumulati.

Joannes de Witte.

A. C. 1412. Mortuo superiore anno Chunone S. Galli Abbate Libero Barone de Stofflen, cum ob rerum nimiam turbationem, nemo esset qui tales exambiret infulas, Joannes XXIII. Mysnensem quemdam Benedictinum Abbatem renunciat, verum is vix contuitus statum loci, id muneris

Afflicta res S. Gabi.

Digitized by Google

renuit & Capellano ſuo offert Henrico à Gundelfingen, qui etiam annuente Pontifice & confirmante acceptat, & ipſe non diu retenturus.

A. C. 1313. Sigiſmundus Imp. laudatiſſimus deſiderio & cura tollendi graviſſimi in Eccleſia Schiſmatis, durante inter tres Pontifices, Joannem Benedictum & Gregorium, ſummo rei Chriſtianæ ludibrio & damno, contentione, in Italiam profectus, Laudæ Pompejæ cum Joanne XXIII. colloquium habuit, multiſque rationibus perduxit, ut Concilium Generale, cui ipſemet præſideret, Conſtantiam indixerit. Publicatio Laudæ facta V. Id. Dec. Pontificatus ejus anno quarto, Concili principio Kalend. Nov. anni inſequentis decreto, qui totus in apparatu pene conſumptus fuit. *Sigiſm. Imp. zelus.* *Concilium Conſtantiæ indicitur.*

A. C. 1414. Infinitus hominum concurſus Conſtantiam, cum eorum qui commeatum & merces convexerant, tum qui conducere habitacula à diverſis Principibus & Pontificibus miſſi fuerant. Joannes Pontifex Joannem Cardinalem Oſtienſem Epiſcopum præmiſit, qui pridie Idus Auguſti Urbem ingreſſus Palatium Epiſcopi, pro Pont. parare cœpit. Illum ſequuti, penè in dies ſingulos, Cardinalium, Epiſcoporum, Antiſtitum, Regum quoque & Principum Legatorum miniſtri, ad capienda diverſoria & neceſſaria paranda. Tandem VI. Kaled. Novembr. Creiizlingam Joannes XXIII. ductu & præſidio Friderici Auſtriæ Ducis delatus eſt. Inde die ſequenti, cum inter Divina ejuſdem diei officia Erhardum cogn. Linde, mitra redimiſſet, & ex Monaſterii Præpoſito primum Abbatem creaſſet, Veſpera jam inclinante Conſtantiam ingreſſus, magno Cardinalium, Epiſcoporum Abbatum comitatu, ſolemniſſime exceptus & deductus fuit. Quarto poſt die, omnium Sanctorum cultui ſacra Joannes Hus Hæreſiarcha ſupervenit, cum nonnullis Bohemiæ & Moraviæ Nobilibus, ſectatoribus & Amicis. Octavo Id. Nov. ſupplicationem ſolemnem inſtituit Joan. Papa obivitque ipſe cum Cardinalibus quindecim, & Epiſcopis ac mitratis Abbatibus tribus ſupra viginti. Pridie Natalis Domini Imperator Sigiſmundus Uberlingam multo cum comitatu venit, ſummaque celeritate Conſtantiam trajecit, Diviniſque ſacratiſſimæ noctis officiis interfuit, & Evangelium: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, &c.* habitu Diaconi cantavit. *Confluxus hominum.* *Ingreſſus Papæ Joan.* *Solemniter deducitur.* *Hus hæreſiarcha.* *Sigiſmundus Imp. venit.*

Ipſo anno Monaſterium Fiſchingenſe Diœceſeos noſtræ, Ordinis S. P. Benedicti, totaliter una cum Eccleſiæ terribili incendio in cineres collabitur, S. Iddæ capite inter cineres inoffenſo reperto. *Fiſchingen exuritur.*

A. C. 1415. IV. Non. Febr. Conſtantiæ, peculiari congregatione Epiſcoporum & Antiſtitum, Danis Suecis & Norvegis inſtantibus, à Joanne Papa B. Brigitta Regina compertiſſimæ ſanctitatis probata & in ſanctorum numerum relata eſt. Cæterum multis jam ex toto orbe Chriſtiano Cardinalibus, Antiſtitibus, Doctoribuſque præſentibus, optimum factu judicavere- *S. Brigitta Canonizatur.*

Digitized by Google

Consilium Patrum.

cavere Patres, si omnes tres, qui de dignitate contendebant, sponte eam abdicavissent, & eligendi de cætero Concilio potestatem reliquissent, sive ex iisdem unum, aut quemcunque alium nominare placuisset. Id cum Joannes haud respuisset, ratus sua promptitudine, ut de novo eligatur meriturum,

Joannes PP. se se abdicat.

Pontificatum ultro exuit VI. Non. Mart. ea tamen conditione, ut dignitatem nihilominus tantisper retineret, donec cæteri etiam duo competitores depositissent. Sed facti mox pœnituit & Friderici Austrii ope Constantia evasit, utriusque factum, postquam innotuit, Cæsare totoque Concilio plurimum detestante, & pessimè cum Friderico actum fuisset, nisi fidelitate Aulici Ministri Joannis Dapiferi à Diessenhofen, periculo exemptus esset,

Joan Papa Constantia profugit.

Fidelis minister.

qui ipsum famuli cujusdam sui pallio indutum & cappa hacque supra vultum inducta, plagis ceu male meritum extra urbem exegisset, ac dein primum in tutum profugo vitam gratulatus esset. Proscriptus quamprimum à Cæsare est, omnesque urbes & ditiones ejusdem armis subactæ. Relictus

Fridericus Austr. deprecatur.

ab omnibus miser Fridericus, & jam cum Joanne suo profugus, Ludovici demum Palatini Electoris consilio acquievit, & se suaque omnia, uno cum Joanne Cæsari permisit, Joannes autem variis criminibus accusatus damnatusque VI. Calend. Junii Pontificia dignitate privatus est, Sess. XII. mox Sigismundo commissus & Gottliebensi castro inclusus, mox à Cæsare Palatino creditus, & Manheimii asservatus, post triennium fraude elapsus, Mar-

Joann. Papa reducitur.

tino Papæ se se dedens Cardinalatum meruit. Cessit etiam juri suo, etsi optimo Gregorius, Benedictus acquiescere nolens, nec comparare pro Hæretico damnatus est. Nec minus interea cum Hussio tractatum de Hæresi

Exuritur Huss.

abjuranda, quem obstinatione mentis pervicacissimum Patres tradito antiquis more flammis adjudicavere, prid. Non. Julii Sess. XI. exustusque est eadem die, & cineres in Rhenum abjecti, Hieronymo Pragensi Hussi socio

Pestilens lues

Hæresim aliquamdiu ejurante, libertas aliquamdiu concessa, sed quando animadversum, repetere quæ damnaverat, captus denuo & in Gottlieben inclusus est.

S. Rochi Patrocinium.

A. C. 1416. Pestilenti lue Saxoniam aliasque provincias per Germaniam invadente, per hac illacque commeantes, contagio etiam Urbi nostræ illata est, non sine metu dissolvendi Concilii. Innotuit tunc Patribus, potens adversum pestilentiam S. Rochi, superiore primum sæculo defuncti patrocinium, quorum Decreto, ad propulsandam inguentem luem, eidem honores Sanctis debiti sunt impensi: nam & solemni pompa ejus imaginem, omni comitante populo, per Urbem detulerunt: quo facto, illa pestis mox

Pestis prodigiose sublata.

evanuit. Inde vero exemplum sumptum est, ut ubique locorum ejus venerandæ imagines, altaria, sacella, ac denique templa erecta fuerint, utque merito Constantienses ad ejus memoriam, præ cæteris afficiantur, tanto promptius exaudendi, quanto maturius S. Rochum honorarunt.

Con-

Digitized by Google

Constantiæ item Sess. XXI. Tertio Cal. Julii post octavum captivitatis mensem Hieronymus Pragensis, cum abjurationem antea â se factam detestaretur, damnatus ad rogum, ignibusque exustus est. *Hieron. Pragensis exustus.*

A. C. 1417. Contra Benedictum multæ sessiones habitæ, adnitentibus nimium pro eodem Joannis Castiliæ Regis Legatis, & commune bonum, tranquillitatemque Ecclesiæ differentibus. nihilominus denique VII. Kal. Aug. sessione XXXVII. ipsum Patres Pontificatu exuerunt, & vulgatis edictis nequis amplius pro Pontifice ipsum haberet, statuerunt, simulque de novo eligendo Pontifice consilia iniere. Designata denique dies fabricati ad ipsum conclavis subeundi VI. Id. Novembr. comparatisque post paucos dies sententiis, communibus omnium suffragiis, ipso Festo S. Martini Turonensis Episcopi Ottho de Columna Cardinalis prodiit summa omnium gratulatione summus Pontifex salutatus & à præsentis Festi nomine, Martinus V. appellatus. Is paucos intra dies sacris initiatus & Episcopus factus, cum obedientiam ab omnibus, qui aderant, Regum & Principum Legatis accepisset, XI. Cal. Decembr. die Dominica in æde Cathedrali, ritu solemni, & maximo omnium applausu & festivitate triplici corona redimitus est. Mansit post electionem Constantiæ diutius quinque mensibus, quo toto tempore Concilium Generale, maximæ procul dubio auctoritatis fuit, fuerantque plurima quæ antecesserant approbata, alia de novo summa auctoritate instituta & promulgata. *Benedictus Antipapa delicitur. Martinus V. creatur. Coronatur. Concilium maxima auctoritatis.*

Ipso anno magnum nascitur Sydus Diœcesi nostræ Beatus Nicolaus Silvanensis.

A. C. 1418. Tandem cum jam Patres Concilii Constantiensis, annos quatuor & sex menses Constantiæ exegissent, ad suas cuique oves remeandi potestatem Martinus Pontifex dedit, & X. Cal. Maij omnium maximo consensu Concilium solvit post Sessionem XLV. 22. Aprilis celebratum. Ipse vero 16. Maii die, ingenti pompa, frenum tenente dextra parte Sigismundo Imp. læva Friderico Electore Brandeburgio, Constantia discessit & in Italiam contendit. Referunt, qui Concilium acuratius descripserunt, connumeratos semel inter tempus Paschale & Pentecostes, eos solummodo ex advenis, qui spectatiores erant (promiscuæ siquidem plebis numerus absque numero erat) sexaginta millia quingentos, quos inter fuerint Archiepiscopi 346. Ducum, Principum, Comitum, Baronum & Equestris Ord. Virorum sedecim millia. Ex quo colligas, quantus eorum fuerit numerus, qui toto Concilii tempore, eodem occurrerunt, siquidem singulis annis adnumerati, & ad unam summam, ut vulgo vocant, collectim designati fuissent. certè, ut alios Legatos taceam, trium & octuaginta Regum Legati, adfuisse memorantur. Cæterum ij, quorum partes eo in Concilio erant, votisque suis publicæ utilitatis causa aderant, interfuisse publico Conventui *Concilii finis. Discessus Pontificis. Numerus ingens Concilii.*

Specialis connumeratio. deprehuntur Cardinales XXVII. cum hominum comitatu M. CC. XLV. Patriarchæ ſex cum comitatu CLXXII. Archiepiſcopi XXXIX. cum famulis MD.CCXL. Epiſcopi C.XC. cum comitatu M.M.M.CCLXVII. Procuratores Archiepiſcoporum XVI. Epiſcoporum LXIV. cum comitatu CCCC. Abbates CXLXVII. cum hominibus M.CC.XXIII. Procuratores Abbatum XXXIV. cum hominibus LXXX. præter inquam illos, qui ex Aſia, Africa, Græcia, Oriente toto, infinito quaſi numero, ſive propriæ utilitatis cauſa, ſive curioſitatis ergo undique confluebant.

Moritur Hugo Abb. Einſid. Hoc eodem anno moritur, Ven. Hugo Abbas & Princeps Einſidlenſis Liber Baro de Roſeneck, inter præcipua lumina Diœceſeos, ſuique temporis ornamenta recenſendus, inſignis Monaſticæ vitæ & diſciplinæ reſtaurator, magnis animi & corporis virtutibus, rara prudentia præditus, & ſumma apud Principes auctoritate.

Burcardus Abb. ib. Morbo abſumptus eſt, magno ſui relicto deſiderio XVII. Cal. Novembr ejusque in locum ſubrogatus Burcardus à Krenckingen Baro Wyſſenbergius.

Memoriæ Cōcilij conſulit. A.C. 1419. Conſtantienſes in præteriti Concilij memoriam varia inſtituunt, ubi in diverſis ædibus Principum qui incoluerant, ſtatuæ aliaque erecta monumenta. Pergunt autem pro virili Urbem communire, quod cum ob reverentiam Patrum Concilij, nonnihil arma continuiſſent Helvetij, ſtatim deinceps ea reſumpſerint, Libertatis ſtudioſiores quam æquitatis.

Molendinum navale. A.C. 1420. Maximis impenſis Conſtantienſes, Molendinum navale ad Rhenum moliuntur, juxta campum illum Elyſium vulgo Paradyſi dictum, ubi horti ſuburbani hodie magno numero cernuntur. idque nulla arte ſeu contentione efficere poſſunt. Annus inſolita frugum maturitate prænobilis.

Iterum cœlis magnum tranſmittit ſydus Diœceſis noſtra, Beatam Eliſabetham (vulgo Guott Betha) dictam, familia Achlinin monialem in Reittin Sueviæ prope oppidum Waldſee, quæ 12. annis abſque victu neceſſario naturæ vixit & 15. Novembr. ſancto fine deceſſit, magnis uſque hodie miraculis commendata.

Bellum Huſſiticum. A.C. 1421. Conſtantiæ & tota Helvetia atque Alemannia tympana pulſata, & ſubſidiarij milites Imperatori Sigismundo miſſi adverſum Bohemos Hæreticos, Helvetijs inprimis ſtrenuè operam navantibus, in quibus Cæſar plurimum confidebat. Hi magno Epiſcopi noſtri & Urbis plauſu ea occaſione, quæ in ſemetipſos & vicinos ſtrinxerant arma, in hoſtes, etſi modico, uti deinceps audiemus, fructu converterunt, & hoc modo patriæ plurimum conſuluerunt.

Helvet. pax.

A. C. 1422. Quam odiosus initio vix adito Pontificatu Canonicis fuit Otto Episcopus noster, quod ob summam generis dignitatem (Marchio Hochbergius erat, & summis orbis Principibus cognatus) & arrogantem & prodigum fore censerent, eoque nomine Romæ detulerant, tam gratus postea omnibus extitit, eximia in omnes benevolentia & singulari humanitate, procul fastum omnem habens, & ingluviem libris quam maximè deditus, & solidæ pietati, ita quidem ut & ipse libros scriberet, & sese religiosissimè occuparet, alia inter singulari erga DEI patam cultu Psalterium novum Ejusdem honori meditatus. Extat optimi Principis in Augia Divite, illustre etiamnum monumentum, Liber ejusdem manuscriptus, idemque pro meritis tanti scriptoris auro & argento adornatus; cujusmodi in Bibliotheca Cathedrali plures olim habiti, & in Weingartensi hodie habentur, & alibi manu propria B. Salomonis Comitis â Ramswag, & B. Notingi Comitis â Veringen, Episcopis sanctissimis dignissima ingenij monimenta.

Hugo Episc. se ipsum commendat.

Libros scribis.

A. C. 1423. Colliduntur hoc anno graviter cum Helvetijs Constantienses nostri. Erant tunc hostes Mediolanensium jurati Helvetij. cumque mercatoris cujusdam Mediolanensis merces intercipere pro virili laborarent, longâ assequuti investigatione in lacu denique Potamico, & ipsi conscensis navibus hostiliter occuparunt, & ex condicto inter se partiti sunt, Constantiensibus id in oculis suis & lacu suo fieri ægerrimè ferentibus, moxque in Helvetios conscensis navibus vela facientibus, ipsisque devictis, omnia mercatori restituere cogentibus, quæ jam Helvetij viritim & per capita distribuerant; ex quo tempore odia denuo accensa multæque & lites & cædes consequutæ sunt.

Pestilenti lue vexatur plurimum Diœcesis nostra, per Helvetiam inprimis, Tiguri minimum ter mille absumptis, de qua tamen lue, nihil Annales Urbis nostræ memorant, ita ut vigilanti Magistratus cura, nihil ejus sensisse Constantia videatur; recenti etiam procul dubio S. Rocchi Patrocinio denuo defensa.

A. C. 1424. Suicij Legatos ad Sigismundum Imp. mittunt, qui ostenderent, ipsum, bello Austriaco postremo, quod ejus auctoritate & jussu, contra Fridericum Austrium gesserint, scripto pollicitum, & per Legatos, quæcunque ejusdem Ducis Dominia occuparint, habituros in posterum fruiturosque. Petiere eodem jure Advocationem Cœnobij Einsidlensis, quæ penes Ducem remanserat, quasi iisdem Cæsaris promissis contineretur, impetraruntque primum, Cæsare paulo post concessionem revocante, & quod per fraudem impetrata esset contestante.

Ottho Epiſc. Præfecturam Urbis redimit.

A. C. 1425. Ottho Epiſcops noſter lectiſſimus Præfecturam Urbis (Stattammann Amt) magno Epiſcoporum incommodo ab Anteceſſoribus oppignoratam, ab Henrico Ehingero de Guttenauw pro Diœceſi redimit, nec pauca alia ſummo ſucceſſorum bono, ab aliis neglecta recuperat, civibus ipſi ob ſingularem humanitatem plurimum faventibus; qui ipſum etiam pridem adverſum Canonicos foverant, & juverant.

Duobus ſyderibus orbatur Diœceſis.

A. C. 1426. Duo magna omnino luminaria cœlum eripit Diœceſi noſtræ & ſua inter ſydera cum plauſu magno Cœlitum infert: Beatum Conradum de Groſſis, de Diœceſi olim noſtra meritiſſimum, virum plane Apoſtolicum, Ordinis S. Dominici Reformatorem inſignem, & noſtrorum Conſtantiæ Cœnobiorum Reformatione ubertimi in Urbe noſtra fructus promotorem, S. Conradi Epiſcopi Urbis Patroni re non minus quam nomine imitatorem, qui & ipſe aquas ſiccis pedibus inambulaſſe memoratur. Deceſſit autem in Monaſterio Virginum à ſe reſtituto, die 2. Martii, quo ipſo anno Beta Clara Anna noſtra ab Hohenberg ſive Hohenburg, monialis Dieſſenhofenſis, memorati Cœnobii Schönenſteinenbach prima Prioriſſa ad æterna meritorum præmia vocata fuit, mortem optimi Inſtitutoris ſui B. Conradi ipſa poſt ſeptem dies, octava nimirum Martii conſequuta. cui haud imparibus meritis ex eodem Dieſſenhofenſi Cœnobio Eliſabetha Meringerin ſucceſſit.

Moritur B. Conradus Dominicanus.

Item Clara Anna Prioriſſa.

Item Henricus Abb. S. Galli.

Moritur eodem anno Henricus de Mansdorff Abbas S. Galli cum ad Concilium Baſileenſe concederet, morbo interceptus, & ſub cura Medicorum Fryburgi mortuus, cui Egolphus Blaarer de Wartenſee, celebri familia ſucceſſit.

Molendinum majus Conſtantiæ.

A. C. 1427. Nunc denique Conſtantiæ Molendinum majus celeberrimum, mira arte, maximo ſumptu, ubi hodie viſitur, Rheno imponitur. quo ipſo anno Conſtantienſes 300. cives armati Lacum inferiorem, Venetum olim, hodie Cellenſem invadunt, navesque omnes diripiunt & retia auferunt, quo piſcatores lacus illius contra conſuetudinem & pacta, piſcationem inſtituiſſent.

Fridericus Abb. Aug.

A. C. 1428. Mortuo ſuperiore anno Henrico Barone ab Hornberg Augiæ Divitis Abbate parum utili præſule, poſtulatur è Monaſterio S. Blaſii Fridericus Baro de Wartenberg, à vicina Nobilitate & Vaſallis Cœnobii, ſtatum perditum tam ſanctæ & ſplendidæ olim Augiæ dolentibus, qui & Romæ hoc anno confirmationem meretur, etſi cœca ambitione duo alii, quidam Baro de Gundelfingen Canonicus Conſtant. & Albertus Baro de Sax Einſidlenſis Aſceta illud munus ſedulo exambirent. Fuit Fridericus, magnum totius Ordinis decus, æterna utriusque Cœnobii & S. Blaſii & Augienſis gloria, hujus & reformator, & reſtitutor meritiſſimus, ita ut alter Pirminius, magno ſane titulo, haberetur. Conſtantiæ pulcherrima & magni-

Competitores rejecti.

Alter S. Pirminius.

& magnifica S. Stephani Basilica, magno splendore & sumptu exstruitur.

A. C. 1429. Perficitur denique incredibili labore, impensis maximis, Molendinum de quo supra Urbis nostræ nobilissimum, quod nemo non usque hodie procul venientium summe admiratur. Eodem anno Domus, à Cato cognominata, pro conventu & colloquiis Civicæ Nobilitatis emitur & exstruitur, vulgo zur Katzen/ & zur der neuen Katzen appellata, eo quo vetustior domus Conventus, prope scholas publicas sita, eodem nomine appellaretur. Ea tamen non solum sed urbe tota plerique hoc anno Nobiles excluſi hoc ipso anno sunt, tumultu civili tertio, plebe adversum Nobilitatem insurgente & arma corripiente; qua re tantopere offensus est Ottho Episcopus noster, urbi cæteroquin charissimus, ut illico cum tota aula sua Schaffhusium emigraret, quem plerique Nobilium & Patriciorum eodem consequuti sunt, inter cives etiam illic recepti, data fide de Urbe totum annum habitanda, licitum tamen cuique deinceps foret, extra in suis castris & arcibus habitare. Excessere autem sequentes; Dominus Henricus ab Ulm Eques, Georgius & Henricus de Ulm Henrici Superioris filii. Jacobus & Conradus de Ulm, fratres, superiorum cognati. Henricus de Dettickofen. Jacobus de Dettickhofen Henrici filius. Bruno de Dettickhofen. Jacobus de Dettickhofen dictus Zapff. Henricus de Roggvveil. Udalricus de Roggvveil Henrici filius. Henricus de Hoff. Joannes Frey. Conradus Rauch à Wininden. Henricus Montprat de Spiegelberg, Luitfridus Montprat, &c. Udalricus Blaarer à Girsperg & Güttingen. Joannes Blaarer, &c. Henricus Schilter. Diethelmus Schilter. Joannes de Schönauvv. Conradus Rillin. Wilhelmus Stetter. Jacobus Apotecker. Rudolphus Rauch de Winiden. Udalricus Linden. Joannes Linden. Petrus Sonnentag Senior. Petrus Junior & Joannes Sonnentag superioris filii. Joannes de Creüzlingen. Ludovicus Hertler ab Hertler. Hugo Rudolph. Conradus Kilcherr. Henricus Kilcherr. Henricus, & Joannes & Udalricus de Schvvarzach fratres. Conradus, & Joan. Conradus Eglin ab Herderen fratres. Henricus Huober. Joannes Huober ejus filius. Conradus Ehinger de Guottenauvv. Joannes Stickel Conradi filius.

Molendinum absolvitur.

Aedes Nobilium.

Seditio in urbe.

Nobiles exules.

Excessere prius Urbe subodorantes plebis conatus: Joannes Schvvarz residens in Egg. Rueggerus Hartzer de Salenstein, residens in Bomgartten. Albertus de Landenberg residens in Sandegg. Albertus Blaarer pergens ad S. Galli. Conradus Blaarer residens in Güttingen. Udalricus Blaarer in Wasserstelz. Manzo de Roggvveil, residens in Castell. Udalricus Goldast in Hermanstorff. Balthasar Engeli ab Egelsee; Rudolphus Rauch Conradus Rill. Conradus Widt, &c. Mansere plerique extra urbem, donec res à Cæsare componerentur.

Quimaturius urbe excessere.

Citantur strinque.

A. C. 140. Cæsar Sigismundus Nobilibus ac civibus Urbis nostræ Constantiensis pro causa dicenda dicit, & præfigit Dominicam Oculi, admonetque juxta cives, ut Nobiles Patriciosque eo quo obligaverant Sacramento solvant. Legatus Cæsaris erat Joannes Comes â Lupffen, surdis auditus auribus à cive, Nobiles solvere prorsus recusante. Ergo denuo compellandi. comparuitque per Legatos utraque pars Norimbergæ stata die, Cæsare in Prussia occupato, per cujus absentiam rem differendam Electores censuere. Cives postea maritimas lacus Potamici urbes pro arbitris elegere, recusante Nobilitate, & arbitrium Argentorato, Basileæ, Augustæ, Tiguro, Ulmæ, Ravenspurgo & Biberaco differente. tergiversantibus modo his modo illis, donec Cæsare demum jubente, ex 19. tribubus, decem solummodo fierent, totidemque Nobiles, pari votorum numero, Consulem deligere permitterentur.

Differtur negotium.

Cæsaris sententia.

Novæ turbæ.

Sed & novæ eodem anno per absentiam Nobilitatis, in Urbe nostra turbæ, ob Judæos & civium quosdam, quibus viginti tria millia florenorum Cæsar debebat, debitis contractis tempore Concilii Constantiensis. Periclitatus à furore civium Magistratus est, imo violenter exauctoratus, cum plebs octoginta Senatores eligens, eosque inter sex Nobiles qui in urbe remanserant accensens, Magistratum priorem, posteriori sacramento obstringerent; & priori fidem jurare cogerent, novisq; electis Consulibus, Andreæ lanioni cupiam & Udalrico Schilter primæ Nobilitatis viro. ita tamen ut ignobilem & plebejum Nobili præferrent.

Novus Magistratus.

B. Nicolaus de Flue.

A. C. 1431. Illustrat splendoribus Sanctorum mirificè optimum Numen Beatæ memoriæ Nicolaum nostrum de Flue, sedecim nunc annorum juvenem, rusticis parentibus Henrico de Flue & Hemmanâ Robertin natum, & licet omnium ignarum litterarum mirabiliter tamen instituit, & cœlesti Visionum gratia, de eventuris edocet. Vidit alia inter, eo ipso loco, quo postea cellulam condidit, turrim altissimam, cujus culmen cœlum ipsum pertingebat, & ex eo tempore totus amore solitudinis exarsit, ita ut omne consortium hominum fastidiret; ab ipsis & familiaribus etiam se subduceret, totumq; se Divinarum & salutarium Meditationi traderet. Ipso ânno Fridericus Comes Tockenburgius, & stratagemate, & subitâ oppressione, terra mariq; Constantiam nostram aggressurus, incertũ Austria corumne factione, an Confœderatorum; attentissimorum in rem suam, & proxima vicinorum calamitate excitatorum civium vigilantiam eludere non potuit, verum maxima sua & suorum confusione inde sese recepit. Eodem anno Ludos Equestres celebrat Constantiæ Sigismundus Imp. in quibus, ne solis Equitibus, laus sua & gloria esset, Matronæ etiam Nobiles, honoris aliquid sortitæ, honesta & certa ad numeros saltatione sese exercuere. inde omnes à Cæsare ad Palatium Episcopale invitatæ & hausto vini recreatæ, singulæ ab eodem aureis annulis donatæ

Visio ejusdem.

Constantiæ periculum.

Ludi Equest. Constantiæ.

Matronarum recreatio.

Digitized by Google

donatæ ſunt. Fulmine tactum, eo ipſo anno, prædium quoddam in ſuburbio Petruſiano undecim ſecum ædes rapuit.

A. C. 1432. Hunc annum, ſuperiorem alii, nonnulli 34. ſæculi Epiſcopo noſtro Otthoni in Præſulatu ſupremum volunt, qui ultro & ſponte Friderico Zollerano Comiti honorem reſignavit, ut ſibi ac DEO ſoli quietius vacaret. Proin ad Patrum Franciſcanorum Cœnobium concedens, ibi vitæ reliquum ſanctè tranſegit, cum paulo ante reſignationem morbo Epileptico cœpiſſet laborare, quem tulit patientiſſime, ſolo amore Numinis, ejusque Sanctiſſimæ Matris delectatus ſeque ipſum ſolatus. Superſtes etiamnum Albertus Blaarerus fuit. hoc reſignante, ita ut tres tunc Epiſcopi Conſtantiæ conviverent, Amici omnes, & ſua quisq; ſorte contenti, quod ex raris ajunt eſſe contingentibus, nulli autem horum non fuit glorioſum, & electum fuiſſe & poſtea reſignaſſe.

Reſignat Otho Epiſc.

Tres ſimul Epiſcopi ſuperſtites.

A. C. 1433. Ingens annonæ caritas, aliquot deinceps annos durans, ut Turgovia paſſim tota, feſtivalibus diebus carnium eſus panis defectu concederetur, confluente ingenti pauperum multitudine, quorum indies Conſtantiæ publicam eleemoſynam mille ſeptingenti accipiebant. Moritur hoc ipſo anno exauctoratus à ſeipſo Epiſcopus noſter Otho Marchio Hochbergius 15. Novembr. ſepultus in parte dextra ante chorum Baſilicæ Cathedralis, verſus Epiſcopi Palatium.

Ingens annonæ caritas.

Moritur Otho Epiſcopus.

A. C. 1434. Inter præcipua Diœceſeos, perditiſſimis hiſce temporibus ſanctioris vitæ fama effulget Wiblingenſe Cœnobium, ſub Udalrico Abbate, ſtrenuo ejusdem Reformatore. Campidoni moritur Fridericus à Laubenberg Princeps ſapientiſſimus & de Cœnobio illo oprimè meritus, cui Peregrinus, vulgo Pilgrimus de Werdnovv in Principatu ſufficitur. Rhenaugiæ item Hugo ab Almishofen extinguitur, ſuccedit Joannes Kumbar.

Peregrinus à Werdnovv. Abb. Campid.

A. C. 1435. Fieſchingenſis Cœnobii alter Fundator ſponte reſignat, Joannes Härlin Abbas longè meritiſſimus, qui omni fortuna major, Cœnobium una cum Eccleſia horribili incendio in cineres collapſum, non ſolum elegantiora reſtituit, ſed ſancta ſimul & felici Oeconomia theſauros colligens, duplo plus, quam à prima fundatione Monaſterium habuerat, Dominiorum & poſſeſſionum coemit; & quanto plus DEUM coluit, & in pauperes liberalis fuit, tanto magis felicitate & opibus profecit, inter ſingularia Diœceſeos ornamenta, merito adnumerandus. Tugii eodem anno 3. Martii ſubſidente paulatim ſolo plateæ unius, quæ proximè lacum erat, ædes viginti ſex, præter plura alia ædificia, turres & mœnia aquis hauriuntur, nullo penè ſui veſtigio relicto, mortalibus plurimis abſumptis, & in abyſſum raptis, excepto unico infante, qui in cunis, poſt varias toto lacu jactationes prope Sacellum S Nicolai ad ripam incolumis delatus eſt. cæteris civibus ex oppido per metum & horribilem fragorem elapſis, in proximos colles profugientibus. Tanta anatum vis venalis Conſtantiæ, ut una die ſupra 60.

Joannes Abb. Fiſching.

Alter Fundator.

Reſignat.

Tugii pars Vrbis mergitur.

Synodus Constant.

A.C. 1436. Hoc, an ſuperiore anno, paulo tamen ante quam reſignaret, aut moreretur Epiſcopus noſter Fridericus Comes Zolleranus Conſtantiæ Synodum collegit, & Dioceſi ſuæ piè conſulens, Clerum ac populum reformare meliore diſciplina pro virili allaboravit. Computo dein Monaſteriorum, Eccleſiarum & Parochorum facto, numerata ſunt Monaſteria Diœceſeos Conſtantienſis 350. Parochiales Eccleſiæ 1760. in quibus 17. millia Sacerdotum alebantur. Super quo numero non nemo ait, ſiquidem à quavis marca argenti Epiſcopus tres ſolummodo obolos exegiſſet, 16. millia florenorum fuiſſe collecturum. Mortuus eſt in Gottlieben ultimo Julii hujus anni, Princeps humaniſſimus & nemini non charus atque in Choro Cathedrali tumulatus. cui 4. Auguſti Henricus IV. Liber Baro ab Hövven Præpoſitus Conſtantiæ Cathedralis, Decanus Argentinenſis ſubrogatus eſt, & mox quarta poſt die ab Eugenio IV. Pont. Max. tunc Baſileæ agente, confirmatus.

Cœnobiorum, &c, numerus.

Henricus Epiſc. Conſt.

Moritur Fridericus Tockenburgius.

Mortuus hoc eodem anno eſt, qui ſuperiore reſignaverat, Joannes Abbas Fiſchingenſis æterna memoria celebrandus.

Extinctus etiam absque liberis, qui nuper Conſtantiam noſtram hoſtiliter & fraudulenter, ſed fruſtra & irriſus tentaverat, Fridericus Comes Tockenburgius, absque liberis, ſuper cujus deinceps hæreditate contendentes Tigurini & Suitii, graviter colliſi ſunt, ſuſcitatumque bellum, quod multo ſanguine & vaſtitate plures per annos, non modo Helvetiam, ſed vicinas quoque provincias vehementer concuſſit, & attrivit. Ipſo anno turris Eccleſiæ S. Stephani abſolvitur.

Bellum Helveticum.

Inundatio Conſtantiæ.

A.C. 1437. Torrens ille, qui ſuburbium Conſtantienſe, vulgo Stadelhofen dictum interfluit, tanta ſe exundatione per plateas omnes latè effudit, ut cives ſuburbani in civitatem ſeſe recipere coacti ſint. Torrentem hodie Gerberbach vocant. Henricus Epiſcopus nimium pompis deditus, plurimum ſuæ Eccleſiæ nocuit, cujus plurima bona abligurivit. cum primùm Urbem inveheretur, quingentorum Equitum Comitatu ſuperbiens. quo ipſo plurium ſtatim animos offendit. Tigurini, etſi cauſa ſolemni judicio caderent, & Confœderati omnino vellent, ut judicato acquieſcerent, nihilominus ferro contra Jura diſceptare ſtatuerunt, & vero etiam proſequuti ſunt. Moritur Sigismundus Imp. Urbis noſtræ amantiſſimus.

Tigurinorum obſtinatio.

Albertus II. Imp.

A.C. 1438. Succedit hoc anno XIII. Cal. Aprilis Albertus II. Auſtriæ Dux & Ungariæ Rex, gener Sigismundi ab Electoribus Francofurti Imperator conſalutatus. Sæviebat prope ubique atrociſſima fames, quæ infinitos mortales ad extrema perpulit. Repertos ferunt, qui ex ſe procreatos liberos in partes diſſecuerint, & ſale in uſum cibumque condierint; & ubi proprii defecerant, alienos ad eundem finem abripuerint. Colliſi cum Epiſcopo noſtro Nobiles Hegoviæ, contra eundem confœderantur,

Fames atrociſſima.

Provinciæ vaſtitas.

inde

inde magna paſſim provinciarum incommoda, cum impunè paſſim milites graſſarentur, itinera omnia infeſta, rapinis, incendiis ſed & cædibus redderentur.

Eodem anno Conſtantiæ cives duo, ſeditionem concitare conati, in foro ſuperiori, ad terrorem aliorum capite plexi ſunt. Ipſo anno Burcardus Abb. Einſidl. mortem obiit 21. Dec.

A. C. 1439. Peſtilenti lue latius graſſante, Conſtantia quoq; noſtra laborare cœpit, quatuor millibus paucos intra menſes ſublatis, frequentiore nihilominus populo quam ut defectus aliquis hominum appareret. Epiſcopus Henricus, etiam cum Nobilibus Urbis noſtræ colliſus incertum qua de cauſa hoſtilia extra urbem exercuit. malis deinceps invaleſcentibus. Menſe Januario in Monaſterio Einſidlenſi Abbas eligitur Rudolphus III. ex Comitibus Saxi, Meſauciæ Dominis, qui tum Cuſtodis munus obibat. Ipſo anno fundamentum poſuit magnificentiſſimi Chori Baſilicæ S. Galli Abbas ejusdem loci & Princeps Egolphus Blaarer ingenti ſumptu, mole, opere, in quo multis annis diverſi Architecti plurimum deſudarunt, donec Ulrici Abbatis tempore anno Chriſti 1483. ſuprema deniq; manus imponeretur. Conciliabulo Baſileenſi Felix Antipapa eligitur.

Peſte 4000. Conſtantiæ moriuntur.

Epiſcopi guerra.

Chorus S. Galli ſtruitur.

A. C. 1440. Alberto II. Imp. demortuo Fridericus III. Auſtriæ Dux Erneſti filius, Leopoldi ad Sempacum cæſi nepos Auguſtus ſalutatur. Inquietis Helvetiæ rebus, cum delectus undique fierent, ſiſtere ſe etiam Beatæ memoriæ Nicolaus Sylvanenſis debuit, neque uno loco, ſed pluribus ſe virum exhibuit, & militem ubique bonum; monitur omni loco, ne militari licentia, hoſtis commilitonibus ſuis DEUS ipſe redderetur. Ita hoc anno totale excidium, â feraciſſimo hucusque tot ſanctitate illuſtrium Virginum Cœnobio Dieſſenhofenſi, cum illud cum hoſte inſeſſore circumcluſo exurere ſocii ſtatuiſſent, avertit. Conſtantiæ Porta Urbis quæ Scotorum vocatur exſtruitur. & nova lege prohibentur Judæi in Urbe habitare.

Frider. III. Imp.

B. Nicolaus Sylvan. miles.

Porta Vrbis nova.

A. C. 1441. Vita excedit hoc anno Albertus Blaarerus, olim Epiſcopus Conſtantienſis, quietis publicæ cauſa à ſeipſo exauctoratus, inſigni pompa tumulatus, cujus memoria in benedictione eſt. Obiit autem 8. Aprilis. Pergitur alacriter in communiendo Vallis foſſisque ſuburbio Conſtantienſi Stadelhofen, ſed & campus & planities Paradyſi ampliſſima, foſſis Valloque circummunitur.

Albertus Epiſc. moritur.

Ipſo anno confœderatæ cum Urbe noſtra civitates, aliquot millium collectis copiis, contra Lupffenſes Comites & Confœderatam Nobilitatem, pacem & commercia turbantes, profecti, caſtra arces pagos vicos eorumdem, armata manu ſubigunt, omnesque munitiones evertunt. In Monaſterio Rhenovienſi Nicolaus Comes de Sultz Abbas eligitur.

Domiti Nobiles.

Imago B. M. V. sudans.

A.C. 1442. Helvetiis inter se graviter collisis, & Suitensibus Monasterium Virginum Cisterciensium Wurmspach prope Rapperswillam invadentibus, Deiparæ ibidem cum puero Jesu imago plurimum sudare est visa.

Egolphus Abbas obiit.

Ipso anno Egolphus S. Galli Abbas ætate & morbis consumptus suprémum diem obiit, ipso festo Pentecostes, in Sacello prope Xystum Ecclesiæ sepultus.

Constantia consulit Fridericus Imp.

A.C. 1443. Constantienses ab Friderico Imp. (quem splendidè hoc anno exceperant & tractaverant) impetrant, omnia deinceps suo sub caduceo, judicanda submitterentur, quæ antea Præfecti illius, quem **Statthammann** vocant judicio subjiciebantur. Proin novus ejusmodi Præfectus designatus est, sive Judex qui causis præsideret; cui decem adjuncti sunt Senatores, quinq; ex Nobilibus, ex plebeiis totidem quæ res Henrico Episcopo plurimum displicuit, quod sui Præfecti plurimum auctoritati decederet, multumque salario scribarum Judicialium detraheretur. In Helvetia omnia turbata, & Confœderati graviter offensi, quod Tigurini propriæ utilitatis causa, cum Austriacis fœdus pepigissent.

Turbata Helvetia.

Conventus Badensis.

A.C. 1444. Henricus Episcopus noster, componendis Helvetiæ rebus diem XXII. Aprilis quo Badæ conveniant partibus denunciavit; fuitque Conventus Austriacæ Nobilitatis præsentia Principumq; Imperii, & Civitatum, nec non Concilii Basileensis Legationibus longè celebertimus, sed nullo profectu, eademque quæ semper, partium contumacia, Tigurinis fœdus Austriacum retinere volentibus, confœderatis id improbantibus, & ex fœderum forma disceptandum, contendentibus.

Dissidium Helvetiorum.

B. Nicolaus militem agit.

Iterum militem agit B. Nicolaus Underwaldensis, ipse inter arma terrena, cœlo militans, cujus procul dubio contuitu, multa à Sociis pericula aversa sunt; quæ per absentiam Nicolai omnes pessumdedissent.

Monasterii Dissenhofæ felicitas.

A.C. 1445. Floret etiamnum florentissima Vallis S. Catharinæ sive Diessenhofense Virginum Cœnobium, nuper opera B. Nicolai Sylvanii ab exitio servatum, inter tot tempestates & clades patriæ, & præter supra commemoratas Sydereæ claritatis stellas octo & triginta sanctitatis opinione celebres ejus loci Virgines, circa hæc tempora ibidem DEO serviisse memorantur quarum acta, necdum publicè luci data haud leviter dolemus.

Bellum Helveticum.

Acriter fervet bellum Helveticum Confœderatorum contra Tigurinos & Austricos; in quo componendo omnem frustra lapidem movit Henricus Episcopus noster.

Conventus Principum.

A.C. 1446. Constantiæ Conventus Principum celebratur, præsidente nomine Cæsaris Ludovico Electore Palatino, in quo de pace tractatur & Helvetici motus componuntur. Successit feliciter negotium, & Divino aspirante Spiritu Feria V. Pentecostes Pax confecta est, incredibili totius Urbis plausu, summaque & Helvetiæ & Alemanniæ gratulatione.

A.C. 1447. Immoritur rebus feliciter geſtis III. Idus Julii Rudolphus Einſidlenſis Abbas, Joannis Comitis Saxi & Meſauci Domini, atque Annæ Comitiſſæ Werdenbergiæ filius, pacis ſupra memoratæ præcipuus apud Helvetios concinnator, cujus magno labore, & præcipua auctoritate Confœderati perſuaſi ſunt, pacem & quietem præ bello æſtimare. Succeſſit communi Patrum ſuffragio Franciſcus Liber Baro Hohen-Rechberg. *Rudolphus Abb. Einſidl. moritur.* *Succeſſit Franciſcus.*

A.C. 1448. Suburbium Conſtantiæ Petruſianum vallo foſſisque circumambitur & communitur ab Rheno ad lacum usque Acronium, clauſo claſſi & navibus introitu, ſi quid periculi & belli urbi immineret commiſſis profunde ſolo arenoſo trabibus ferro obarmatis. Sed & alia, bono publico, pro defenſione Urbis ordinata. *Vrbs verſus lacum munita.*

A.C. 1449. Friderico Imp. Pſeudo-Concilium Baſileenſe damnante, & Nicolai legitimi Pontificis cauſam & cultum pro viribus promovente, Felix Antipapa Pontificatum abdicat, ſuamque ſolitudinem repetit, Cardinalis titulo à Nicolao donatus & Legatus Apoſtolicus noſtræ Diœceſeos, nec non Baſileenſis, Curienſis, Lauſanenſis & Sedunenſis renunciatus. Aliud molendinum Urbi commune Conſtantienſes moliuntur, quod equis in orbem actis grana excuteret. *Felix Antipapa ſeſe abdicat.*

A.C. 1450. Speculum mirabile conjugalis vitæ orbi præfert Beatus Nicolaus Sylvanenſis, in hoc ſtatu non minus, quam antea cœlibatu admirabilis viſus, in quo decem optimæ notæ liberis, maſculis quinque totidemque fœmellis à DEO donatus eſt, quos ad omnem ſanctitatem educavit, & mirabili vitæ exemplo præivit. cujus utinam ſacra inter labores domeſticos exercitia, à conſciis notata repetirentur, plurimis æternum profutura. Cudunt monetam hoc anno Conſtantienſes certum pecuniæ genus, vulgo **Schilling** vocant, viginti octo ejusmodi florenum æquantibus. quos & Ludovicus Wirttenbergius & Ulmenſis civitas imitantur. *B. Nicolaus Sylvanenſis.* *Moneta cuditur.*

A.C. 1451. Peſtilens lues toto paſſim orbe graſſatur, nulla omnino provinciâ exceptâ, cujus metu Conſiſtorium, ut vocant Eccleſiaſtici, Conſtantiâ, Epiſcopicellam transfertur. neque tamen lego hoc tempore multum Urbi noſtræ nocuiſſe, forte ad Patrocinium ſancti Rocchi, tempore Concilii ſibi admodum ſalutare & comprobatum, confugienti. *Lues peſtilens.*

A.C. 1452 Epiſcopus noſter Henricus, cum hucusq; & Curienſis ſimul & Conſtantienſis Epiſcopus eſſet, ſive ut Nicolai Papæ & Concilii decretis pareret, ſive ut odio & invidia ſe liberaret, Curienſi Epiſcopatu ſeſe abdicavit. Ipſo anno Porta Urbis noſtræ, quæ Creüzligenſis dicitur cum turri adjacente maximæ molis è quadrato lapide eleganter ſtruitur, cumq; diuturna & profundiſſima terræ effoſſione necdum firmitas ſoli fundamento apta ſe proderet *Henricus Epiſc. Curienſis.*

Antiquissima rudera. proderet immani demum mole fornices & pilæ apparuere, maximi pontis, ita ut nemo dubitaret, alveum quondam Rheni illic constitisse, & quidquid supra eminebat, vetustioris Urbis & ædificiorum ruinas ac rudera fuisse, cum pleraque aggestum, calcis & lapidis essent, insignia monimenta Vetustissimæ Urbis, & plurimum facientia ad situs commendationem. Eodem

Henricus Episcopus quædam redimit. anno Henricus Episcopus, cæteroquin non ita felix Oeconomus, emit seu redemit arces Güttingen & Morburg à Nobilibus ab Ehingen & Guottenauvv, pro florenis sex mille & quingentis. Moritur Franciscus Abbas Einsidlensis Liber Baro de Rechberg, egregiæ humanitatis & bonitatis Princeps, designato quamprimum à Patribus Geroldo successore Saxi Comite & Mesauci Domino, tunc temporis S. Geroldi Præposito.

Excidium Constantinopolitani Imperii. A. C. 1453. Annus hic longè memorabilis atque lamentabilis fuit Imperii Orientalis excidio, & gemellæ cum nostra, Constantinopolis post quinquaginta dierum quassationem expugnatione. cum Mahometes eo nomine Secundus, alterum Romanæ Aquilæ caput amputavit, & in Urbe illa ultra quadraginta hominum millia, eosq; inter Constantinum Palæologum ultimum Græcorum Imperatorem, interemit. luctu illo ad omnes quidem Christianos, urbem tamen nostram ob communes Conditores & nomen

Vrbs nostra constantior. pertinente. apud quam longe felicius & Conditoris nomen, & insignia Crucis usque hodie perennant.

Ædes Tribunitiæ. A. C. 1454. Constantiæ publicæ Tribunitiæ lanionum ædes splendidè exstruuntur, in platea, quæ à latronibus (cujus notionis rationem supra posuimus) cognominatæ sunt. Tribunis & plebe continuo rem suam contra Nobilitatem Stabilientibus, magnamque sibi auctoritatem conciliare studentibus, ac paulatim Sectariorum Libertati viam sternentibus &

Virgines Viragines. præludentibus. Dum plurimis locis malignitate temporum rigor disciplinæ monasticæ remittit, Virginis verè Viragines, illi fulciendæ plus quam viriles conatus generosè adhibent. è quibus Agatha de Stadion nobilissimi

Hegbach reformatur. generis Abbatissa in Hegbach Diœceseos nostræ Monasterio, felicissimè rem eggressa, mediis in conatibus morte intercipitur, imo cœlo matura cum plausu excipitur, prosequente conatus Elisabetha Krôllin de Grimmenstein quæ successerat. cujus exemplum plures dein Heroinæ sunt imitatæ.

S. Wiborada elevatur. A. C. 1455. Henrici Episcopi Constantiensis permissione & mandato sanctæ Wiboradæ Virginis, Sanctimonialis, & Martyris sacrum corpus, ad Divi Galli, solemniter elevatur, cum plurimis miraculis merita ejus & vitæ sanctitatem Numen comprobasset.

Cometes. A. C. 1456. Horribilis Cometes, integro mense æstivo tempore orbi menatur, variis duinceps belli motibus Germaniam graviter concutientibus & affligentibus.

A. C. 1457. Gliſcit denuo bellum Helveticum, Epiſcopo noſtro Henrico pacem quam maximè fovere, ſed fruſtra allaborante. & Rapersvillæ initium, dum, ut fit quietis rebus, homines inquieti aliquot, confœderatis melius affecti, quam Principi, ſtudia ſua palam confeſſi, ab aliis prodiți, captivi quam primum in Tirolim abriperentur. quæ res indignior viſa Helvetica libertate, etiam illos, qui Principis antea ſtudebant partibus graviter offendit, & ab illo penitus avertit. *Bellum Helveticum.*

A. C. 1458. Ridicula belli cauſa, efferatis glorioſa imaginatione omnimodæ Libertatis populis. Nundinæ anniverſariæ ſolemnes agebantur Conſtantiæ, maximo, ut ſolet, vicinæ concurſu Helvetiæ. Hujus nonnemo ruſticorum ab ſutore par calceorum coemerat, cumq; inter reliquum pecuniæ genus recens proſcriptæ notæ nummum, in Helvetia cuſum adnumeraret, & tanquam ſibi inutilem recuſaret ſutor, alter inſtaret, iſte probum, reprobum ille aſſereret, & ſatur demum contentionis ſutor Vaccinum eſſe nummum diceret (ein Kuohplappert) mox clamor, mox rumor ingens, & Helvetiorum tota Urbe concurſus maximus, injuriam hanc gentium liberrimæ intolerabilem vociferantium, ſutorem ad necem depoſcentium, donec concurſu etiam civium facto, ægrè vis & tumultus, cum totius civitatis diſcrimine, averteretur. Helvetiis minarum plenis ex Urbe ſe proripientibus, moxque arma tota Turgovia, inde reliqua Helvetia conclamantibus, quæque civium & Nobilium in Urbe degentium erant caſtra & bona omnia deprædantium & vaſtantium, collectisque copiis urbem aliquamdiu ſed fruſtra obſidentium. Nec deſtitere ab injuriis, donec has minore ſumptu redimi poſſe cenſerent cives, quam tolerari, certam pecuniam paciſcerentur, furoremque ruſticum averterent. *Ridicula belli cauſa.* *Contentio duorum.* *Tumultus ab Helvetiis.* *Vrbs obſidetur.* *Bellum redimitur.*

Mox concitatiores, ſuperioris anni injuria, ut dicebant, ab Archiduce Rapeiſvillenſibus illata, iidem qui Urbem obſederant Uranii, Suitii, Silvanii & Glaronenſes, ſpecie tranſitus intra mœnia Raperſvillæ admiſſi, oppidum in fidem acceptum ſuæ clientelæ fecerunt.

A. C. 1459. Iterum efferatiores, Pii II. ut fama fuit (ait Hartmannus in Annalibus Heremi) adverſum Sigismundum Archiducem indignatio ſecit, qui ipſum communione Piorum privavit, *& Confœderatos, ad bellum inferendum Duci, tanquam rebelli Eccleſiæ cohortatus eſt*: cum Archidux Cardinalem Cuſanum Brixiæ Epiſcopum, jura ſui Epiſcopatus tuentem, in cuſtodiam conjeciſſet. Ipſo anno Archidux Sigismundus Conſtantiam venit, magno plauſu civium exceptus, quam pompam prolixè deſcribit Ventura de Peruſio Pontanus, ad Stephanum de Nardinis, & civium militarem generoſitatem mirificè commendat, ut & matronarum honeſtatem. Refert etiam in occurſum Archiducis Viros Sacros veniſſe (Cathedralis procul dubio templi) cum SS. Reliquiis, è cujus verbis, quæ ſubjicere viſum *Sigism. Auſtr. excommunicatur.* *Idem Conſtantiam venit.*

Pompa per Vrbem.

est, colligas, necesse est, quantus Ecclesiæ Constantiensis splendor fuerit, priusquam Hæreticus furor, omnia avitæ pietatis monimenta sacrilega licentia dissipasset, & dum in ulus proprios, suæ fortunæ perniciem, convertisset:

SS. Reliquiæ prælatæ.

Tum omnes, inquit, *lustratione peractâ, ad templum redivimus, comitantes tot præclaras Reliquias Deorum* (Divorum) *quas per urbem portaverant. Ignoro an usquam terrarum res tam sumptuosa, tamq; præclara & magnifica possit inveniri. Tot enim vasa argentea, tot tabulæ aureæ atq; Deorum simulacra, tot arculæ Reliquiis plenæ elaboratæq; ut Polycleto ac Phydiæ non cedant.*

Thesaurus Ecclesiæ.

quibus tot infixi sunt amethisti, adamantes, beryllı, smaragdi, ut non ignotis modo, sed notissimis summam pariant admirationem. Obstupuimus tum primùm, cum thesaurum illum & supellectilem tam insignem conspeximus, admirantes quodammodo, undenam tantum auri atq; argenti, & pretiosarum gemmarum cogi potuerit? Celeberrima profecto res est, & prædicatione dignissima. Quæ omnia quantum nobis jucunditatis attulerint, nec lingua quidem possit explicari, &c. Ita Romanus iste Romano, & tunc quidem ad Archiducem legato, ne putes ruri natum & educatum, nihil aliàs dignum vidisse admiratione.

Encomiastes fide dignus.

A. C. 1460. Helvetiis Sigismundum Archiducem eversum cupientibus, & Vitodurum gravi obsidione cingentibus Kyburgoque hostiliter imminentibus, indicto Constantiam Conventu nomine Cæsaris Ludovicus Elector Palatinus, Pacem Archiducem inter & Confœderatos feliciter conficit, & inducias annorum quindecim evincit. Post Gervvicum à Summetingen Campidoni Abbatem Joannes à Werdnovv Princeps salutatur.

Conventus Constantiæ.

A. C. 1461. Ipse occurrens Constantiam Fridericus Imperator pacem cum Helvetiis confirmat, & Principem Pacis toto Imperio agit, quieti publicæ plurimum studendo.

Cæsar Constantiam venit.

A. C. 1462. Vita excedit Henricus Episcopus noster Constantiensis, Liber Baro ab Hövven, uti habet sepulchri inscriptio, in Sacello prope Consistorium Sacri Xisti Cathedralis, ubi Henricus juxta Burcardum Antecessorem suum & consanguineum sepultus est, hisce ipsissimis Mausolæo insculptis:

Moritur Henricus Episc.

Vita functi Reverendissimi Domini de Hevven Burcardus
Anno 1398. & Henricus 1462. Episcopi Constantienses,
hic pie quiescunt. Amen.

Epitaphium 2 Episc.

Ut videas plurimum aberrare, qui mortem ejus ad annum usque 1472. differunt. Successit unanimi Canonicorumque suffragio Burcardus eo nomine Secundus Dynasta de Randeck Princeps in omni vita modestissimus, & humanissimus.

Burcardus Episc.

A. C. 1463.

Digitized by Google

A. C. 1463. Turbata diutinis prælis, & nimia Libertatis affectatione Helvetia, multum sui dissimile S. Galli Archisterium tantis calamitatibus tantum non pessum iit; nec potuit fieri in tantis concussionibus quin labefactata disciplina magnus ille Sanctuatis splendor, obscuraretur nonnihil; donec modo quiescente tanto post patria, exoptatissimâ in quiete Benedictinus se spiritus proderet, & ad paria Majoribus studia Benedictinorum animos exsuscitaret. Id nunc factum Gaspare à Breiten-Landenberg Abbate, Udalrico quam maxime S. Galli Administratore rerum satagente, cujus merita tanta omnino fuere; ut maximis non solum Diœceseos, sed Germaniæ universæ, totiusque Benedictini Ordinis syderibus sit accensendus.

S. Galli restituitur.

Udalricus Administrator.

A. C. 1464. Nec minus spectatus auctoritate & meritis Geroldus Einsidlensis Abbas & Princeps, multâ ob hoc ipsum in gratia apud Pium II. Pont. Max. hoc ipso anno centum equitum ornatissimo comitatu, sui amantissimum Pontificem convenit, multa pro Monasterio suo & Deiparæ cultu promeruit, de omni sacra meritissimus posteritate; quem à morte Pii ex Italia reducem, sacra Eremus, non aliter atque delapsum cœlo genium patentibus campis, solemnissima pompa ingenti congratulatione excepit.

Geroldus Abb. Einsidl.

Ex Italia revertitur.

A. C. 1465. Luctuosissimus Einsidlensi Cœnobio hic annus est, tristissimo & pernicisissimo incendio, quo, quidquid non ex lapide erat in cinetes abiit, præter laquearia sacri Sacelli, quæ magno miraculo medios inter ignes, intacta à flammis perstitêre, cætera omnia, cum supellectile sacrâ & profanâ, aureâ, argenteâ, librariâ igne sive absumpta, sive liquefacta sunt, summo incommodo Religiosorum, accedente malorum malis pessimo, eorum qui Advocati dici gestiunt, sacrilega eorum quæ supererant siti, quasi quæ DEO devoverentur, Advocatorum, non DEO sacrorum & devotorum essent; ipso summo Pontifice libidini illorum, sed frustra, obnitente, cum optimus Abbas & Princeps odio Suitensium invisceratο cedendum ratus, maluit suo cum incommodo exulare, quam injurias profanorum sufferre, ne hisce consensisse videretur, ad S. Geroldi Vallis Drusianæ Cœnobiolum sese recipiens, Conrado Barone Rechbergio Vicario constituto.

Incendium Einsidlense.

Nullum solum est malum.

Exulat Geroldus Abbas.

A. C. 1466. Incredibili bonorum omnium dolore moritur Burcardus Episcopus noster, dum in mediis conatibus esset, Episcopatum ab omnibus debitis vindicandi, & nemo non esset, qui id ipsum ex animi sententia felicissimè confecturum opinaretur. Fuit Oeconomus felicissimus, Princeps mansuetissimus, vir valde religiosus, Capitulo ut vocant, totique non minus Urbi gratissimus. Mirum autem est, ita in diversa abire scriptores super anno ejusdem obitus, cum sepulchralis lapis extra Chorum Cathedralis Basilicæ, versus Palatium Episcopi, illudita & sincte & clare doceat:

Burcardus Episc. moritur.

Burcardus

Digitized by Google

Epitaphium ejusdem.

Burcardus de Randegg Constantiensis Episcopus, obiit anno 1466. 13. Aprilis cujus anima requiescat in pace.

Hermannus Episcopus.

Successit communi omnium voto & gratulatione Hermannus eo nomine Tertius de Breiten-Landenberg, Decanus Cathedralis vir religiosissimus, & insigni clarus Nobilitatis prærogativa.

B. Nicolaus Eremiticam amplectitur.

A. C. 1467. Beatus Nicolaus Sylvanensis, post longam deliberationem & cum conjuge sua tractationem, licentia & consensu ab hâc impetratis, sæculo prorsus, conjugiq; & charissimis liberis valedicit, mense Septembri, ætatis quinquagesimo cum 6. mensibus, & rigidissimum Anacharetarum Institutum summo plausu aggreditur. Verum cum procul abesse â patria vellet, & latere incognitus, â rustico primum commonitus, inde Divino instinctu in patriam tractus, mira etiam visione confortatus, præter naturale suum jejunium inchoat, & in patria secretum & sejunctum ab hominibus locum sibi deligit, & inhabitat.

Constantiæ Conventus.

A. C. 1468. Constantiam sæpius occurrit Fridericus Elector Palatinus, verè Pacis Princeps, & Confœderatis Waldishutam ad Rhenum armis subigere laborantibus, mediator intervenit, evocatasque Constantiam partes audiens, cunctisq; satisfaciens, ad æquas pacis conditiones inducit.

Ædicula B. Nicolai.

A. C. 1469. Increbrescente fama sanctitatis B. Nicolai Sylvanensis, accolæ prope ædiculam ejus Sacellum collatis Symbolis exstruunt, & Hermannum Episcpum nostrum pro ejus consecratione conveniunt. Missus est Thomas Suffraganeus, Ascalonensis Episcopus, simul ut in vitam B. Nicolai inquireret, & ipsum examinaret, postquam jam sesquiannum, omni refectione humana abstinuerat. Ita factũ, & rogatus ab Episcopo Nicolaus, quænam gratissima Numini Virtus esset? Obedientiam respondisset, jussus, de industria allatos 3. panis bolos edere, & modicum vini bibere; exhorrescens, rogavit Episcopum, ut bolum unum in tres partes divisum sumere annueret. atque ita obsequutus, cum etiam modicum vini gustasset, ita repente debilitatus est, ut parum â morte abesse crederetur. Ita satisfactum Suffraganeo, & Episcopus id inaudiens, in Nicolaum deinceps plurimum affectus & beneficus exstitit, & insigne par candelabrorum cum pecuniæ summa eidem dono transmisit, quam ille illico ad sacros convertens usus, pratum in Sacelli & Sacellani usus futurum coemi jussit.

Examinatur ab. Episc. B. Nicolai.

Magni fit ab Episcopo.

Paulus II. Indulgentias impertitur.

A. C. 1470. Hoc anno Paulus II. Pont. Max. agnita B. Nicolai gratia & Numinis singulari erga ipsum benevolentia, Sacellum ejusdem, Sacris Indulgentiis affatim ditavit, & peregrinorum devotionem accendit. Confirmavit libenter Bullam Hermannus Episcopus, & ipse Indulgentias liberaliter addidit.

A. C. 1471.

A.C. 1471. Inter ſydera Diœceſeos merito computandus venit Hermannus â Breiten Landenberg Epiſcopus noſter, eximia vitæ integritate, Sacerdos verè Magnus, verus paupetum pater, erga quos mirifice afficiebatur, conſolator ſingularis afflictorum, erga quos omnes viſcera effundebat ſolidæ charitatis. erga Venerabile altaris Sacramentum adeo devotus, ut poſtquam ad aras fecerat, ſeſe ſemper recolligens, totus lachrymis diffluere t. Decorem Dei ſumopere dilexit, & multa quæ ad ornatum templi pertinent inſigniter reſtaurari curavit. Dignus genere ſuo Pontifex, dignus Eccleſia ſua, & cujus laudes æternum celebrentur. *Hermann. Epiſc. celebras* *Ejuſdem merita.*

A. C. 1472. Udalrico poſt Gaſparem extinctum, ex Adminiſtratore ad Principatum evecto, & Romæ confirmato, S. Galli de novo exſplenduit, opibus & dignitate crevit, & primævo Sanctitatis ſplendori reſtitui cœpit, ut expletum illud Veritatis manifeſto exemplo appareret: *Quærite primum Regnum DEI, & cætera adjicientur Vobis.* Ita facienti Udalrico, omnia ex animi ſententia, quam feliciſſimè ceſſere. *Vdalrici Abbatis S. Galli laudes.*

A.C. 1473. Præmatura hoc anno omnia. Menſe Februario floribus jam paſſim comptæ arbores, exeunte Junio uvæ concoctæ, & ante Divi Joannis confecta meſſis, non ea quidem per ſiccitatem opulenta, at ſufficiens. Cæterum tantus paſſim æſtus, ut nonnullis locis, ſponte exardeſcerent ſylvæ. Octobri menſe efflorure denuo arbores; ceraſa ad feſtum Divi Martini eſui idonea, cæteri fœtus ad maturitatem pervenire non potuerunt. B. Nicolai Sylvanij mirabilis vitæ ratio longè lateque deprædicatur. Ipſi Archidux Sigiſmundus nobilem dono mittit calicem ad uſus Presbyterorum in Sacello ædiculæ ejus proximo Sacra facientium. *Annus præmaturus.* *Fructus duplices.* *B. Nicol. fama*

A.C. 1474. Conſtantiæ inſignis denuo Conventus celebratur, quo fœdus perpetuum inter Auſtriæ Archiduces & Confœderatos Helvetiæ ſanctum fuit Ubi etiam Ludovicus Galliarum Rex Regum illorum primus, cum iiſdem Helvetiis fœdus iniit. *Conventus Conſtantiæ.*

A.C 1475. Hermannus â Breiten-Landenberg Epiſcopus noſter, qui erat inſigni prudentia, juxta ſummam vitæ integritatem, veritus ne per ætatem provectionem, & imbecillitatem minus ad onera Epiſcopatus toleranda ſufficeret, adeoque aliquid negligi poſſet, inſignem quemdam ſingulari eruditione, & prudentia ſuæ Eccleſiæ Canonicum Ludovicum â Freybe g ſibi Coadjutorem adjungit. qui egregiè primum optimo Principi aſſiſtendo ſatisfecit; cæterum in ſpem adipiſcendi Principatus erectus, clandeſtinè apud Romanum Pontificem ſeſe inſinuans, effecit, ut ſibi â morte Epiſcopi, certa ſucceſſio eſſet, Epiſcopo ipſo nil minus cogitante, neque votis ſeu conſenſu aliquo Canonicorum rogato. ex quo magnæ deinceps ſubortæ calamitates. *Hermannus Epiſc.* *Coadjutorem aſſumit.* *Hic fraude egit.*

Digitized by Go

Bellum Burgund. A.C.1476. Burgundici belli metus vicinos omnes terruit, Constantienſes in rem ſuam attentos reddidit, dum Carolus Burgundus nimia arrogantia Princeps, Helvetiam totam ſpe devoraret, & Conſtantiæ vicinus adeo tumidus & ambitioſus ſuſpectiſſimus redderetur. Eluſerunt tamen generoſe admodum ejus conatus Confœderati, & apud Granſonium & Moratum ita ipſum tractarunt, ut, ſi ſaperet, cauſas bellorum, melius penſare, & æquitatem bello præferre debuiſſet.

Hermanni Epiſc. ſuprema. A.C.1477. Hermannus DEO & hominibus dilectus Pontifex, intelligens quæ Coadjutor ſuus Ludovicus â Freyberg ſe & Canonicorum Collegio ignorantibus, Romæ impetraſſet, ſupra modum contriſtatus, adeo acerbe ſenſit, ut paulo poſt in morbum incideret, quo etiam extinctus eſt, prius convocato Canonicorum Collegio, cui ſe facile purgavit, vir omnis doli & fraudis ignarus, ſeque coram DEO innocentem probavit, eo quod Ludovici technæ & molitiones ſibi nunquam in mentem venerint. Sepultus eſt ſummo omnium luctu in Baſilica Cathedrali Ludovico quamprimum ſeſe Epiſcopum intrudente, Canonicis vero electionem maturantibus & Otthonem Comitem â Sonnenberg conſalutantibus. Tantum effulſit hoc ipſo anno abſolutiſſimæ Virtutis opinione, etiam procul & in Urbe & Curia Romana, Udalricus S. Galli Abbas ut Pontifex ipſi Cardinalatus eminentiſſimam dignitatem deferret, quam tamen ipſe generoſius recuſavit, eoque ipſo digniorem ſe comprobavit, contentus ſuas oviculas in viam perfectionis condux ſſe, imo exemplo præiviſſe.

Excuſat ſe Canonicis.

Vlrico Abbati pileus rubeus offertur.

Ludov. Epiſcopat. ambit. A.C.1478. Ludovicus ipſe Romam profectus Sixto IV. ſuperelectione Canonicorum conqueritur, de novo confirmatur, juſſo quamprimum cedere Otthone â Canonicis electo, & Ludovico deferre. Verum Canonici, cum ipſo lege & Jure agere decreverunt aperteque denunciarunt, ipſo deinceps ſponte ſeſe abdicare promittente, ſiquidem ſibi Weingarttenſe Cœnobium, pro Epiſcopatu concederetur. Inſtititque deinceps pro hoc vehementius, petensque ut inſtar Elvacenſis nuper ſic mutatæ in Præpoſituram Abbatiæ, ipſe Præpoſitus, Monachi Canonici fierent; Gaſpare Abbate opem Friderici Cæſ. & Sigiſmundi Archiducis implorante; his concordata Germaniæ Sixto Papæ objicientibus, & ſumma auctoritate ſeſe opponentibus. Coll.ſi denuo cum Helvetijs Auſtriaci, Maximiliano Archiduce cum illis fœdus inire exambiente, ipſis recenſantibus.

Ambit Cœnob. Wengarti.

Nova diſſidia.

Vdalricus Heremita. A.C.1479. Aliud ſe rurſum in Diœceſi noſtra ſydus prodit Beatæ memoriæ Udalricus Eremita, qui exemplo Beati Nicolai accenſus, ipſius illum intueri & affari voluit, ac dein totum ſeſe illic permiſit, ſub hoc ipſum tempus magnis virtutibus illuceſcens. Meruit idem precibus Magiſtri ſui, ut tredecim dies noctesque abſque ullo cibo & potu tranſigeret, Nicolao dein ipſi panem præbente, quem juſſu ejusdem, ut obedientiſſimus diſcipulus, mandu-

Obedientiæ exemplum.

Digitized by Google

manducavit. De cætero rigidus admodum ſui corporis tortor exiſtens.

A. C. 1480. Terribilis paſſim aquarum illuvies, pleroſque undique fluminum pontes, evertit & abripuit, magna terris illata vaſtitate; majora paſſim damna ruina ædium, & pecorum merſione afferens, non ſine omine vaſtandarum Helvetiæ provinciarum. Pergit proſequi jus ſuum Ludovicus, & ejus loco ambire Cœnobium Weingarttenſe, connitente etiam palam Fratre ejusdem germano Joanne â Freyberg Aſceta Weingarttenſi, qui multum in aula Archiducis potuit, apud quem Gaſparis Abbatis tanquam ignobilis raro exemplo inter Nobiles prælationem & electionem exambitam & caſſam voluit; Gaſpare, cum ab Archiduce nil porro ſperaret, Tigurinorum opem implorante, qui acres Pontifici ſcripſere litteras, etiam armis defenſuros cauſam Cœnobii comminantes. Verum cum morte Ludovici tempeſtas & jactatio deſiit, Joannes autem cum ex Monacho Canonicus fieri non poſſet, Abbatiam tamen S. Georgij in Montibus Tirolis impetravit. Ludovicus Romæ, hoc ipſo, vel ut alij volunt, anno 1484. mortuus, magno cum honore eſt tumulatus.

Exundatio.

Ludovicus inquietus.

Tigurini Merinachi patrocinantur.

A. C. 1481. Optimè meretur de patria ſua Helvetia, B. Nicolaus Sylvanienſis, ortamque graviſſimam controverſiam & contentiones inter Confœderatos, propter diviſionem prædæ Burgundicæ (quæ maximis omnino theſauris conſtabat) magna ab ſanctitatis opinione, auctoritate componit. cujus ejuſdem ſuaſione Fryburgum & Solodurum, in fœderis ejuſdem Societatem recepti ſunt, cum multi antea diu ex confœderatis oblucterentur.

B. Nicol. patriæ conſulit.

Moritur eodem anno Geroldus Abbas Einſidlenſis ex Comitibus Saxi Meſauci Dominis, in Præpoſitura S. Geroldi, quo ſe ex tædio oppreſſionis Suitiorum receperat, ibidem tumulatus, â cujus morte, auctoritate maximi Udalrici Abbatis Sangallenſis Conradus Baro de HohenRechberg, Abbas & Princeps conſalutatur. Ipſo anno obiit Laurentius Rhenovienſis Abbas nobilis de Reiſcha, ſuccedente Joanne Conrado de Grieſſen.

Gerold. Abb. Einſid. obijt.

Conrad. Abb.

A. C. 1482. Peſtilenti vexatur Germania & Diœceſis noſtra, nihil tamen de Conſtantia noſtra Annales memorant, advigilante ſedulo Magiſtratu nequid periculi â ſuſpectis locis Urbi inferretur. & medicis mature præſertiva antidota dictantibus, ex qua induſtria benè inſtitutæ Reſpublicæ, comprobantur.

Lues peſtilēs.

A. C. 1483. Elevatur ſolemniter in Monaſterio S. Galli, corpus ejuſdem ſancti Tutelaris, in magno concurſu populi, pro cujus devotione & ſolatio, aliquot diebus conſpicuum univerſis manſit expoſitum, quod dein debito cum honore ſplendidius curatum fuit.

S. Galli ſolēnis elevatio.

A. C. 1484. Conſtantiæ, totoque lacus Potamici, quin & Tigurini ac Rheni fluminis tractu, tanta muſti ſeu vini copia lecta fuit, ut pleriſque locis

Incredibilis vini copia.

tantum vini, quantum vasa vacua quæ petebantur capiebant, pro vasis largirentur. Multis, præconis voce vinum in eleemosynam, cuilibet petenti promittentibus, & dantibus.

Ecclypsis terrifica. A. C. 1485. Solaris Ecclypsis metuenda fuit, cooperto syderis toto corpore (horrendum!) & tenebris per diem, nocturnis densionibus, horæ quartam partem, plerisque ad rem, vulgo inopinatam maximè attonitis, confusis & trepidantibus.

Libertatis licentia. A. C. 1486. Invalescente ex nimia Libertatis semel partæ apprehensione licentiâ, cum qui hactenus rerum jure Divino & humano potiebantur, ne de reliquo quidem quin & de vita securi essent, religiosissimus & prudentissimus Princeps, Udalricus S. Galli Abbas, Domum aliquam Refugij (si, ut sæpius contigit, domi suæ cum sacris filius securus non esset) condere statuit, in quam everso & incenso S. Galli Cœnobio, uti quotidie minitabantur rebelles, sese cum suis reciperet, licentiam condendi Cœnobii in sua propria Jurisdictione â Cæsare Friderico rogavit, & impetravit.

Ulrici Abbatis industria.

Moritur B. Nicolaus Sylvanienſis. A. C. 1487. Cœlestis splendoris, sydus mirificum, cœlum hoc anno terris & Diœcesi nostræ eripit, Beatum Nicolaum â Flue Sylvanienſem, incredibili Cœlitum plausu, mortalium luctu ipso Monachorum omnium Archiducis Divi Benedicti festo, quo & natus erat Nicolaus. Decessit anno ætatis 70. ipsa obitus die absoluto, & sepultus est in Ecclesia Parochiali in Saxlen, ingenti hominum concursu facto, cunctis qui aderant infirmis prodigiosè sanatis. cui non nemo ad effigiem cupio incisam & exculam [illegible] parentavit.

Miracula plura.

Nicoleos hic est, inpransus & incœnatus
Qui solus quinas vixit Olympiadas.
Helveticæ cautes & conscia saxa loquantur,
Quot biberint lachrymas audierintque preces?

Expectatio Fidelium. Tali insigni sacratissimi corporis thesauro beata etiamnum est Diœcesis nostra, nec sine impatientia, juxta summum desiderium expectant infiniti fideles, debitos ipsi tanto DEI servo & Amico honores, ab iis quorum interest, designari & deferri.

Conventus varij. A. C. 1488. Invalescente nimium ex prætextu libertatis Helveticæ alieni appetentiâ, & contemptu oppressioneque sua repetentium, Constantiæ & diversis etiam aliis locis Conventus celebrati, quibus adversum Confœderatos Helvetiæ, Confœderationis Suevicæ hoc anno initium factum, diversis Episcopis, Abbatibus, Comitibus & Equestris Ordinis Heroibus nomen certatim dantibus, quod Helvetiorum exemplo, & forte etiam incitamento, plures ejusmodi Libertatis licentiam affectare viderentur.

Confœderatio Suevica.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1489. Magna operarum contentione prope Rorſchachium, annuente ut ſupra diximus Cæſare, inſigne molitur Monaſterium Udalricus Abbas & Princeps S. Galli, in fundo proprio, nullius mortalium cum injuria, ſed neque ut ſuſpicari quiſquam poſſet, moliri munitionem aliquam, rebellibus tamen (præludente ſequuturæ paulo poſt ab avita etiam fide apoſtaſia) frendentibus, & ſine cauſa quiritantibus, qui jam tunc tot rei ſacrilegiorum, ſine Religioſis, Sacerdotibus & Sacrificio vivere Libertatis ſolidæ punctum eſſe ſibi perſuaſerant Udalrico nihilominis cœptis optimis inſiſtente; illis paulo poſt nequiſſimo auſu jam pene abſolutum ſubruentibus.

Rorſchacenſe Monaſt.

Subruitur Monaſt. Rorſchacenſe.

A. C. 1490. Fuere nihilominus è Confœderatis, qui factum hoc indigniſſimum & injurioſiſſimum attendentes, ulciſcendum exiſtimarent. proin interpellati ab Udalrico Abbate Tigurini, Lucernenſes, Suitij & Glaronenſes, collectis copiis oppidum S. Galli obſidione cinxerunt, coegeruntque altera die deditionem facere, veniamque & pacem precari; qua ſtatim conceſſa, & hujus conditionibus paulo poſt dictis, magna omnes pecunia mulctati ſunt, & Abbacellani, qui ſceleris collegæ erant, Rheguſca ditione exuti; Udalrico quamprimum Monaſterium de novo reſtaurante.

Vlciſcuntur ſcelus confœderati.

Reſtituitur Monaſt.

A. C. 1491. Iterum ſydere illuſtri terra & Diœceſis noſtra â cœlis exſpoliatur, evocato ad ſydereas manſiones, Beatæ memoriæ Udalrico Heremita B. Nicolai diſcipulo, viro eximiæ Virtutis; quem â morte multis miraculis devotioni fidelium commendavit. Extinguitur eodem anno Ottho Epiſcopus noſter Conſtantienſis Comes â Sonnenberg è familia Dapiferorum â Waldpurg. doctrinæ præſtantia non minus quam generis nobilitate Illuſtris. Sepultus eſt in Sacello â ſe condito juxta Chorum Cathedralis Eccleſiæ. Diſſensêre primum in Electione novi Pontificis Canonici, aliis Baronem ab Höwen, aliis Thomam Perloverum Ungarum, ſuum Cathedralem Præpoſitum, eligentibus, mox tamen in iſtum honeſtiſſimæ vitæ ſummæque eruditionis hominem omnes conſensêre; qui pro ſuis in Fridericum III. Imp. cui ab arcanis erat, & in Maximilianum I. cui ab inſtitutione ſe commendaverat meritis, Præpoſitura Conſtantienſi donatus fuerat. qui tamen diu tergiverſatus, quod Epiſcopatum nimium obæratum noſſet, quatuor hebdomadum & trium inſuper dierum deliberando tempus exegit, & precibus denique acquievit, Cæſare & Pontifice Rom. Regalia & Confirmationem, ultro, & gratis omnino, eidem conferentibus, cum ipſe Romam ſeſe contuliſſet. Sed & Udalricus Abbas S. Galli moritur, ſecundus Monaſterij Fundator appellatus.

Moritur B. mem. Vlricus Eremita.

Item Ottho Epiſcopus.

Thom. Epiſc.

Confirmatur Epiſc.

Anno C. 1492. Maximilianus I. Imper. Conſtantiam maximi faciens quam magnis rebus gerendis oportuniſſimam noverat, hoc anno ibidem ſolem-

Comitia Conſtantiæ.

ſolemniſſima celebrat Comitia. In iis conqueritur ſuper injuria & contumelia Caroli Galliarum Regis, ſponſæ ſuæ raptoris, & ſeſe ulturus, opem & auxilium efflagitat, Principibus turbato cæteroquin ſtatu Imperii, tanti nominis hoſtem irritare recuſantibus, & auxilia negantibus. Eo quoque evocati Helvetij, rogati ſententiam, Summi hac in re Pontificis officium & decretum eſſe dixerunt; qui ſi ſacris Regem interdiceret, ſuum erga Cæſarem auxilium nunquam defuturum.

Helvetiorum ſententia.

Thomæ Epiſc. frugalitas.

A. C. 1493. Thomas Perloverus à Cilia dictus, inſigni frugalitate modeſtia & induſtria deſperatis pene Epiſcopatus & Eccleſiæ rebus inſigniter conſulit, ſed & diſciplinæ Eccleſiaſticæ magno fervore intendit. cui tamen vitio à nonnullis datum, quaſi avaritiæ ſtuderet, quodque crumenæ parcendo, mentum ſibi ipſius & caput raderet. Idipſum, nonnemo retulit, cum Romæ faciens ſubitùm ad Pontificem vocatus, novacula læſus, cenſeri & rideri metueret, cera liquefacta cicatricem obliniſſe. Certe Epiſcopus laudatiſſimæ vitæ extitit & omni modo allaboravit, ut Eccleſiam ſuam debitorum onere prægravatam liberaret.

Laudes ejuſd.

Conſtantienſ. ducati.

A. C. 1494. Monetam auream, vulgo ducatos, cudunt Conſtantienſes altera parte bicipiti Aquila Imperii, altera pomo Imperiali, inſignitam, cum inſcriptione nominis Maximiliani I. Imp. Auguſti.

B. Idda Fiſching.

A. C. 1495. Inſignibus miraculis honorata à Numine S. Idda Tockenburgi & Kirchbergæ Comitiſſa Monialis Fiſchingenſis in Monaſterio tamen Virorum ibidem condita, ab Henrico Abbate tumulo ornatione excolitur. cui hoc ipſo tempore magno Diœceſeos ornamento & peregrinorum ſolatio, vitam tantæ Tutelaris à ſe deſcriptam Albertus de Rohrſtetten dedicat.

Ejuſd. vita.

Thomas Epiſcop. moritur.

A. C. 1496. Thomas à Cilia optimæ notæ Pontifex, poſtquam egregiè Eccleſiam noſtram demeruit 25. Aprilis Feſto S. Marci Evangeliſtæ, piè in Domino requievit, ſepultus magno cum honore in templo Cathedrali. cui eodem anno ſuccedere communi calculorum voto juſſus eſt Hugo de Landenberg ab Hohen-Landenberg ſummi Collegij Decanus & Præpoſitus Erdfordienſis, nobilitate & antiquitate generis inclytus, prudentia humanitate omnique virtutum genere cultiſſimus, Heroica inſuper corporis ſtatura, proceritate & majeſtate, omnibus Germaniæ Principibus eminentior & ſpectatior, ita ut nemini non ad ſumma natus, verendus & venerandus videretur, eruditorum inſuper cultor ſingularis, digniſſimus qui ab omnibus amaretur.

Hugo Epiſc.

Ejuſd. laudes.

Conſtantia periclitatur.

A. C. 1497. Præfectus Turgoviæ, adjunctis ſibi auxiliariis Suitenſium & Urienſium copiis Conſtantiam inopinate, quo ſecurior erat invadere & occupare decreverat, à Tigurinis tamen optimè tunc erga Urbem noſtram affectis, nequid moliretur ſerio monitus & impeditus eſt. Quæ cauſa Conſtan-

Digitized by Google

ſtantienſibus, re comperta fuit, ut hoc ſtatim anno Confœderationi, de qua ſupra, Suevicæ nomen daret.

A.C. 1498. Rhætis fruſtra ad fœdus Suevicum invitatis, cum hi, quod cum Habſpurgiis de finibus contenderent, cum Helvetijs fœdus perpetuum feciſſent, Suevi novo celebrato Conventu Fœdus iterarunt, & confirmarunt, pluribus Epiſcopis, Dynaſtis & Urbibus nomen dantibus. Unde magna deinceps rerum confuſio & ſanguinis humani effuſio conſequuta eſt. *Rhæticum Helvetijs.*

A.C. 1499. Conſtantiæ initio hujus anni Comitia ſolemnia, magno Principum concurſu celebrata, actumque de Helvetiis bello invadendis, neque Cæſari Maximiliano viſus eſt oportunior locus Conſtantiâ, unde Helvetia felicius cogeretur. Occurrit ipſe Conſtantiam Cæſar, omnemque movit lapidem, ut, quo valebat, ingenio maximo, â tot acceptam annis injuriam & contumeliam Majorum ulciſceretur, quæ plurimi tanto tempore manſiſſe inultam & mirabantur, & querebantur. Sed aliter Numini viſum, quod etſi rebellium, à primo defectionis tempore, prætextus minimè probaret, ulciſcenda tamen ſuſcepit, quæ in innocentes Miniſtrorum intoleranda licentia & crudelitas peccaverat, & Jus ſuum in terras æquè ac cœlum, in Principes æquè ac ſubditos exercendo, Dominum ſe eſſe ac Regum Regem demonſtravit. Cantatum proin IO ſolemne ante triumphum eſt, & qui ulciſci ſuorum necem paraverant, ipſi neci dati; maximo Urbis noſtræ incommodo & ruina, in qua belli ſedes, & juxta belli conſilia, etiam fulmina parabantur. Die ergo octava decima Aprilis, Wolfgangus Comes de Fürſtenberg Cæſareanarum Copiarum Dux, cum octodecim millibus Conſtantia egreſſus, cum audiſſet Helvetiorum ſeptem millia in valle Rhenana ſubſiſtere, alios domi quoſque ſuæ in armis ſtare, verſus Ermatingen & Tribeltingen pagos monet, ipſo adhuc manè propugnatores ejicit, locorumque illorum violenta manu potitur ſtationibus; alios dein alioſque vicos occupat, excubitores profligat. Verum cum opima jam præda in urbem reverſurum, quindecim Helvetiorum millia in loco, qui Schwaderloch dicitur intercipiunt, armisque ſubito diſperſos aggreſſi, bismille quingentos, eoſque inter centum triginta Conſtantienſes eo ipſo loco contrucidant, reliquos campo exagitant, & ad prima uſque Urbis munimenta inſecuti propellunt, octuaginta quatuor in ipſis foſſis demerſis. Potiti ingenti præda ſunt Helvetii quæ inter tormentorum curulium magna vis, diverſarum urbium & maximè Conſtantiæ; quæ maxima deinceps ex ea clade damna ſenſit, & maxima ſemper deinceps odia vicinorum. Sed & aliis quaquaverſum pugnis, etſi diverſiſſimis fortuna ubique Cæſareanis adverſa fuit, ita ut denique de pace Cæſar cogitare cogeretur, cum plerique Principes auxiliarii animadverſo periculo, domum quiſque ſuam repetereret; & pax denique 22. Septembris die Baſileæ componeretur. *Comitia Conſtantiæ.* *Cæſar Conſtantiæ.* *Infelices ejus ſucceſſus.* *Io! ante triumphum.* *18. millia Cæſarea.* *à pantis ſuperantur.* *Victores Helvetij.* *Infelices noſtri.* *Principes ſe ſubducunt.*

A.C.

Digitized by Google

A.C. 1500. Italongè â se diversus, hoc, â priore anno Cæsar Maximilianus Fœdus Hæreditarium cum Tigurinis, Bernensibus, Tugiis & Solodorensibus renovat, Constantiensibus diu post jacturam & suam & Amicorum dolentibus, manifestoque edoctis, quanto præstaret, quod olim fecerant, pugnas eminus intueri & sua defendere, quam cominus conserere, & causas alienas suas facere.

Cæsar fit Amicus Hostiũ.

Bacii primum cusi.

Constantienses primi monetæ quoddam genus cudunt, quod bacios appellant, quindecim florenum æquantibus, quod cæteræ dein Imperii urbes imitatæ sunt.

Barnabas C. de Saxo.

A.C. 1501. Moritur insigne Diœceseos Decus Barnabas Comes de Saxo Einsidlensis Ascèta, & rerum ibid. pro Principe Conrado Barone de Rechberg Administrator seu Curator, quod munus magna cum laude gessit, tantoque majore, quanto difficiliore tempore, per annorum sterilitates perpetuas, & clades patriæ continuas; ipse tolerantia rerum arduarum insuperabilis, & qui solus pondus diei sustinuerit & æstum.

Lues pestilẽs.

A.C. 1502. Pestilentia sævissima grassatur ob præteritorum maximè annorum famem & inediam. & hoc quoque tum notatum, in eos potissimum sævisse, qui anno superiore, crucibus prodigiosis notati fuere.

Conventio quædam.

Ipso anno Ultimæ conventio quædam instituitur & initur ad annos viginti duos inter Constantiensem Urbem & Austriacos.

Cruces prodigiosæ.

A.C. 1503. Iterum hoc anno prodigiosæ Cruces in vestibus animadversæ, & nonnullis in locis etiam in pane. cæterum annus hic demum frugifer pauperibus obvenit, pane & vino, vilissimo pretio comparabilibus, pestilenti tamen lue tota Germania grassante.

Ioannes Abb. Angelomont

A.C. 1504. In Monasterio Angelomontano Helvetiæ Joannes Ethon Abbas, in difficillimis temporibus sibi semper constans multis generosè ex anthlatis laboribus, ad requiem felici morte transit succedente Barnaba Bürckio de Altstetten, viro incomparabili, & inter magna sydera Diœceseos numerando. Iterum annus macer & inops, fame passim tantopere laboratum, per Helvetiam inprimis, ut ob egestatem contabescentibus omnibus penè Colonis, deessent, qui terras colerent, & dum victu uterentur homines insolito, morbi quoque insoliti, juxta pestem invalescerent.

Barnabas successor.

Cæcilia Sylvanienſis.

A.C. 1505. Illustrissimum denno Diœceseos lumen inter tantas temporum tenebras, Helvetiam illustrat. Venerabilis Cæcilia Sylvanienſis, Virago Generosissima, quæ imitatione B. Nicolai Heremiticam amplexa vitam haud longè â Beatæ memoriæ Udalrici Sacello, mirabili vitæ rigore sese exercuit; & cum inferis fœmina congredi aula, Heroicos sæpè triumphos retulit. In qua perditissimo si unquam antea tempore, mirabilis DEUS

Ejus de dæmone triũphi.

in

in omnibus operibus ſuis, nutante penè orbe univerſo, & per nimiam licentiam in præceps ruente, ſingulariter demonſtraſſe videtur, elegiſſe ſe infirma mundi, ut confundat fortia (I. ad Corinth. I.) quam etiam in tam rigido inſtituto, ita confortavit, ut inter Macrobios referri queat, diſcipula nimirum B. Nicolai concivis ſui, ab ipſo ad omnem vitæ perfectionem inſtituta, & ad ſingularem eremi pugnam exercitata, quæ poſt mortem ejusdem, quæ anno 1487. accidit, annis totis 78. ad annum usque Chriſti 1565. ſupervixerit. *Diſcipula B. Nicolai.*

A. C. 1506. Cometes horribilis menſe Auguſto ſeſe oſtentavit, Septentrionem inter & Occidentem, oſtentum mirabilium in orbe revolutionum, quæ paulo poſt affectata paſſim tota Germania à ſubditis omnimoda Libertas peperit, & inferis mortalium juratiſſimis hoſtibus occaſionem præbuit, Religionis avitæ & Sacroſanctæ, per illam ipſam licentiam & inobedientiam, evertendæ. *Cometes.* *Libertas penè ſtilens.*

A. C. 1507. Maximilianus I. Imp. ſolemniſſima Conſtantiæ Comitia celebrat, ad quæ univerſi ferè Germaniæ Electores & Principes convenere, quæ integrum fere annum durarunt. & in iisdem inprimis de Judicio Cameræ inſtituendo deliberatum, de bello item Venetis inferendo, qui cum Gallo contra Cæſarem conſpiraverant, de itinere demum Cæſaris Romano, pro corona ſuſcipienda. Ipſo anno Joannes à Rietheim Princeps Campidonenſis laudatiſſimus vitâ exceſſit, cui Joannes Rudolphus à Raittenavv, vir eximie eruditus ſuccedere juſſus eſt. *Comitia Conſtantiæ.* *Cauſa convocationis.*

A. C. 1508. Ingentibus terræ motibus Germania noſtra horrendum concutitur, & paulo poſt, quaſi apertis Inferi portis, Sectarum ſe variarum larvæ produnt, paſtoribus, per longam quietem, ſecurioribus, nemine ferè invaleſcens quotidie malum, ex contemptu ipſo paſtorum, & Religioſorum, animadvertente. *Terræ motus graves.*

Hugo Epiſcopus noſter Conſtantienſis, quaſi præſcius malorum Urbi noſtræ ab Hæreſi impendentium, Mariſpurgenſem arcem, Marckdorffenſem item & alia loca magno ſumptu reſtaurat, ubi pulſus aliquando Urbe, locum ſecurè & ſedem figeret. *Mariſpurgum reſtauratur.*

A. C. 1509. Triſtiſſimus iterum annus Einſidlenſi Monaſterio luctuoſiſſimo & Monaſterii & pagi incendio, quod in domo fortè piſtoris alicujus excitatum, totum illico vicum paucis horis abſumpſit, & flammis vagantibus Monaſterium etiam ipſum corripuit ac penè totum hauſit, excepta Abbatia & paucis juxta ædibus, ſacra præterea ſupellectile & omnibus reſervatis ornamentis & in tutum raptis V. Nonas Martii. (Hartmanni verba ponimus) Ferunt Abbatem Conradum, igne maximè ſæviente, in Sacellum Deiparæ ingreſſum, ad aram Virginis preces calidiſſimas fudiſſe, mox finita oratione elata voce, Deiparam compellaſſe, præſenti exitio *Incendium Einſidlenſe.* *Conradi Abbatis factum.*

Monaſterium, & quæ in eo erant eripere dignaretur, ad ipſam omnia pertinere, & quiquid perierit, ipſi perituram eſſe. Inde Sacello egreſſum, curare cætera cæteros juſſiſſe, ſibi Abbatiam & ſuas circa ædes tutas & ſecuras adfirmaſſe. Quod ut diximus evenit, omnibus reliquis ædificiis flamma corruptis, præterquam Abbatis Palatium, & quatuor Monachorum Capitularium juxta ſitas ædes, & Capellanorum, quæ extra Monaſterium erant, domibus ab ea clade ereptis.

DEIpara aſſignata ædium conſervatio.

A. C. 1510. Fundatur hoc anno Præpoſitura in Wolffegg à Joanne Comite de Sonnenberg Otthonis, nuper Epiſcopi noſtri Conſtantienſis germano fratre, cum conſenſu Julii II. Pont. Max. & Hugonis Epiſcopi. Ipſo anno idem Hugo Epiſcopus noſter, commendatam ab inſigni metalli præſtantia monetam cudit, pulcherrimo exemplo, bono publico magis conſulens quam proprio, multis è converſo & publico peſſimè conſulentibus, & ſuam cum honore ſalutem prodigentibus, & perdentibus.

Præpoſitura in Wolffegg.

Moneta Epiſcopalis.

A. C. 1511. Meditabantur Senatores, qui tunc Rempublicam gubernabant ad Confœderatos Helvetiæ ab Imperio deficere, quod civibus & piſcatorum inprimis Tribui, Helvetico nomini minus affectis, cum innotuiſſet, interpellato Cæſare, trecentos ſubito impetravere equites, & in Urbem admiſere; præcipuis defectionis authoribus comprehenſis & capite quamprimum imminutis.

Defectio interceptа.

Eodem anno tres apices, arte & ſublimitate inſignes, Turris magnificentiſſimæ Cathedralis, horrifico incendio, longe lateque conſpicuo exuſtæ corruere, campanis præſtantiſſimis liquefactis, toto foro & area templi defluentibus, quod ominis loco habitum, cum deinceps Cathedralis Baſilica, & ſexcentæ Eccleſiæ, à deſertoribus avitæ fidei, plus quam hoſtiliter tractarentur.

Turris Cathedralis ex ſta.

A. C. 1512. Julius Pont. Max. anno Pontificatus decimo Conradum Abbatem & Principem Einſidlenſem, cum ſucceſſoribus ipſoque Monaſterio omnibusq; ad id jure pertinentibus ad annos quindecim, ab omni Jurisdictione, poteſtate, correctione, ſubjectione & ſuperioritate Epiſcopi Conſtantienſis exemit. Præcipitantibus ferè univerſis in deteriora, ipſis etiam Religioſis noſtræ Diœceſeos ſacris cœtibus, in laxitatem ab luxu reſolutis, Divini tamen Spiritus gratia ſemper ſcintillas hinc inde primævi ſacri fervoris reſuſcitat, ita ut multa Cœnobia tanto magis fervere & exardeſcere inciperent, quanto magis alia tepeſcerent, & rabeſcerent; Ita nunc zelus & fervor Philippi de Stein Abbatis Isnenſis, Henrici Fiſchingenſis, Barnabæ Engelbergenſis, Georgii ad S. Blaſium aliorumque ſeſe prodit, magna omnium cum ædificatione.

Einſidlenſes Exempti.

Periculum rei Chriſtianæ.

Reſuſcitatus Spiritus.

A. C. 1513. Hugo optimus Epiſcopus, omnia conſilia & imperia ſusque deque haberi, ſacra profanis, profana ſacris miſceri contuitus, cautior

Hugonis Epiſc. induſtria.

quotidi-

quotidie redditus, & de eventuris ſollicitus, præter domus refugii paſſim exſtructas, ſive neceſſariis inſtructas, optimum juxta Oeconomium agit, debita diſſolvit, ſollicitus etiam de ſucceſſoribus. quibus, in tot Epiſcopatus pericula, nihil in theſauris relinquere, contra decus Sapientis & probi Pontificis eſſe exiſtimabat, rerumque inſigniter ſatagebat. *Prudentia.*

A.C.1514. Xyſti varii, & ambulacra ad mœnia Urbis noſtræ adjuncta, unde hoſtis, ſi quis Urbi immineret, facilius pelleretur & averteretur, ſed & plura quæ ad munitionem loci pertinerent, curata. Hyems frigoris inauditi æſtas æſtu intolerando. *Vrbs noſtra excolitur.*

A.C. 1515. *Oraculum*, ut Annales loquuntur, *& miraculum* hujus temporis Barnabas Angelomontanus Abbas, acerrimi viri ingenii, excellentis doctrinæ, totius prudentiæ magnæ auctoritatis, exquiſitiſſimæque virtutis ob rarum animi candorem, ſuavitatem & gravitatem morum, vitæ integritatem, artium liberalium, Philoſophiæ inprimis & Theologiæ altam raramque ſcientiam, maximi paſſim factus, egregiis meritis illuſtrat Diœceſim noſtram, in componendis maximè Helvetiorum controverſiis dexterrimus. verè lucerna ardens & lucens in tantis tenebris, teterrimæ tempeſtatis celebrandus. *Oraculum ſui temporis Abbas Engelb.* *Diſſenſiones conſopit.*

A.C. 1516. Iterum Cometa malorum prænuncius orbi minatus eſt, & Germaniæ maximè noſtræ, diſſociatione, qualis nulla unquam fuit, inter homines, ex Sectarum nimia diverſitate, exorta, Januarius ea ſerenitate fuit, ut Paſchali feſtivitati, convenire vulgo diceretur. ſucceſſit etiam ubertas frugum, & vini inprimis generoſi copia, qua abuſi, ut ſolent Germani, iratum cæteroquin Numen magis irritarunt, ut majorem partem ab ipſius gratia prorſum excidiſſe videantur. *Cometa apparet.* *Vbertas malorum cauſa.*

A.C. 1517. Inſigne luminare è Diœceſi noſtra ad Auguſtanam ejusque Cathedram poſtulatur à morte Henrici à Liechtenauvv Epiſcopi, Chriſtophorus à Stadion, virtute non minus & eruditione quam genere illuſtris, qui miraculum ſui temporis Epiſcoporum extitit, etſi glorioſius pauperum pater vulgo cognominaretur. Zvvinglius æternum dedecus patriæ ſuæ; inſigni ſuæ ab infandis ſceleribus infamiæ, pallium quærens; illuminatum à DEO ſe jactitat: omnes ad id tempus veluti infideles & paganos vixiſſe. Nec veritus os ſuum in cœlum ponere hircus ſpurciſſimus, Virginum Virgini imponere auſus, & aſſeverare, detrahi Numini quidquid illi honoris deferretur. Tale monſtrum edidit primum Tockenburgia provincia, Glarona poſtquam persbyterum excepit execrata peſtem eſt atq; expulit, Sacra DEIparæ Heremus biennium ſuſtinuit, donec hoc ipſo anno ipſa Angelicæ Dedicationis occaſione virus evomuit, quo deinceps nihil ſanctius, ut & dulcius Tiguro fuit. Et plauſibilia ſua libertate nova Evangelii erant dogmata, quæ nihil intereſſe aſſeverabant, quid quisq, crederet, & perinde Platonem *Chriſtophorus Epiſc. Auguſtanus.* *Zvvinglii initia.* *Patria Zvvinglii.*

Digitized by Google

Ariſtotelem Hippocratem, Ovidium, Martialem ad æternam beatitudinem admiſſos eſſe. Et tamen tantæ blaſphemiæ Author, purum DEI verbum ſeſe dictare mentitus, multa centena millia paulo poſt ſecuiè in præceps duxit, etiam poſtquam periit, inter Patriarchas accenſus, etiam poſtquam DEO ipſi & Magnæ hujus Matri, bellum omnemque hoſtilitatem denunciavit.

Impium aſſertum.

Zvvinglius Blaſphemus.

A. C. 1518. Populante Germaniam atroci peſtilentia, multi è Viennenſi Academia aliisque Gymnaſiis in Helvetiam Doctores reverſi & artium Magiſtri, in quibus Joachimus Vadianus S. Gallenſis, Georgius Binder acuficis filius, & Scheletus chartarum luſoriarum opifice natus, Lutheri repertos per viam libros & coemptos patriæ intulerunt, quorum lectione confirmatior & audentior Zvvinglius, multa deinceps nequiora molitus eſt, poſtquam pleraque Lutheri dogmata reprobaſſet, quæ primum ut ſancta & puram putans doctrinam eſſe Evangelicam affirmaſſet. Hugo Epiſcopus noſter, Petruſienſe Monaſterium, ſubito pridem incendii caſu, pene annullatum paterna providentia & charitate amantiſſimè fovet, & promoto ad Adminiſtrationem ejusdem Joanne Merck viro religioſiſſimo, tantum efficit, ut haud immerito uterque pro ſecundis Fundatoribus habeantur.

Lues peſtilens graſſatur.

Petruſium reſtituitur.

A. C. 1519. Zvvinglius, præcipuus Diœceſeos Conſtantienſis, ex parte Helvetiorum Anti-Apoſtolus, cum nulli non licentiæ, juxta quæſitam nuper libertatem, viam aperuiſſet, ipſas Calendas Januarias præſentis anni, infanda Oratione, contaminat, & non jam ſolum omnem Auctoritatem Romani Pontificis & Præſulum cæterorum diſputat & Tyrannicam aſſeverat, ſed omnes, Regum, Principum Magiſtratuum penſiones, tanquam inhoneſtas, ſanguinarias & exitioſas damnat. Incredibili, ut facile imaginari eſt, populi concurſu plauſuque auditus, & pro magno deinceps Propheta & Legato Altiſſimi habitus. Georgio Dapifero Waldpurgio Fundationem Præpoſituræ in Wolffegg poſt mortem Joannis Comitis Sonnenbergii proſequente, ſua confirmatio denuo proſequitur Hugo noſter Conſtantienſis Epiſcopus; plurimum inde ſibi gratulatus.

Prima concio Tiguri à Zvvinglio habita.

Miro plauſu auditur.

Wolffeggenſis Præpoſitura.

A. C. 1520. Inſinuavit ſeſe primis ſtatim initiis in Urbem Conſtantienſem Zvvinglii aſſeclarum turba nequiſſima, & quod peſſimum, monente, rogante, obſecrane Hugone Epiſcopo, Patrocinium nequitiæ ſuſcepit ipſe Magiſtratus, è plebe, ut audivimus proſcripta Nobilitate, electus. Commonuit amantiſſimum Numen cives periculi, & ut filios caſtigare cœpit, invaleſcente juxta Hæreſes in ipſa urbe atrociſſima peſte, quæ tantopere deſæviit, ut nulla jam urbis Cœmeteria ſufficerent, & ampliſſimum illud prope S. Jodoci in ſuburbio Stadelhofenſi hoc anno conſtrueretur. Mortuo Maximiliano I. Imp. priore anno ſubrogatus Carolus V. Hiſpan. Rex, nunc primum ad capeſſendum Imperium occurrit. Ipſo anno mortuo Hartmanno de Burgovv è familia de Knöringen magni nominis Abbate, ſuccedit in regimine

Conſtantiam pervadit Zvvinglianismus.

Atrociſſima peſtis.

Gervvicus fit Abb. Weingart.

regimine Monaſterii Weingarttenſis Gervvicus Blaarer de Girſperg, virplane incomparabilis, & de quo deinceps multa dicenda veniant, patria Conſtantienſis.

A. C. 1521. Tantum potuit brevi conſortio dum verſatur in Heremo Deiparæ, ut libertatem, quam prædicabat, etiam loci curator ſeu Adminiſtrator pro Conrado Abbate Theobaldus Baro Gerolzeckius, præ rigore Monachico plauſibiliorem ſentiret, & vero etiam domi exerceret priusquam hoc anno Tigurum ad ſuum Apoſtolum Zvvinglium concederet, ſacrilego auſu, & propria deinceps ſibi vendicans, quæ Monaſterii, & Tiguri erant, & comprehenſa Tigurinorum ditione. Iſtum Zvvinglius miro plauſu, ut Cerberi faucibus ereptum excepit, & Civitas tanquam exemplar ſanctitatis coluit & ſuſpexit. Hugone optimo Epiſcopo tam lugubres caſus cum ſtupore aſpiciente, nec prohibere valente.

Theobaldus Apoſtata.

Plauſus Zvvinglii.

A. C. 1522. Late graſſatur peſtilentiſſima Zvvinglii lues, & Conſtantiæ, fruſtra reclamante Hugone Epiſcopo, altas radices figit & Nobilium etiam aliquot pectora occupat, ita ut jam palam & Epiſcopo, & Clero minarentur.

Hugonis Epiſcopi luctus.

A. C. 1523. Peſtilenti per Alemanniam graſſante lue eâdem corripitur & extinguitur Joannes Rudolphus de Raittenauvv Abbas & Princeps Campidonenſis, in cujus locum Sebaſtianus à Breittenſtein ſufficitur. Moritur eodem anno Joannes cognomento Mayle, Fiſchingenſis Abbas, patria Tockenburgius Zvvinglii Hæreſiarchæ conſanguineus, qui cum hunc omni modo lucrari & ad ſaniora revocare conaretur, & nihil efficeret, in mœrorem nimium & mortem affectus 14. Auguſti ad Superos migravit. Succeſſit Henricus Stall, cognomento Seebach Tigurinus.

Sebaſt. Abb. Campid.

Ioan. Abbas Fiſching.

A. C. 1524. Magnum Conſtantiæ lumen occidit, Joannes Merck Abbas Petruſii meritiſſimus, Hugonis Epiſcopi unicum ſolatium, rei Catholicæ ſingulare fulcrum, alter ſui Cœnobii Fundator, quod â fundamentis in magnum ſplendorem reſtituit. cui Andreas Berlinus Conſtantienſis patria ſubrogatus eſt.

Ioan. Abbas Petruſii.

Colloquio de Religione ſolemniter Tiguri inſtituto interfuit Joannes Faber Hugonis Epiſcopi noſtri Vicarius Generalis, ab eodem Principe miſſus, & nonnulli alii clara eruditione viri, ſed adeo nihil contra Zvvinglii verſutias, tergiverſationes & fabulas, ſcommata præterea. & ludibria profectum, ut anno ſequenti.

Colloquium Tiguri.

A. C. 1525. Incredibili optimi Epiſcopi noſtri dolore, Tigurini novam ab Apoſtata illo prolatam fictamque Religionem, juramento confirmant, & omnia fere veteris & melioris exſcindunt, multum contra indignantibus, ſcribentibus, & dehortantibus reliquis Confœderatis. Tum demum nequioris Monachioris Monachi & Monachæ,

Tigurini deficiunt.

Apostatæ plures. mutuis sese conjugiis copulavere, simul altaria & Baptisteria, Divorumque imagines, & cultus abolita, & dejecta. Disputatum eodem tempore Tiguri cum Anabaptistis, & Lutherus utriusq; novam famam veritus suæ obfuturam, Zvvinglium & Oecolampadium, ne animas seducere pergerent scripto admonuit, seque, aut ipsos Sathanæ ministros esse affirmavit.

Disputatio alia.

Moritur eodem anno Conradus Baro de Rechberg Abbas Einsidlensis; quocum etiam Monasterium quasi expiravit, cum nemo Asceterium porro supereesset.

Constantia munitur. A. C. 1525. Constantienses effervescente conjuratione rusticorum & bello, fossas & valla Urbis restaurant, & pro virili urbem communiunt. Quo vero minus Respublica gravaretur, pecuniis expendendis, vicaria opera singuli per ordinem cives per medium diem gratis laborare jussi sunt à Magistratu. Cavebant autem non parum & metuebant sibi ab suburbio Petrusiano, cujus incolas intellexerant ab rusticis in societatem belli invitatos.

Lapidei fontes. Ipso anno lapidei per Urbem nobiles fontes exstructi sumptu publico, & intra sexennium absoluti.

Bellum Rusticum. Rustici tota Diœcesi, Helvetia excepta, prædas agunt, templa & Monasteria depilant; impunè aliquamdiu & sacrilegè grassantur.

Constantiæ defectio. A. C. 1526. Constantia nunquam sibi minus quam modo constans, uti olim orbis fere universus, subito se Arianum miratus est; ita hæc Zvvinglianam se factam vixi; sa agnovit, iis qui benè senserant. sensa jam sua prodere non audentibus cum acti in rabiem miseri & cùm à malis geniis, tùm à semetipsis concitati, ipsis Superis minarentur. ita ut hoc jam aliqui sacrorum virorum & Clericorum, desperata civium salute, ne suam quoque in periculum coniicerent, sese maturè ex urbe subducerent, & ad loca Hæresi minimè infecta reciperent.

Multi urbem deserunt.

Suevia infestatur Hæresi. Non minus quam in Helvetia Zvvingliani, in Suevia & Almangavia Lutherani sectas suas promovent, & magna Diœceseos amplissimæ pars, summo Episcopi nostri dolore, ab avita deficit fide, rusticis ea rerum mutatione Dominos omnes sacros & prophanos eversus cupientibus, quorum tamen multa millia passim trucidantur.

Hugo Episc. & Canonici fugiunt. A. C. 1527. Hugo Episcopus noster, Canonici, Clerus universus Religiosi plerique, cum jam spes nulla supereesset, cives ad saniora revocundi, magno Hæreticorum plausu Constantia emigrant. Episcopo cum Canonicis Uberlingam secedente, ubi magna cum reverentia honestissimè excepti sunt. Privilegia & litteras aliquot censuales, quam occultissimè extulerunt; sacrum thesaurum in Urbe relinquere coacti sunt, cum nemo adeo repentinam rerum mutationem prævidere, imo nec imaginari potuisset.

Pauca secum efferunt.

A. C. 1528.

Digitized by Google

A. C. 1528. Lutherus Pseudo-Apostolum Constantiæ nostræ, & vicinæ Helvetiæ, scripto pessimè exagitat, inter alia sic loquens de Zvvinglianis: *Hæreticos serio censemus, & alienos ab Ecclesia DEI, Zvvinglianos & omnes Sacramentarios, &c. Beatus vir qui non abiit in consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zvvinglianorum, nec sedit in Cathedra Tigurinorum, &c.* Et mirum est in facie totius conscii orbis, stultissimè simul & nequissime, in puro, ut ajunt, verbo DEI, fidem suam consistere, qui infando æternis sæculis scelere, verbum DEI & sacra biblia infinitis modis depravant & corrumpunt, uti Lutherus Zvvinglium corrupisse testis est, illud Joannis I. *Verbum caro factum est.* Verbum caro facta est. Et ô horrendum nimis: *Hoc est enim corpus meum.* sic invertendo: Hoc significat corpus meum. Et ô miserrimam tunc temporis Constantiam nostram, tali verbo, non DEI, sed Diaboli, & omni dæmone nequioris & turpioris Zvvinglii, fidem & manus dedisse. Ipso anno solemni edicto Constantiæ Missæ Sacrificium tota urbe proscriptum.

Lutherus contra Zvvinglium.

Horrenda corruptio S. Script.

A. C. 1529. Hugo de Hohen-Landenberg optimus Episcopus noster, in fornace tribulationis excoctus, laboribus exhaustus, senio confectus, cum multa Episcopatus dissolvisset, & viginti florenorum millia Capitulo Cathedrali contulisset, Balthasarem Mercklin Canonicum, virum incomparabilem summaq; apud Cæsares gratia, Principes auctoritate, Hildesiensis etiam Episcopatus Administratorem, Canonicis commendans, ultro & sponte Episcopatum resignat. Successit è voto Hugoni & Canonicis Balthasaris electio, ipso tunc Legatum Cæsaris apud Electores agente, & Legatis ad se Canonicis, serioque rogantibus & persuadentibus annuente.

Hugo Epísc. resignat.

Balthasar Epísc.

Ipso anno, immani furore, in Sacras Basilicas, altaria, Reliquias Sanctorum, & imagines grassantur Constantienses, vere inconstantes suique ut majorum dissimiles; vastantur Cœnobia, & sacer thesaurus Cathedralis, supra centum florenorum millia æstimatus sacrilegè diripitur, imagines & Reliquiæ cremantur, Sacrum Divi Conradi Tutelaris corpus in lacu Potamico demergitur. Bellum Religionis in Helvetia sumit initium, Tigurinis & Bernatibus primum contra Catholicos moventibus, & prope Capellense Cœnobium congredi paratis, pace tamen composita, aliquamdiu arma ponentibus

Constantienses sacra igne cremant.

Bellum Religionis.

A. C. 1530. Balthasar Episcopus noster in Comitiis Augustanis, præsentibus totius Imperii Principibus & Statibus, ab Alberto Brandenburgio Marchione S. R. E. Cardinale, simulq; Magdeburgensi, & Moguntino Archiepiscopo & Elector, solemnissimè consecratur, & Uberlingam contendens, magna gratulatione Urbis & Canonicorum excipitur. Eodem anno Comitiis prædictis, Principes Lutherani Confessionem suam Carolo V. offerunt, quam tamen quatuor Urbes, Argentoratū, Constantia, Lindovium & Memminga acceptare

Balthasar Epísc. consecratur.

Constantiensis Confessio.

acceptare prorſus recuſant. & propriam Cæſari præſentant; cujus refutationem ab Eccio & Fabro ſcriptam, in fine Comitiorum publice legi Imperator mandavit.

Conſtantiæ in Monaſteria debacchatum, Religioſi reliqui Urbe ejecti Scotorum Monaſterium Senatus decreto penitus everſum. Patrum Dominicanorum publico uſui & munitioni Urbis deſtinatum, omnia ſacra loca profanata. Ipſo anno Kilianus Abbas & Princeps S. Galli prope Brigantium, equo lapſus flumine mergitur, cum à Comitiis reverteretur. Succeſſit Diethelmus Blaarer à Wartenſee vir ſpectatiſſimus, qui tamen hoc anno majorem partem, trans Rhenum & lacum metu Acatholicorum, & cum Gervvico Cognato Abbate Weingartenſi ſubſtitit.

Kilianus Abb. S. Galli.

Diethelmus Abbas ib.

Conſtantia Schmalcaldici fœderi.

A. C. 1531. Smalcaldico fœderi Urbium Principumque Hæreticorum junguntur hoc etiam anno Conſtantienſes noſtri, etſi longè diverſæ, ab illorum, Confeſſionis. Idem annus incredibili cum luctu Canonicorum & Catholicorum ſupremus fuit Balthaſari Epiſcopo noſtro, cum non niſi annum & tres inſuper menſes præfuiſſet. interceptus à morte cum Legatus Cæſaris Belgium peteret, in ipſa Urbe Treverenſi, repentina morte, cum jam equum conſcendere pararet, ablatus. & ad S. Simeonis ſepultus, cum hoc Epitaphio:

Balthaſar Epiſc. obiit.

DEO OPT. MAX. TRINO, ET UNI.

Epitaphium Ejusdem.

Rmo. in Chriſto Patri ac Domino D. Balthaſari Metcklin à Waldtkirch D. G. Epiſcopo Conſtantienſi, & Adminiſtratori Hildesheimenſi: Sub Carolo V. Imperii Vice-Cancellario, & duorum Cæſarum Aulas per Germaniam, Hiſpanias & Italiam multis annis ſequuto: obeundis Conciliis Imperii, & ampliſſimis Legationibus, Juris utriusque ſcientia, conſilio, rerum gerendarum prudentia & authoritate ſingulari, tum cæteris artibus graviſſimis, ampliſſimos honores adepto. tandem iniquiſſimis fatis erepto: liberaliſſimo, & in omni fortuna modeſtiſſimo, pientiſſimoq; conſanguineo & Mecœnati ſuo incomparabili: Joannes Keck à Treveri P. Vixit annis 52. obiit Treveri anno 1531.

Nuncium vix accepere de morte Pontificis ſui Canonici Conſtantienſes, cum vota iterato omnia, Hugonem Ex-Epiſcopum Balthaſaris anteceſſorem unanimiter repetunt (qui modica ſibi penſione & caſtro Marckdorff retento illic reliquum vitæ exigere optaverat) ad eum quamprimum convolant, ſummis precibus orant, nec deſinunt, donec meritiſſimum ſenem evincant. Ita victus, imo coactus, glorioſior ſecunda electione quam prima Hugo noſter, præeſt denuo & prodeſt, dignus præconio immortali.

Hugo denuo fit Epiſc.

Ipſo anno concitante in arma Tigurinos ſuos Apoſtata & Hæreſiarcha Zvvinglio, ipſomet arma corripiente, ſuumque in Catholicos odium minis omnique conatu virium conteſtante, prælium alterum Capellenſe exortum fuit;

Bellum alterum Capellenſe.

Digitized by Google

fuit, ipſo inprimis prohibente Zvvinglio, non niſi ſanguine & cæde alterutrius exercitus finiendũ, quo & ipſe, & alter Apoſtata Theobaldus Geroltzaggius Apoſtolum ſuum recta ad inferos comitatus, cum illum inter mortuos etiamnum ſpirantem Catholicorum non nemo, utrum peccata confiteri cuperet interrogans, ipſe ceſpitem velut canis rabidus morderet, haſta transfixum, ad orcum pergere juſſiſſet; cujus corpus inde ignibus exuſtum, arma in armamentario Lucernate ſuſpenſa ſunt; Conſtantienſibus etiam partem merentibus & quanti olim facientibus, tanti hodie execrantibus, & in ludibrium illius oſtentantibus.

Zvvinglius occumbit.

Ignibus exuritur.

A. C. 1532. Valedicit mortalibus, immaturè nimis, votis omnium Hugo Epiſcopus ipſe annis & meritis cœlo maturus, initio ſtatim anni 7. Januarij in caſtro Mariſpurgenſi, quod præclare reſtauraverat in Domino requieſcens, & ibidem honorifice ſepulchro conditus. Princeps; ab omni virtutum genere, clementia inprimis, Religione, prudentia, & vitæ integritate commendatus, diverſarum Eccleſiarum & Monaſteriorum Benefactor, Petruſiani inprimis, cujus alter Fundator dici meruit: Zofingenſis dein & S. Petri Virginum Dominicanarum, ut & omnium pater Pauperum extitit; ita ut nemo non obitum tanti Principis plurimum deploraret, cui quamprimum â Canonicis ſuffectus eſt, Joannes Comes de Lupffen, Georgii Comitis & Annæ Baroniſſæ ab Erpach filius diu multumq; rogatus, donec tantum onus, in tanta temporum difficultate ſuſcipere annueret. Ipſo anno lictor quidam publicus Conſtantienſis Magiſtratus, animadvertens adeò impunè ab omnibus, Chriſti Hæreditatem diripi, & ſacros theſauros, in prophanos & privatos uſus converti, ſatius ducens è prophano quam Sacro ditari, occaſionem nactus, octodecim florenorum millia in aurea moneta ex ærario publico ſubducit, deprehenſus paulo poſt, & in patibulo ſuſpenſus, ſacrilegis ingentia furta impune committentibus, & furto ablatis ſecure fruentibus, ita ut de hiſce etiam publice gloriari non erubeſcerent, & laudem meruiſſe viderentur.

Hugo Epiſc. moritur.

Alter Fundator Petruſii.

Ioannes Epiſcopus.

Furtum punitur.

Sacrilegia libera.

A. C. 1533. Incredibili Joannis Epiſcopi luctu, Epiſcopatus damno, Ducatus Wirttenbergiæ ampliſſimus, totus fere in Diœceſi noſtra comprehenſus ab obedientia Romanæ Eccleſiæ, & Epiſcopi noſtri, una cum Duce ſuo deſciſcit, innumeris penè Monaſteriis & Eccleſiis ad profanos uſus ſacrilege converſis, reditibus Epiſcopatus pene omnibus, ſubito deficientibus, ita ut vix alicubi Epiſcopus haberet, quod ſuum eſſe dicere poſſet, præter Marckdorffium & Mariſpurgum, & pauca absq; inania caſtra quorum ſubditi fere omnes, novitatis ſtudio, priſcam fidem ejuraverat. Hoc anno Conſtantienſes S. Laurentii templum impiè profanatum, tormentis curulibus aſſervandis aſſignant, nulla vel DEI, vel ſanctorum habita ratione.

Wittenbergia deficit.

Ingens jactura Epiſcopatus.

Templum S. Laurentii.

A. C. 1534. Suma in Imperio auctoritate, & cùm apud Carolum V. Imp. Aug. tum apud Ferdinandum Regem gratia eminet Gervvicus ex prænobili

Gervvicus Abb. Wein. Blaarerorum gente, Monachus & Abbas Weingarttenſis, vir præter familiæ ſplendorem, doctrina, facundia, & Juris, maximè Canonici, ſed & forenſis atq; civilis praxi ſpectatiſſimus, morum inſigni venuſtate, & in rebus agendis admiranda prorſus dexteritate commendatiſſimus; inter præcipua non ſolum Diœceſeos, ſed totius Imperii, imo Eccleſiæ univerſæ merito referendus. Is hoc ipſo tempore, incredibile eſt quantum itineris, quantum laborum, in ſummi momenti legationibus inſumpſerit, multo quidem cum Cœnobii totiusq; Ordinis Monaſtici honore, ingenti tamen valetudinis & ſæpe etiam vitæ diſcrimine, ea tamen ſucceſſuum felicitate ut nō tantum ſummos Orbis Principes imortaliter demereretur, ſed ipſis quoq, hoſtibus & admirationi eſſet & veneration.

Ingentes pro bono publico labores.

Optimè meritus.

Piſcatio felix. Ipſo anno piſcatores Conſtantiæ uno retis jactu tractuque ſupra 46. millia piſcium (quos **Gangfiſch** appellant) è lacu extraxere, multo plures tracturi, niſi rupto reti magna pars in libertatem aquarumque profunda emeriſſet.

Barnabas Abb. Engelb. A. C. 1535. Barnabas Abbas Montis Angelorum, nullis ſatis laudibus celebrandus, propugnator caſtæ Religionis acerrimus, qua erat eruditione ſingulari, variis diſputationibus, Thermipolitana inprimis illa ſolemni, Zvvinglianorum fraudes, ita detexit, ita confudit, ut deridiculo omnes exponeret, ipſe minis & periculis omnibus ſuperior, de Catholica Helvetia univerſa meritiſſimus; ſyderibus lucidiſſimis Diœceſeos adnumerandus.

Vir magnus.

Gervvici Abb. Legatio. A. C. 1536. Magnus revera Præſul Gervvicus Weingarttenſis Abbas, in ſummi momenti negotiis, hoc anno Neapolim usque occurrere ad Cæſarem cogitur, infinitis laboribus & periculis Religionis & Imperii cauſa ſe devovens; alacer nihilominus, ſummoque in diſcrimine imperterritus, glorioſiſſimum ratus boni publici cauſa vitam profundere. uti ſeſe quotidie & Numini & bono publico generosè devovebat.

Ioannis Epiſcopi neceſſitas. Joannes Epiſcopus noſter, ob invaleſcentem utrobique & in Helvetia Zvvinglianorum & in Suevia Lutheranorum, omnia per vim invadentium & uſurpantium licentiam, ad magnam rei domeſticæ redactus anguſtiam, ſumis precibus Romæ cōtendit pro Monaſteriis Divitis Augiæ & Oenigenſi, ſibi aſſignandis.

Wolfgang. Abb. Camp. Ipſo anno moritur Sebaſtianus à Breitenſtein Abbas & Princeps Campidonenſis, podagræ doloribus jam ſeptuagenarius extinctus, cui Wolfgangus à Grünenſtein ſubrogatur.

Ioannes Epiſc. reſignat. A. C. 1537. Joannes eo nomine V. Conſtantienſis Epiſcopus Comes Lupodunenſis, vulgo de Lupffen, etſi conſenſu Romæ ſuper Cœnobiis Augienſi & Oeningenſi ſibi concedendis impetrato, variis tamen difficultatibus & impedimentis intervenientibus, rerum pertæſus, Pontificatu ſe ultro abdicat, Canonici ut antea munere contentus, facta Capitulo libere alium quemcunque eligendi poteſtate, pridie Cal. Novembr. ſucceſſit ad inſtantiam

ſtantiam Cæſaris & Regis Joannes eo nomine VI. de Weza Nobilis Juliacenſis, Archipræſul nuper Lundenſis, Epiſcopus Lundenſis, è Dania ob Chriſtierni Regis tyrannidē profugus, variarum linguarū cognitione inſtructiſſimus. *Ioan. de Weza Epiſc.*

A. C. 1538. Is qua valebat plurimum cùm apud Cæſarem, tùm Ferdinandum Regem auctoritate, Romæ etiam, quamprimum incorporationem Cœnobiorum Divitis Augiæ & Oeningenſis impetrat, cum jam antea ſimiliter Waldſaſſenſe Cœnobium impetraſſet, verum ſacra nimium invaleſcente ſiti, juxta illud: *Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ*, cum etiam quatuor Canonicorum præbendas, & Decanatus Cathedralis Collationem pro libitu, ſibi impetraſſet, graviter Capitulum offendit, hoc ſimpliciter recuſante, & nullis verborum blandimentis ſe perſuaderi ſinente; ex quo tempore ſatis odioſus omnibus extitit, etſi raro in oculis Canonicorum, ſed plerumque ſive in Aula Cæſaris, ſive in Waldſaſſenſi Cœnobio, quo liberrimè ut proprietate uſus eſt, verſaretur. *Augiam Diviſi & Oeningam impetrat.* *Colliditur cum Canonicis.*

A. C. 1539. Incredibili omnium Veteris Religionis monimentorum abolendorum ſtudio Conſtantienſes, quidquid poſſunt, undique convellunt, cum magna omnino paucorum qui in Urbe remanſerant oppreſſione Catholicorum. Vice verſa rerum Catholicorum ſumma fide & induſtria ſatagit in Helvetia Diethelmus S. Galli Abbas, æque atque cognati eodem tempore Gervvicus Weingarttenſis & Ludovicus Einſidlenſis (omnes Blaareri eadem generoſitate Chriſti invicti pugiles) imperterritus & ipſe in omni vitæ diſcrimine, ita ut jam aliquando lubens & libens, denudata cervice ictū gladii expectaret, digniſſimumq; æternitatis corona caput ſponte offerret, cum hoſtis pendulo ſacro Reliquiarum è collo theſauro contentus, ſuæ etiam fortè vitæ tanto ab facinore metuens, ſpoliatum dimitteret. Certe Ludovicus ejusdem cognatus, haud minore labore defunctus, ſemina quæ ſpurciſſimus Hæreſiarcha Zvvinglius in Sacra Heremo ſparſit, indicibili labore ægrè admodum evulſit. & aſſertoris atque Vindicis rei Catholicæ præſtantiſſimi æque ac Cognati prædicti meruit. *Conſtantienſes obſtinati.* *Diethelmus Abb. S. Galli.* *Martyrio proximus.* *Ludovicus Abb. Einſidl.*

A. C. 1540. Iterum inſigne ſydus Diœceſeos noſtræ ſe ſuo ſplendore notat Venerabilis Heremita F. Conradus cognomento Schauber, qui hoc anno ſæculo valedicens Beati Nicolai concivis & avi ſui propoſitum amplexus, cum antea generoſiſſime contra Zvvinglianos ſuum robur & zelum comprobaſſet, cum inferis ſolitaria pugna congredi auſus, carnem etiam ſuam hoſtiliter habuit, eam Numinis in mortali etiam corpore gratiam adeptus, ut multorum ſacreta hominum & cogitationes Divinitus cognoſceret, & eventura prænuciaret. *Ven. Conradus Heremita.*

Aeſtas ferventiſſima, qua factum ut lacus Potamicus ſupra modum deſcreſceret, Conſtantienſibus tempore & occaſione uſis & turrim propè ædes Mercatorias conſtruentibus, multaque Urbis loca verſus Rhenum & lacum per eam ſiccitatem oportune communientibus. *Aeſtas ferventiſſima.*

Ioannes Episcopus fit Sacerdos.

A. C. 1541. Nunc primum in solemnibus Ratisponæ Comitiis Joannes de Weza Episcopus noster, tanto jam ante & Archiepiscopus & Episcopus Lundensis & Rorschildensis, Sacerdotio initiatur, ac dein Pontifex consecratur ab Alberto S. R. E. Cardinali Archiepiscopo & Electore Moguntino, Marchione Brandeburgio præsentibus Cæsare Carolo, & Ferdinando fratre Rom. Rege, universisq; ferè S. R. I. Electoribus & Principibus, magna pompa & Majestate.

Lue pestilenti graviter flagellatur Constantia, plurimis Apostolum suum Zvvinglium ad debitas Sacrilegis & Apostatis pœnas consequentibus, paucis resipiscentibus, quo ipso anno Taleros sive Philippæos novos cudente Magistratu Constantiensi, multa per urbem, ad ejus munitionem pertinentia elaborata sunt.

A. C. 1542. Joannes Episcopus noster Uberlingam ad suos Canonicos delatus, ibidem primum solemne in Episcopatu suo Sacrum, in magno populi concursu cantat. Canonici eodem anno, cum aliquot annis supra condictum Uberlingæ habitassent, tertio Nonas Decembris Uberlinga discedentes Ratolphi Cellam ad locum Venetum commigrarunt.

A. C. 1543. Magnum iterum luminare â Diœcesi nostra ad Augustanam transfertur Ottho Dapifer Waldpurgius, Gervvico Abbati familiarissimus, & Augustanus eligitur Episcopus, maximis deinceps sese meritis commendans, qué nomine Imp. & Regis Gervvicus Abbas Weingarttensis Canonicis proposuit, hoc anno novus Constantiæ pons, maximis sumptibus Rheno imponitur, sequenti perficitur.

A. C. 1544. Insignem Christi in terris pugilem perdit hoc anno Diœcesis nostra, vocato ad coronas triumphantium Ludovico Blaarero Einsidlensi Abbate & Principe, qui exantlatis maximis laboribus in exscindendis Hæresiarchæ Zvvinglii sordibus, maximis sese meritis Romanæ commendans Ecclesiæ 4 Cal. Februarii in Domino requievit, in cujus labores, Joachimus Eichorn, patria Wilensis, omnium Religiosiorum (qui quatuor tantum eo rerum statu alebantur,) natu minimus, ætatis 26. annorum succedere jussus est; maximis paulo post sese meritis commendans.

Muri cœmeteriorum diruti.

A. C. 1545. Muri areas templorum sive cœmeteria lato spatio ambientes, Cathedralis nimirum Basilicæ, S. Stephani, S. Joannis S. Pauli, Augustinianorum, Franciscanorũ, dirutis Defunctorum pulcherrimis Monumentis & memoriis, in speciem ampliendæ urbis, maxima cum injuria parentum cujusq, & majorum, sed & posterorum in oblivionem & parentum & proprii generis venientium, pessimo exemplo, maximo multorum incommodo destruuntur & Constantia nostra jam verè inconstans, suæ Nobilitatis immemor, cum deliris dẽlira redditur Eodem anno Petrus Babenberger ex oppido Campidoni oriundus Abbas Creuzlingensis, qui 47. annis, in sum-

Monimenta eversa.

Petrus Abbas Creuzling.

in ſumma temporum difficultate, ſexcentis fluctibus jactatus Conſtantienſibus exemplum conſtantiæ ſed ſine fructu horum, admirabile præbuit, & Monaſterium à Zvvinglianis deſtructum elegantius reſuſcitavit, defectu virium, ultro & ſponte reſignans, eodem anno è vivis exceſſit, alter Fundator merito ſuo appellatus. *Alter Fundator.*

A. C. 1546. Inſigne iterum tenebricoſiſſimo tempore, egentiſſima lucis, cœlo ſydus reſignat, Diœceſis noſtra, Barnabam Angelomontanum Abbatem Zvvinglio-Maſtygem eruditiſſimum, & proculcatorem fortiſſimum, non ſine ſanctitatis fama, meritorum copia maxima, ad ſydereas & Empyreas manſiones quarto Cal. Jan. vocatum. cui Joannes Spörlinus ſucceſſor deſignatus haud diu ſuperfuit. Gervvicus Weingarttenſis Abbas, nolens volens, omnibus adeſſe à Cæſare juſſus, etiam Exercitum Cæſaris hoc anno ſequi coactus eſt, & pro Duce Albano commeatum & neceſſaria curare, ſuo exemplo comprobans viros & litteratos & egregiè nobiles, Religioſos inſuper & Religioſorum Antiſtites, nihil dedecere, quod juvandæ patriæ, & in cauſa fidei vel maxime, prodeſſet. *Barnabas Abb. moritur.* *Gervvicus Abb. omnibus omnia.*

A. C. 1547. Idem Heroicus omnino, juxta ſummam Religionem, Abbas, omni anno & pagina memorandus occurreret, iſto tamen anno prætereundus non eſt, quo juſſu & nomine Cæſaris, diverſas Imperii Urbes, magno cum comitatu ſubiit, & juramentū fidelitatis ſolemne exegit, à Memminga, Isna, Biberaco, Campidono, Ravenſpurgo, &c. Idem, ipſo anno Ulmæ ſolemniſſimâ in Proceſſione feſti Corporis Chriſti, in magna Principum frequentia, Venerabile Altaris Sacramentum, inſigni Generoſitate inter frendentium ora & minas circumtulit, quod in hanc usque diem nemo deinceps tentavit. Conſtantia à Cæſare rebellis declaratur. *Idem Abb. a.* *Vrbes ad fidem adigit.* *Ven. Sacram. Vlmæ in Proceſſione geſtat.*

A. C. 1548. Triſtiſſimo caſu, invaleſcente nimium per Helvetiam peſtilenti lue Joannes Angelomontanus Abbas, cum toto Conventu eadem peſtilitate corruptus deceſſit, unico Aſcetarum Bernardo Ernſt ſuperſtite, qui ſtatim poſtea Abbas deſignatus fuit, & bene præfuit. *Totus Conventus peſte moritur.*

Fuit hic annus feliciſſimus Conſtantiæ noſtræ, etſi tunc ipſa inter infauſtiſſimos numeraret. Gervvicus Abbas multis precibus & artibus lucrari patriam ſatagens, & Thomam in primis Urbis Conſulem, ejusque fratrem Apoſtatam Ambroſium, Blaareros cognatos, qui principes ferè erant Zvvinglianæ factionis, cum nec verbis quidquam nec minis proficeret, ſancta in patriam pietate motus, cogi nolentem maluit, quam volentem perire Itaque Cæſarem, Regemque ad aſſerendum priſcæ Religioni locum adeo oportunum, facile permovit, & quod in Religionis cauſa nemini fideret magis quam Hiſpanis, eodem citatis itineribus, & qua fieri oportebat diſſimulatione maximâ, Antonīū de Vives Archiſtrategum, cum Legionibus Hiſpanicis mitti impetravit, ipſo quaſi ignariſſimo rerū domí ſe continente, & ſucceſſum rei *Conſtantia bello petitur.* *Gervvici* *Alphonſus de Vives Hiſp.*

rei anxiè Numini commendante. Ita obruti repente sunt Constantienses, cum nihil minus quam obsideri cogitarent, terrâ mariq; repente obsessi; multo tamen majore clade obsidentium quam obsessorum. Tribus repente locis imparatos intercipere Alphonsus certum habuerat, & Petrusianum suburbium prius cepit, quàm adesse crederetur, militibus repente per pontem in ipsam urbem contendentibus, mox tamen magna clade repressis cum quadraginta an sexaginta juvenes laniones, facto in Hispanos impete, pontem à suo tergo rescindi curarent, eoq; facto, ut nando exerciti erant in Rhenum se præcipites darent, nonnulli una Hispanos traherent ac mergerent, ac dein ad suos se in muro expectantes reciperent. Nec melius excepti ad portâ Creuzlingensem, qui una cum ipso Generali Alphonso urbi imminebant, hoc ab seniculo quodam, jaculari à juvenibus coacto, altero globi ictu neci dato, filio quoq Ducis pedem graviter læso, funus quamprimum patris Uberlingam comitante. Sed & nepos ex fratre Ducis brachium ictus & Ratolphi cellam delatus ex vulnere obijt, cæteris qui magnis octodecim navibus mari venerant, magno globorum imbre ex Prædicatorum Monasterij ruderibus, hostiliter exceptis & in fugam actis; quæ Gerwicus illubenter audijt, & ad alia conversus Consilia, quasi condolens urbi, colloqui, cum aliquo è Magistratu ad id subordinato expetijt, missoq; Archigrammateo, id tandem effecit, ut liberè in fidem Cæsaris concederent, quem ab innata bonitate, civibus commendavit, & veniam delicti promsit, ut & impetravit, ipse à Cæsare Carolo, & Ferdinando Rege cum ipsis tractare jussus, quibuscum 16. Sept. in certas conditiones convenit: ita ut ipso hoc etiamnum anno 13. Octobris omnes Zwingliani verbi præcones urbe ejicerentur, moxq; Ecclesiæ Religiosis & Catholicis restituerentur: Urbs præsidium militare ad tempus admitteret, & nomine Domus Austriacæ supremum urbis Capitaneum seu Præfectum Nicolaum Baronem de Polweil agnoscerent & colerent. Ita pius in patriam Gerwicus, etsi armis cogeret adveram pietatem, sese toti posteritati commendavit. Extinctus ante hanc urbis fortunam Joannes Episcopus Augustæ Vindelicorum in Comitijs repetino morbo est, non magno Canonicorum luctu, ut neq; Augiensium vel Oeningensium, apud Augienses tamen, ut vivus elegerat, gratior à morte hospes, tumulo exceptus est, brevi, ut ajunt, Sarcophago stanneo, lapideo superinstructo cum se quanti, jussu successoris Epitaphio:

Tribus locis urbs obsidetur.

Insignis resolutio.

Dux ore.

Item nepos ejusdem.

Gerwici pia fraus.

Zwingliani præcones ejecti.

Moritur Ioannes de Weza Episc.

Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus Dominus Ioannes à Weza ab Archiepiscopatu Lundonensi in Dania & ejusdem suffraganeatu Roschildensi exulans, Episcopus in gratiam Rom. Imp. Caroli, nec non Regis Ferdinandi, in Episcopatum Constantiensem postulatus, repentina morte tredecima Iunij, anno à nato Salvatore 1448. præventus, sub hoc saxo sonum tubæ expectat.

Epitaphium Episcopi.

Ipsi

Digitized

Ipsi magna omnium gratulatione Christophorus Metzler ab Andelberg suffectus est.

A. C. 1549. Christophorus novus Episcopus, Augustam Vindelicorum profectus, ab Otthone Dapifero, S. R. E. Cardinale & Episcopo Augustino, solemniter consecratur, domumq; reversus, apud Ratolphi cellam suos Canonicos conveniens, inde Marispurgum delatus primum ibi solemne sacrum decantavit, quod Constantiensibus necdum crederet, â quibus ultra auri Millionem pro damnis Ecclesiæ Cathedrali illatis exigebat. *Christophor. Episc.*

Ipso anno Constantiæ Magistratus reformati, & Tribunitia Tribuum potestas in ordinem redacta; Senatus interior numero imminutus, pro triginta, viginti delecti; Senatus item major ex octoginta, ad quadraginta deductus Senatores. *Constantiæ reformatæ.*

A. C. 1550. Joachimi Abbatis Einsidlensis ingentia merita, qui Zvvinglianos omnes sive Ecclesiæ lucratus est, sive vicinia ejecit, adeo paulo post disciplinæ pristinæ reddens Monasterium, ut inde Religiosæ vitæ exemplaria ad diversa loca expeterentur, in iisdem amplissimas dignitates & officia consequuti. *Ioachimus Abb. Einsidl.*

Idem fortem, imperterritum, constantem & assiduum contra quoscunq; adversarios, qui & multi & diversi, è subditis & pariter externis, se semper præstitit, & egregij per omnia Principis officium implevit. *Princeps laudatissimus.*

A. C. 1551. Mandato Cæsaris jubentur Constantienses, pro damnis illatis Episcopo solvere viginti florenorum millia. Qui etiam alijs Monasteriis, & Petrusiano inprimis Satisfactionem aliquam fecere. Eodem anno Christophorus Episcopus noster Constantiam solemniter cum comitatu Equitum octuaginta XI Maij invehitur, ejusdemq; mensis die XII. Basilicam Cathedralem consecrat in quâ Dominica Pentecostes SS. Missæ officium ritu solemni decantat, Constantiensibus jussis denuo altare, quod profanaverant venerati, & ex more nummos imponere fuerunt prima vice impositæ, libræ nummariæ sedecim, multis sibi gratulantibus, â tam infanda secta beneficio Numinis singulari sese emersisse. *Constantienses refundant. Consecratur Basilica Cathedralis.*

A. C. 1552. Insigne sui Cœnobij, imo totius Diœceseos, inter densissimas tenebras hujus ætatis, tantasq; Germaniæ ruinas lumen & columen Henricus Clausius Abbas Wiblingensis, luce fidei illuminatissimus, radios suos spargit, & scriptis Divino calami ductu libris variis, cultum Sanctorum, eorum ipse observantissimus, & contemplatione cœlestium, quantum mortali licebat homini, iisdem proximus, nomen suum, solatio posterorum Fidelium labore sanctissimo commendat. Scripsit autem. *Henricus Abb. Wiblingensis. Ejus laudes.*

Hiera-

Digitized by Google

Ejus ingenii monimenta.

Hierapolim, ſive de cœleſti Curia. Libros 2.
Orationum ad Cœleſtem Curiam, Lib. 1.
Speculum propriæ cognitionis. - Lib. 1.
Dialogorum Vitæ Chriſti - - - Lib. 3.
Miſcellaneorum - - - - - - Lib. 1.
Sermonum Variorum - - - - Lib. 1.
Exercitium devotiſs. ad DEUM, & Patronos. Lib. 1.
Commendationem ad S. Annam Chriſti aviam.
In Caput Regulæ XLIX. Sermones duos.
Apologiam pro ſe adverſus Apoſtatam.
Dialogus ad Patrem & filium ad Religionem aſpirantem.
Epiſtolarum ad diverſos librum unum.

Laus Cœnobii Wiblng.

Certè Moneſtario ipſi Wiblingenſi, perditiſſimis temporibus hiſce nomen Sanctitatis etiam ab improbis delatum fuit, quod etiam Numen ab Acatholicorum furore, prodigiosè quandoq; vindicavit & conſervavit.

Conſtantia reſipiſcit.

A. C. 1553. Conſtantiæ res proſperè procedunt, plurimis jam promptè execrantibus, quæ turpiter decepti ante admiſerant, compertum, præter inſitum novitatis ſtudium, ſolam commodorum propriorum, & libertatis ſpem, plauſibile ſibi novum viſum fuiſſe Evangelium, quod Chriſtus JESUS æterna Veritas longè aliter dictaverit. Ipſo anno mortuus eſt Nicolaus Liber Baro â Polvveil, primus urbis noſtræ nomine Archiducum præfectus, Religionis Catholicæ Zelator egregius; cui Jacobus Baro de Landovv ſucceſſit, è familia Ducum Wirttenbergiæ.

Nicolaus L. B. â Polvveil obiit.

Jacobus â Landovv.

A. C. 1554. Idem Jacobus Landovius brevi admodum Præfectura, hoc ipſo anno vita ſimul defungitur, ſuccedente Domino Georgio Speet â Zvvifalten, Equeſtris antiquiſſimæ Nobilitatis, Heroe, ſub quo deinceps Conſtantia noſtra, adeo in ſolida fidei agnitione & vera pietate profecit, ut longè ferventior, quam ante defectionem fuerit; plurimis deinceps civium, omnes ferè opes ſuas, in reparanda Cœnobia & Eccleſias inſumentibus.

Georgius Speet.

Ædes urbis Præfecti.

A. C. 1555. Sumptibus Civitatis publicis ædes Præfecto Auſtriaco in foro urbis ſuperiore ædificatæ, in quibus & Georgius ſupra dictus & cæteri deinceps ſucceſſores commode habitarent, quibus etiam redditus annui ſumptu publico ſunt aſſignati. Chriſtophorus Epiſcopus verum ſe paſtorem comprobans, mira amabilitate cives lucratus, integrioris quam maximè vitæ exemplo plurimum apud plerosq; proficit; cultum autem Divinum plurimum promovit, & Catedralem Eccleſiam præclarè reſtituit.

Epiſcopus verè paſtor.

A. C.

Digitized by Google

A. C. 1556. Moritur Gebhardus Dornſperger familia antiqua & celebri, Abbas Petruſianus, Præſul optimè meritus, qui Monaſterium ſuum è cineribus præclarè reſuſcitavit, conitente libentius Urbe, & caſum miſerante, quod illud minimè furor Zwinglianus civium, ſed Hiſpanorum ſpe ſua Urbis potundæ fruſtratorum, & ab omni Urbis parte turpiter rejectorum, cum toto ſuburbio exuſſerit. De quo incendio ita ſimul Joannis de Weza Epiſcopi obitum Chronoſticè notans Andreas Mazius defuncti Præſulis Secretarius: *Gebhardus Abb. Petruſij.* *Incendium Petruſij.*

PræsVLIs exeqVIIs tVMVLo ConſtantIa tædas
En dabat, aCCendIt ſangVIne tInCtVs Iber. *Carmen Numerale.*

Excuſabis Lector conatus ſæculi obſcuri, & rerum ejuſmodi minus experti; ut qui litteræ D. numeros neſcierit.

A. C. 1557 Iterum egregium ac verè ſplendidum ſydus cœlis tranſmittit Diœceſis noſtra, beatæ memoriæ Fratrem Conradum Heremitam Sylvanium, ſingularem Animarum in flammis purgatricibus detentarum Advocatum, quæ ipſum de nocte frequentius compellantes, opem & preces ejuſdem enixè efflagitabant. Exceſſit autem ad æternitatis præmia 6 Martij in feſto S. Fridolini, cujus Anniverſaria tamen memoria feſto S. Conradi magna devotione in loco ſepulturæ Parochiali Eccleſia Wolffenſchieſſen peragitur. Ipſo anno Chriſtophorus Epiſcopus, quod juſſu Senatus duo Canonici Collegiatæ Eccleſiæ S. Stephani, in ædibus quibuſdam detinerentur, nec dimitterentur: Interdicto ſubjecit Urbem, donec ab Imp. Ferdinando, de juſta ſummi Pontificis ſententia, contra ejuſdem Eccleſiæ Canonicos, Sebaſtiano ab Herbſtheim, quod ſuum erat, etiam poſt latam ſententiam, negantes informaretur, & ſe rem Senatui commendaſſe edoceretur, monitus ipſe Canonicos ad id quod æquum eſt ſeſe accommodare, cogeret. *Ven. F. Conrad. Sylvan.* *Interdicto Vrbs ſubdita.* *A Cæſare defenditur.*

A. C. 1558. Sanctitatis exempla haud levia edit Joachimus Einſidlenſis Abbas, ut non tam ſuis, Deiparæ in Sacra Heremo alumnis, quam Ordini noſtro Benedictino univerſo, virtute ſua illuxiſſe videatur, cujus exactiorem Regulæ obſervantiam, non per Helvetiam ſolam, ſed & per Sueviam, plurimum promovere allaboravit, ipſe exemplar omnibus factus & forma primævi fervoris & perfectionis. *Ioach. Abb. Einſid. laudes*

A. C. 1559. Conſtantienſes, alieno aliquamdiu arbitrio ſua curanda permittere juſſi, impetrant â Ferdinando Imp. Auguſto, liberam ſuos creandi & mutandi Conſules poteſtatem, itemque ut penes Urbem deinceps claves portarum eſſent. Sed & multa alia honorem Magiſtratus & ſplendorem urbis ſpectantia, quæ poſt defectionem, metu revolutionis civibus negata fuerant & inconceſſa. In Monaſterio Rhenovienſi moritur Joannes Henricus Schenck â Caſtell, qui Bonaventuræ de Wellenberg ſucceſſerat, vir inſigni *Vrbi Iura reſtituuntur.* *Ioannes Abb. Rhenov.*

ſigni generis Nobilitate, ſua generoſa indole, adverſum Zwinglianorum injurias obarmatus. cui pro Religione multa certamina ſubeunda erant, jure merito civili corona in æternitate donando.

Ioachim. Abb. Einſid. Homagium Imp. præſtat.

A. C. 1560. Meritiſſimus de re Catholica Joachimus Abbas & Princeps Einſidlenſis ex edicto Cæſario Gerwico Abbati Weingarttenſi & Ochſenhuſano, Vice-Cæſaris, fidei & obſequij juramentum IV. Cal Decembr. in Monaſterio Weingarttenſi præſtat. inde ad labores agri Dominici reverſus pervigil in Helvetia excubitor ne ulterius ſerperet zizania Zwinglianorum. Ipſo anno datis hac die litteris ad Gerwicum Abbatem prædictum Pius IV. Pont. Max. ſuam de ipſius dexteritate opinionem apertè declarat. Ipſas ſubjicimus:

Gerwici æſtimatio.

PIUS PAPA IV.

Litteræ Pij IV. Pont. Max.

Dilecte fili. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum ad tollendas de Religione controverſias, & ſedanda Schismata, aliaq; qua correctione indigent emendanda, nuper indixerimus Concilium Oecumenicum & Generale, Deo annuente, in civitate Tridentina celebrandum, ſicut cognoſces ex Bullæ noſtræ exemplo, miſimus hujus rei cauſa in Germaniam Ven. Fratrem Zachariam Epiſcopum Pharenſem Nuncium noſtrum, datis ei nonnullis ad Tuam quoq; Devotionem mandatis. Petimus igitur ut ejus orationi, ſeu litteris, ſi Te commode alloqui non potuerit fidem habeas. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1 Dec. 1560. Pont. noſtri anno 1.

Legati Apoſt. Commiſſio.

Moritur Chriſtoph. Epiſc.

A. C. 1561. Religioſiſſimè in Domino requieſcit, poſt egregia vitæ merita, Chriſtophorus Epiſcopus noſter Conſtantienſis, verum exemplar vigilantiſſimi paſtoris, veri pauperum Patris, qui plus expenſarum in alendos pauperes, quam in ſeipſum, & Aulam atque familiam domeſticam fecerit, quin & proprium patrimonium in eosdem diſtribuerit, cognatos proprios neglexerit, & ab eis rogatus, ſaltem â morte ipſis aliqualiter conſultum velle, reſponderit, omnia ad Eccleſiam unde acceperit pertinere, qui nec obolum Augiæ Divitis voluerit ad uſus ſuos applicare; aſſeverans ad Monaſterium pertinere, eaque ſingulari ciſtâ ſub lecto ſuo (uti â morte deprehenſum) eidem ſervare. Idem conſolator afflictorum piiſſimus, ſolitus ipſe ad ægros & afflictos inviſere, eoſque & verbis, & omni qua poterat ope ſolari & recreavit. Obiit 11. Sept. Marisburgi in arce ſua, ſepultus ibidem in templo Parochiali, ubi vivus ſibi ipſe locum requietionis elegerat. Cujus ſepulchrali lapidi hæc ipſa inciſa leguntur.

Cognatos non attendit.

Laudes veri Epiſc.

Epitaphium.

Chriſtophorus Epiſcopus hîc jacet: Viator funde preces, & abitum quoque para moriture. Obijt 1561. die vero 11. menſis Septembris.

Ad murum autem prope ſepulchrum in lapide erecto leguntur ſequentia:

Alia Inſcript.

Chriſtophorus ab Andelberg ex familia Metzler, patria Feldkirch Curienſis Diœceſis, in Doctorem Utriuſque Juris Bononiæ creatus: primumus in Diœceſi

Con-

Conſtantienſi Vicarius & Officialis communis, tandem in Canonicum ejuſdem Cathedralis aſſumptus, atque vacante Sede totius Conſtantienſis Epiſcopatus in ſpiritualibus & temporalibus locum tenens Generalis deputatus: demum Epiſcopo Joanne illoque electo Lundonenſi piè defuncto, præter ſuam expectationem in Epiſcopum Conſtantienſem conſecratus eſt. Qui in multis hujus ſæculi calamitatibus Epiſcopatum ſuum annis 13. menſibus 3. fœliciter DEO auſpice rexit. Quieſcat in ſanctiſſima pace.

Reliquit in parata pecunia ſucceſſori vigintiquatuor florenorum millia. Is fuit, eodem anno promotus à Pio IV. Romano Pont. ejuſdem ex ſorore nepos Marcus Sitticus Comes ab HohenEmbs S. R. E. Cardinalis Presbyter Tituli S. Petri in vinculis, qui poſſeſſione accepta, Romam rediturus datis 7. Idus Novembris hoc ipſo anno ad Gerwicum Abbatem, quæ extant, litteris, Eidem Conſiliarios, Aulicos, omnem relictam familiam enixè commendat, & ut ad ſe recurſuris, ſuo more conſulat, & quidquid è re Epiſcopatus ſit providere velit, pro ſua in ipſum confidentia ſummopere orat. Operam viciſſim ſuam, ſiquid in ejus gratiam Romæ poſſit offert & pollicetur.

Marcus Sitticus Epiſc. & Cardin.

Hervvici Abb. Author.

A. C. 1562. Quantam apud omnes auctoritatem haberet Joachimus Einſidlenſis Abbas & Princeps, & quantum de ſua eruditione & integritate opinionem præberet, clarum ex eo argumentum habemus hoc anno, quod ordo Eccleſiaſticus totius Helvetiæ Conventu Rappersvillenſi, dignum præ omnibus & potiſſimum judicaverit, quem ſuo nomine ad Concilium Tridentinum deſtinarent. quem & Rom. Pontifices Julius III. & Paulus IV. tanti fecerint, ut magnæ partis Helvetiæ Epiſcopum creare ſtatuerint, ipſomet & Chriſtophoro Epiſcopo Conſtantienſi ægrè deprecantibus etſi id Suitii atque Uranii plurimum urgerent, & prope ac proxime effeciſſent.

Joachim Abb. Einſidl.

Ad Concilium Trid. legatus

Epiſcopatum deprecatur.

A. C. 1563. Ferdinandus Imp. Aug. Conſtantiam navi advectus incredibili plauſu & inſigni pompa cùm â Cardinale Epiſcopo tum â Senatu populoque Conſtantienſi, inter tormentorum curulium tam è turribus quam vallis fulmina & tonitrua excipitur, ipſeque Juramentum fidelitatis ab iisdem excipit, triduum magno animi ſolatio commoratus, confirmatiſque Urbis Privilegiis, magna & ſua & civium ſatisfactione, conſimili reverentiæ ſignificatione inde diſcedens.

Ferd. I. Conſtantiæ excipitur.

Privilegia confirmat.

A. C. 1564 Etſi nunquam non laudatiſſimum S. Blaſij in Hercinia Archiſterium viris & rebus illuſtrioribus, magnum præberet Diœceſi noſtræ lumen & ornamentum, hoc tamen tempore, Gaſpare ejus nominis primo Abbatem agente, quanto obſcuriora paſſim erant omnia, tanto cultiora & ſplẽdidiora ejus cultu, & ſingulari diſciplinæ monaſticæ zelo ſunt reddita, cum ille primævi contuitu in Ordine fervoris, omni arte & conatu adniteretur, ſanctioris vitæ ſtudiis ſuos accendere, magnum inde & nomen & meritum conſequutus.

S. Blaſij Monaſter. floret.

Ven. Cæcil. S. Nicol. discip.

A. C. 1565. Rursus cœlesti splendore stellam cœlo transmittit Diœcesis nostra, Beatæ memoriæ Cæciliam, Beati Nicolai Sylvanensis discipulam, grandævam, octo & septuaginta annos ipsi â morte superstitem, adeoq; centum, & fortè supra, ætatis annos agentem, Viraginem planè admirabilem, insolitæ vitæ & miri rigoris patientiæ, frugalitatis, devotionis exemplar incomparabile, plus quam virili constantia, tot annorum laboribus insuperabilem, Infernalium larvarum, terriculamenta, insidias, tentationes, Magni instar Antonij, deridentem, & orationis Virtute & Divinæ opis præsidio facilè triumphantem; quæ hoc ipso anno, & sanctissimè semper vixit, sic etiam obiit, ad præmia æternitatis evocato, &, ut vivens rogaverat & jusserat, in Ossiario Cœmeterij Ecclesiæ in Kerns sepulta, cujus memoria anniversaria 22. Novemb. recolitur. Ipso anno pestilenti lue vehementius per Helvetiam grassante, tristissimo casu Fischingense Cœnobium & Abbate suo Henrico Landtspergio destituitur, & toto fratrum cœtu orbatur, duobus solum superstitib⁹, Henrico & Gallo, quorum ille sequenti anno designatus Abbas est; alter non multo post, etiam cæteros morte sequutus.

Cacodæmones triumphat.

Moritur.

Fischingense Monast.

Georg. Abb. Creüzling.

A. C. 1566. Magnum omnino lumen & ornamentum perdit hoc anno, Georgio Abbate Creüzling. extincto; qui nobilissima inter Helvetios Tschudiorum ortus familia, nobilem & generosum sese in suma & patriæ & Constantiæ nostræ defectione præbuit & demonstravit. A Novatoribus enim plurima perpessus, & variè (ipsius innocentiæ & puritatis labefactandæ causa) tentatus, matrimonia divitum delata, promissos aureos montes, ex ingenita virtute, fortiter elusit; Regularis autem disciplinæ studiosissim⁹, Monasterium, & in temporalibus, & æternitatem spectantibus plurimum promovit, hoc anno maximo suorum omnium dolore extinctus, cui Wilhelmus ab Arnsperg substitutus est.

Ej⁹ Generosit.

Wilhel. Abb.

Moritur Gerwicus Abb.

A. C. 1567. Extinguitur hoc Illustrissimum sanè Diœceseos non solum nostræ sed Imperij universi sydus Gerwicus Abbas Weingartt enſis, & aliquot annis etiam Ochsenhausanus Abbas, Cæsaribus & summis Pontificibus gratissimus, amore omnium revera dignus, Hæreticis non minus venerandus quam verendus, â quorum Principibus, pro eximia vitæ integritate, gratissima morum concinnitate & singulari eruditione & in rebus gerendis dexteritate, præcipuè diligebatur; cujus laudes, nec magnis quidem voluminibus satis explicari possunt; decessit vir tantus 30. Aug. die, in Monast. Vinearum Sacello Deiparæ, juxta parentes suos & insigne monimentum sepultus. id supremum rogans, ad tumulum suum, juxta consuetas Ecclesiæ preces, psalmũ, quem plurimum usurpabat dum viveret, *In te Domine speravi*, quotidie per trigesimum, ut sacri vocamus, decantari. Reliquit insignia post se magni ingenii monimenta; tomos, ut ajunt, duodecim super Jure Canonico, & civili â se compositos, quos negligens litterarum sæculum, partim incuria perdidit,

Sepultus in vineu.

Ejus ingenij monimenta.

partim

partim incendium ſub ſucceſſoris regimine, minus curatos abſumpſit. cujus mortem Cæſar, Principesque omnes Imperij plurimum planxere, & diu poſt, rebus maximis mirè idoneum, multum deſideravere. Ipſo anno, menſe Septembri, Synodum ampliſſimam Conſtantiæ celebravit Marcus Sitticus S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus noſter, magno rei Catholicæ ſed & Cleri totius commodo. cujus Acta ſunt typo commendata.

Reges eum lugent.

Synodus Conſtant.

A. C. 1568. Purgato â quiſquiliis & peſtilenti ulcere carnis & ſæculi Clero & ſtatu Monachico, iis qui turpitudine vitam, & licentia ſæculique amore diſciplinam Regularem corruperant, in apoſtaſiam prolapſis, mira ſub hoc tempus tam inter Clericos reliquos & vitæ Monaſticæ ſectatores ſeſe prodidit induſtria & vigilantia, cùm ex horribili aliorum caſu, quivis fragilitati ſuæ diffidens, omnem deteſtaretur licentiam, ita, ut ſi unquam alias cautos omnes adverteres, toto deinceps conatu, ad ſaniora & ſanctiora converſos ſtudia. Unde factum, ut quantum antea remiſerat in Monaſteriis diſciplina, tantum nunc incrementi ſumeret; & tota Diœceſi noſtra paulo poſt primævi Ordinum fervoris exempla ſe proderent.

Purgat. aurũ â ſordibus.

Ex aliorum caſu ſapere.

Reformatio ordinum.

A. C. 1569. Magno non ſolum Einſidlenſis Monaſterij ſed totius Helvetiæ & Diœceſeos noſtræ luctu & incomodo Joachimus Abbas prætati Cœnobii & Princeps, Idibus Junij (cum ad finem uſque Concilii perdurare valetudo non ſineret) in Monaſterio ſuo ſancto fine conſumitur, vir incomparabilis, ſæculi ſui, Epiſcopatus noſtri, totiuſq; Monaſtici Ord. ſingulare ornamentum & firmamentum. Poſt cujus obitum electus eſt Abbas & Princeps Adam. Heer Raperſvillenſis, electionem quamprimum Pio Papa V approbante, cui ſe ſtatim poſt electionem Adamus, ut inauguraretur præſentaverat.

Joachim. Abb. Einſidl obijt.

Adamus Abb. ibidem.

A. C. 1570. Hoc anno magnus ille & ſingularis Diœceſeos noſtræ fautor & inſignis Benefactor S. Carolus Borromæus S. R. E. Cardin. & Archiepiſc. Mediolanenſis, ex inſtituto peregrinationem ſuſcipit ad ſepulchrum Beati Nicolai noſtri Sylvanienſ. ſummo ibidem animi ſolatio affectus, ſummaque devotione ſancti Heremicolæ oſſa veneratus.

S. Carol. Borrom. ad B. Nic.

A. C. 1571. Wilhelmus ab Arnſperg Abbas Creuzling. egregia vitæ integritate Conſtantiæ noſtræ & recens ad gremium S. Rom Eccleſiæ reverſis civibus facem præfert; illorum procul dubio ſolatio & exemplo jam olim â Numine reſervatus cum infans etiamnum è feneſtris alto caſu prolapſus, à Religioſis parentibus religioſo alicui Ord. devoveretur, ſiquidem incolumis evaderet; evaſit, & in talem etiam virum, qui plurimorum deinceps ſaluti, ſuo exemplo conſuleret.

Wilhel. Abb. Creuzling.

Olim mirè ſervatus.

A. C. 1572. Hyems aſperrima hujus anni fine, & ſequentis initio, ita ut lacus univerſus Potamicus gelu conſtringeretur, & quaquaverſum ſecundum longitudinem ac latitudinem, non aliter atque per ampliſſima terrarum ſpatia, planiſſimâ ſemitâ Mariſpurgo Stadam, Brigantio Conſtantiam, viatores incederent.

Hyems aſperrima.

Constantia Religiosorum Laudes. A.C.1573. Submissi Constantiam lectioris notæ, sanctiorisque vitæ omnium Ordinum Religiosi, Franciscani, Dominicani, Augustiniani, pro lucrandis etiamnum in Religione nutantibus, confirmandis recens conversis, præclaram in diversis Ecclesiis & Monasteriis navant operam, sed & per vicinam Helvetiam & Sueviam, plurimum consulunt saluti animarum.

Henric. Abb. Fisching. meritissimus. A.C. 1574. Moritur egregius Monasterij sui post omnimodam ejusdem, in muris, bonis, & viris destructionem, restitutor Henricus Abbas Fischingensis 3. Martij. vir insuperabili patientia, in adversis generositate, in Fide & Religione constantia; ut qui nunc temporis inter tot Sectarum infestationes & injurias probati reperti sint haud multo inferiores Martyrum meritis suspiciamus.

Congregatio Psalterij. A.C. 1575. Apud Patres Dominicanos Constantiæ, multo fructu novelli Dominici gregis, cultus Deiparæ ejusque Mariani Psalterij, & sanctissimæ Congregationis, propagatur; aspirante feliciter cœptis, & conversionem promovente, magno plausu fidelium, cui hodie etiam gratulando accinimus: Gaude Maria Virgo, cunctas Hæreses sola interemisti in universo mundo.

Episc. nostri gloria. A.C.1576. Floret plurimum auctoritate & meritis cum in Imperio tum Romæ apud Gregorium XIII. non minus, quam Pium IV. avunculum & Pium V. Antecessores ejusdem Gregorij Episcopus noster Marcus Sitticus Cardinalis Altempsius, qui ipsum sub hoc tempus ex Cardinale Presbytero Tituli SS. duodecim Apostolorum, Cardinalem S. Clementis, & S. Mariæ trans Tyberia & primum Presbyterorum creavit, aliisque honoribus extulit & plurimum colùit.

Fit primus Presbyteror.

Incendium Einsidlense, A.C.1577. Tristissimo rursus incendio, horribiliore scelere Capitanei cujusdam Hæretici Stœreri Episcopo-cellensis exuritur Monasterium & pagus Einsidlensis, solis Basilicis & Sacello Deiparæ superstitibus, quæ nequam ante alia omnia perdita optasset; adfectis dein capitali supplicio sceleratis, qui conducti pecunia ab Stœrero id immane & impium facinus ausi erant; ipsomet authore non diu post Curiæ Rhetorum, ustulato, ferroque laceratо, fractisque artubus rotæ imposito. Eodem anno insigne iterum sydus in Diœcesi nostra Constantiensi exoritur Beatæ memoriæ Fidelis Sigmaringæ, oppido Comitum Zolleranorum, patre Joanne Prætore & Consule, matre Genoveva Rosenbergia editus, qui postea Seraphici Ordinis Patribus Capucinis accensus, illustri Martyrio Rhætiam nobilitavit, insigni miraculorum gloria à Numine commendatus.

Incendiarij scelus luunt.

Incendium Weingartt. A.C. 1578. Luctuosissimo toti posteritati incendio vastatur Imperiale Monasterium Weingarttense, splendidissimo & amplissimo, quod paulo ante Abbas Joannes Gerwici successor exstruxerat, Palatio, cùm ignibus, tùm consequente inde concameratorum ædificiorum ruinâ, absumpto, in

quod

quod paulo ante locupletiſſima magni momenti Veterum Manuſcriptorum, & incomparabilis raritatis monimentorum Bibliotheca tranſlata fuerat, paucis è pergameno libris, ipſo flammarum impetu, per longa aëris ſpatia in patentes campos ejectis, & poſteritati conſervatis. *Bibliothecæ jactura.*

A. C. 1579. Iterum Einſidlenſi Deiparæ proprio Cœnobio, calamitoſior omni incendio, ab ipſis Advocatis, contra nomen, munus fidem & debitum perſecutio & oppreſſio, quæ gratiſſimum cœlo fideliſſimumque Cœli Reginæ Sacellanum, ſanctiſſimi Archiſterij Abbatem, innocentiſſimum Principem Adamum compulit Monaſterio excedere, eo procedente ſimultate, ut annuente etiam Joanne Franciſco Bohemio Vercellenſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Nuncio ex Helvetia in Rhætiam & S. Geroldi Præpoſituram emigraret, ſi fortè patientia evinceret Advocatorum in ſe conceptam malevolentiam, ſex integros annos illic ſe continens, ſperansque tanto temporis decurſu ſaltem mitigandos Sed fruſtra, ut deinceps audiemus pientiſſimis Religioſis optumi Patris abſentiam indeſinenter lugentibus; ipſo cauſam ſuam Numini ejuſque Magnæ Matri commendante, quorum Juris, Libertatiſque Eccleſiaſticæ cauſa, exilium libenter tolerabat. *Calamitas nova Einſidl.* *Exul. Adam. Abb.* *Cauſ. Numini commendat.*

A. C. 1580. Nunquam ſine magnis ſyderibus Diœceſis noſtra aut natis, aut datis, ſingularique Numinis gratia & benevolentia etiam procul venientibus. Ita hoc anno ſanctæ memoriæ Ven. Patrem Petrum Caniſium, meritiſſimæ & laudatiſſimæ Societatis Jesu Sacerdotem Neomagenſem patriâ, Geldrum natione meruit, qui nunc juſſu Superiorum Helvetiæ noſtræ immigravit, & multis laboribus Diœceſim noſtram demeruit. cujus omnia commemorare, nimis quam longum foret; talia tamen fuere, quæ haud multum conceſſerint, meritis magnorum Apoſtolorum. *Ven. Petrus Caniſius.*

A. C. 1581. Demeretur Diœceſim noſtram Apoſtolico zelo, & eximia charitate ac ſollicitudine Sanctiſſimus ille Mediolanenſis Archiepiſcopus & S. R. E. Cardinalis Carolus Borromæus, de Helvetiorum inprimis Converſione ſupra modum ſollicitus omnes vias & modos eorumdem lucrandorum excogitans, ſuaque etiam præſentia plurima loca honorans; Sangallenſe inprimis Cœnobium, tanquam Promptuarium omnis ætatis Sanctorum, ſumma animi conſolatione contuitus. quem merito Helvetia tanquam Gentis ſingularem & quidem ultroneum Patronum, æternum colat neceſſe eſt, atque ſummis honoribus veneretur. *S. Carolus Borromæus.* *Helvetiam demeretur.*

A. C. 1582. Non minus maximis Sydus Diœceſim noſtram perfectioris vitæ radiis implet, omnes abſolutiſſimi Præſulis numeros explet Joachimus Abbas Sangallenſis, ob inſignia naturæ & gratiæ talenta ad magnos honores pridem expetitus & deſtinatus, etiam in Coadjutorem Epiſcopi Curienſis cum decreto ſuccedendi electus, ipſe nimio ſui contemptu honores omnes aſpernatus, tanto dignior ab omnibus habitus, etſi ut admitteret perſuaderi nulla ratione ſe pateretur. Fuit non minus eruditus quam Religioſus, omneſ- *Joachim Abb. S. Galli.* *Ejus laudes.*

que ſcientias Pariſiis & Arverniæ imbibit, ſuoſque omnes & doctos & ſanctos fieri voluit, quos Dilingam, Pariſios & Romam ad ſtudia miſit. Lucrandis animabus intentiſſimus, in converſione Acatholicorum multum laboravit, Prælatum etiam Apoſtatam aliquem, doctiſſimis ſcriptis ab Hæreſi revocavit. Præſul omnino talis, qui inter Præcipua non ſolum Diœceſeos, ſed totius Ordinis ornamenta numeretur.

Apoſtatam revocat.

Lues peſtifera

A. C. 1583. Peſtilenti lue laborat plurimum & Germania tota, & Diœceſis atque Urbs noſtra, qua tamen Conſtantiæ haud ita multi abſumpti ſunt, Pſalterij proculdubio Mariani, & reſtitutæ per Urbem ſolidioris Religionis & pietatis ſtudiis. Cæterum plura etiam ſacra Cœnobia viris inſignibus ea peſtilitate exſpoliata ſunt; quos inter non minimæ natæ fuit Jacobus Sutor Abbas Angelomontanus, eodem morbo, non ſine gravi ſuorum horrore & luctu 9. Novembr. extinctus, in cujus locum Gabriel Blatiman Lucernas electus eſt.

Iacobus Abb. Engelb.

Morit. S. Carol. Borrom.

A. C. 1584. Cœlo recipitur hoc anno, ingenti ſui relicto terris deſiderio S. Carolus Borromæus S.R.E. Cardinalis, & Mediolanenſium Archiepiſcopus Benefactor Diœceſeos noſtræ ſingularis, & Helvetiæ ut vivus, ſic â morte etiam amantiſſimus Tutelaris, non uno exemplo quantum apud Numen pro Clientibus ſuis poſſet comprobatus, ex cujus ſorore, quotquot hodie ſuperſunt Comites ab Hohen-Embs, progenitos habemus, & vel maximè inde ſuſpicimus, magis certe quam ab omni inſignium antiquitate, & avorum ſplendore.

Comites Amiſiani.

Adam Abb. Einſidl.

A. C. 1585. Memorabile exemplum patientiæ & ſimul generoſitatis de ſe præbet hoc anno Adamus Abbas & Princeps Einſidlenſis, qui pro Eccleſiaſtica libertate exilium ultroneum, toto ſexennio cum admiratione bonorum omnium quietè ad S. Geroldi Rhætiæ tranſigens, cum Jure agere, â Jurisperitis & optimæ cauſæ ſecuris, contra intolerandam ſæcularium in ſacra & Sacros homines licentiam, moneretur: Nolle ſe dixit, litigare, ſed ſponte, quem nunquam ambierat, honorem cedere, ſuisque filiis & Fratribus potoſtatem facere alterius deligendi. qui ægerrimè ab ſe optimum parentem dimittentes, Udalricum Weittwillerum Decanum & per abſentiam Adami Curatorem ſuffecerunt. Ipſo anno Conſtantiæ vita exceſſit Chriſtophorus Funck â Buochenberg Abbas Petruſianus Cæſarum Conſiliarius inſigne & familiæ ſuæ & Petruſij decus. cui Andreas ſucceſſit, Præſul utilis, ſub quo Monaſterium S. Georgij in oppido Stein Petruſio fuit incorporatum.

Vdalric. Abbas ibid.

Chriſtophor. Abb. Petruſij.

Georg. Abbas Weing.

A. C. 1586. Iterum ſplendidum ſane ſeſe ſuo fulgore ſignat Diœceſeos noſtræ lumen Georgius Abbas Weingarttenſis, hoc anno deſignatus ejusdem Monaſterij Adminiſtrator, qui magnis quamprimum meritis ſe commendavit, donec

A. C. 1587. die 27. Menſis Novembris Abbas per viam inſpirationis unanimiter eligeretur, nemine non conſentiente, ſed & ſine ullo alio tractatu vel

nomi-

nominatione præcedente. Qui deinceps primis ſtatim initiis, fervorem ſuum prodidit, & in reformatione non ſui ſolum Cœnobij, ſed plurimorum aliorum miranda præſtitit. *Reformator Monaſt.*

A.C. 1588. Plurimum præſtant in lucrandis Numini & Romanæ Eccleſiæ, poſt illatam horribilem Helvetiæ à Zwinglianis cladem, ejuſdem provinciæ diverſi Monaſteriorum Abbates & viri Religioſi, quos inter præ aliis celebratur merito ſuo Chriſtophorus Brunner Abbas Filchingenſis, egregius ſui etiam Cœnobii Reſtaurator, & diſciplinæ Monaſticæ Reformator. *Abbates Helvetiæ.*

A.C. 1589 Epiſcopatum Conſtantienſem reſignat hoc anno Marcus Sitticus Epiſcopus noſter & S.R.E. Cardinali Andreæ Auſtriaco, Marchioni Burgoviæ Ferdinandi Archiducis ex Philippina Welſera filio, S.R.E. Cardinali, & Epiſcopo Brixienſi, qui magna pompa urbem ingreſſus eſt, nec minore à civibus exceptus. *Marcus Sitticus Epiſcopus.*

An. Chr. 1590. Inſigne Diœceſeos noſtræ & Cathedralis nuper Eccleſiæ Conſtantienſis ornamentum, Baſileenſis modo Epiſcopus Jacobus Chriſtophorus Blaarer à Wartenſee, Apoſtolico inflammatus totus in Converſionem ſubditorum incumbit eoque fine Patres Societatis evocat, quibus ea de cauſa. *Iac. Chriſtoph Epiſcop. Baſil.*

A.C. 1591 Inſigne molitur Collegium, & Gymnaſium publicum inſtituit, magno vicinarum Ditionum fructu, plurimum initio ſeſe opponentibus Bruntruttanis, Epiſcopo nihil non tentante ad confundenda illorū argumēta, quibus amoliri & Scholas, & Patrum Societatis receptionem conabantur. *Collegium & Gymn.*

A.C 1592. Meretur de tota Helvetia, adeoque Diœceſi noſtra, plurimum, Beatæ memoriæ Petrus Caniſius, ſed & totam Rempublicam Chriſtianam ſibi obligat, diverſis ingenij monimentis, Catecheticis inprimis, quibus juventuti, & recens ad Romanæ Eccleſiæ gremium redeuntibus ſanctè conſulebat, cujuſmodè exercitium diverſi diverſorum Cœnobiorum Aſcetæ, utiliſſimè in ſe ſuſcipiunt, ita ut diverſis ſtatim provinciis, Divinus cooperans Spiritus ſe proderet, & viciniores quoſque ſacro fervore corriperet, & ad ſolidiorem pietatem inflammaret. *Ven. Petr. Caniſius. Catechiſmus & ſcripta alia*

A.C. 1593. Andreas Epiſcopus Conſtantienſis & S.R.E. Cardinalis, mirificè afficitur ad Augiam Divitem, & erga ejusdem loci Religioſos, ſæpius ibidem commoratus, & Benedictinæ Regulæ inſtituto tantopere delectatus, ut ſerio, de eodem ſuſcipiendo deliberaſſe videretur. Fuit Divinis rebus deditiſſimus, & reapſe jam quaſi loci ejuſdem profeſſus, ſacris exercitiis probe exercitus. Princeps omnino talis, de quo ipſomet jubente plurimum ſibi Ordo Monaſticus polliceretur. *Andreas Epiſc. Conſtant. Ejus Religio.*

A.C. 1594. Occidit Magnum Diœceſeos noſtræ ſydus, cœlisque oritur, Joachimus Abbas & Princeps Sangallenſis. Is peſtilenti graſſante lue, dum miſſis ad tutiora loca Patribus, memorabili exemplo, ſeſe quaſi pro aliis offert *Mirabile exemplum in ſuos charitatis.*

fert victimam, & pro populi ſalute ſuam cum vita ultroneus conſecrare Numini geſtit, Feſto S. Bartholomæi Apoſtoli pro concione perorans, in ipſo ſuggeſtu apoplexiâ tactus, poſt paucas horas feliciſſimè moritur, relictis egregij ingenij monimentis; Libro uno de exercitatione veræ Virtutis. Sermonibus diverſis ſive exhortationibus. Sed & inſigni opere, quo totam pene Summam Doctoris Angelici in Tabellas retulit.

Scripta Abb. Ioachimi.

Moritur Marcus Sitticus olim Epiſcopus.

A.C.1595. Moritur hoc anno Romæ Marcus Sitticus Comes Alt. Emſius, nuper Conſtantienſis noſter Epiſcopus Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Eminentiſſimus & Presbyterorum primus, anno ætatis ſexageſimo ſecundo 15. Calend. Martij, ſepultus in Eccleſia ſui tituli in ſacello à ſe exædificato & dotato.

Balthaſar VVuchrer Suffraganeus.

A.C. 1596 Æterna Conſtantienſium gloria venerandæ memoriæ Balthaſar Wuchrer Epiſcopus Aſcalonenſis, Andreæ Cardinalis & Epiſcopi noſtri Suffraganeus, Urbem noſtram ſanctæ Vitæ exemplo plurimum illuſtrat: Vir mitiſſimi ingenij, & ſanctiſſimæ converſationis, qui à Deipara impetraſſe dicitur, nequid guſtus in cibo potuque ſentiret, ita ut ſolo craſſioris notæ pulmento contentus parciſſimè viveret, Angelica innocentia præditus, intaminatiſſima vitæ puritate, & zelo Religionis ac religioſæ diſciplinæ, quam ubiq; promotam cupiebat.

Moritur Ven. Petr. Caniſius.

A.C. 1597. Magno bonorum omnium luctu cœlo maturus, nobis immaturè præripitur Beatæ memoriæ Petrus Caniſius, de Dœceſi noſtra immortaliter meritus, feſto S. Thomæ Apoſtoli, ætatis ſuæ anno 77. cujus facies â morte multo venuſtior quam in vita, & manus roſeo colore nitentes apparuere, cujus deinceps apud ſe gratiam multis miraculis Numen comprobavit & Fidelium devotioni commendavit.

Epiſcopus noſter fit Belgij Gubernator.

A.C. 1598. Andreas Auſtriacus Epiſcopus noſter & Cardinalis, ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum Regis, à Rudolpho II. Imp. in Belgium mittitur, & Belgicarum Provinciarum Gubernator renunciatur, cui Albertus Archidux in Hiſpanias abiturus, & Claram Iſabellam ducturus, totale regimen commendat.

Ad ſuos revertitur

A.C. 1599. Revertitur ex Hiſpaniis Archidux Albertus cum Sponſa Regis Filia Clara Iſabella, cui per poſtam obvius Cardinalis & Epiſcopus noſter, & ſponſam gratulatur, & geſtum feliciſſimè Gubernatoris munus reſignat, brevi regimine, multis rebus fortiter & prudenter geſtis, munitione inprimis inexpugnabili S. Andreæ, ad frangendum conatus hoſtium exſtructa & à ſe cognomita. Inde reverſus Conſtantiam ſumma omnium gratulatione exceptus eſt, Augienſium inprimis ſuorum. Quibuscum tamen diu non manſit, & voti cauſa & Jubilæi anni Romam iter intendens, non ſine lachrymis omnium ſibi chariſſimorum valedicens, plauſibilia promittens ijſdem ſi reverteretur; ignarus quid de ſe optimum Numen ſtatuiſſet.

Romam pergit.

A.C.1600

A. C. 1600. Ipſo proin anno Jubilæo, cum voto jam ſatisfaciſſet ſuo, idem ipſe Pontifex noſter & S. R. E. Cardinalis Andreas & Roma Neapolim, inde Romam conceſſiſſet, pridie Iduum Novembris vita exceſſit, viſus ipſo quaſi obitus momento locum orationis conſuetum in Baſilica Augiæ Divitis occupare, ab amiciſſimo ſibi Religioſo, qui ad reliquos Conventus Sacri, ipſa hora retulit, Principem adeſſe & à ſe conſpectum eſſe. *Idem moritur.*

Significavit etiam Conſtantiæ ſigna extraordinario, Principis mortem bonum Numen, & ipſa die ipſaque hora qua optimus Princeps Romæ deceſſit, menſe Novembri fulmine Cathedralis templi Odæum, & turriculam huic ſupereminentem notavit, in horologio ejuſdem liquefactis ex ære existantibus numeris, duodenario, primo atque ſecundo, ad punctum uſque tertiam notante, ſuperveniente, ad tonitrui fulminisque inſolentiam Cathedrali Decano (proximis habitante ædibus) Joanne Georgio ab Halweil, pluribuſque qui fulminis ictum notaverant, & incendium Baſilicæ metuebant; erumpente in lugubres queſtus coram omibus Decano, & mortem optimi Præſulis deplorante: *Sit propitius*, inquiebat, *bonus Deus defuncto Principi noſtro. Quin & miſero ſucceſſori ejuſdē haud multo ſupra duos & mediū annū præfuturo.* Ita factū, & is ipſe qui prædixerat, ſuccedere cōmuni omniū Canonicorū calculo juſſus fuit. *Signum obitus. Prædictio futurorum. Res mira!*

A. C. 1601. Fuit miraculum ſuæ ætatis Pontificum Joannes Georgius, familia longè antiquiſſima, Germanâ ſed Romanæ originis, ab Alis, ſive Alarum villa, vulgo Halweil, parentibus Theodorico ab Halweil, & Eva de Bernhauſen oriundus; mitiſſimus hominum Princeps, idem demiſſione animi maximus; Suffraganei ſui Balthaſaris, de quo ſupra, perfectionis ſtudio quam ſimillimus idem beneficium (incertum uter alterius exemplo) à Deipara conſequutus, ut nullo guſtus ſenſu in cibo potuque ſumendis frueretur, unico & ipſo pulmento ſeu offula inter epulas contentus, ea diſſimulatione dum hoſpitibus accumberet, ut vix à rei conſcijs notari poſſet. Rigidus etiam aliàs ſui corporis caſtigator. Epiſcopi munera omnia ipſe obijt, nihil remittens Suffraganeo, quam quando unus in tot onera non ſufficeret, ipſe ægrorum omnium ſolatium, ſolo ſui contuitu pro ſuggeſtu potens orator, etjam priuſquam loqui ordiretur, ambidexter, utrobivis potens verbo & opere. Ita felix, ita oculata nunc, haud ita pridem cœca Conſtantia, gemino oculorum lumine tam illuſtri donata à Numine fuit. *Ioan. Georgius Epiſcopus. Vir profectus. Verus paſtor ovium.*

A. C. 1602. Viſitationis munus Epiſcopus noſter inter prima ſemper habuit, multum gregis ſui ipſe agnoſcere voluit, omnibus ægris ipſe mederi, ipſe ducere, ipſe paſcere. Ita ampliſſimam Dicœceſim, uno comitatus Capellano, & equite famulo, totam ſummo labore obijt, ſolitus Divinum officium & horas, ut vocant, Canonicas, non recitare, ſed velut Choro intereſſet, cum Clerico cantare. Quod in Bernatum ditione cum aliquando prætermitteret, anxius de valetudine ejuſdem Capellanus, cum finitis precibus, ſolliuitè, *Dicœceſim viſitat. Officium D. cantat.*

Apud Bernates prætermittit. quonam laboraret morbo, & sibi non indicaret? seiscitaretur; Episcopus autem causam interrogationis rogaret; & ille: quod submissa voce diceret quæ alias canere consuevisset, mox in gemitum erumpens, & lachrymis defluens, *Causam reddit.* pius Pontifex: *Quomodo cantabimus*, inquit, *canticum Domini in terra aliena?* inexplicabili cordis dolore condolens, oviculis Zwingliana peste infectis, à vera fidei luce alienis. *Sacerdotij honor.* Clerum suum ea in veneratione habuit, ut minimum è plebanis occurrentem honorificentissimè tractaret, sibique ad dextram assidere in mensa vellet. Ex his simplicioris notæ aliquem cum aliquando manducare veritum juberet, & is lance majore & communi præterita, scutellam Episcopi invaderet, libens dissimulavit, & modico ac vix dimidio contentus famere, quam Sacerdotem confundere voluit, cum præter unum, ut supra diximus, nil porro ferculi, nisi dissimulando, in orbem admitteret. *Potens Orator.* Exhortando potentissimus fuit, & absque verborum acrimonia, lucrari animos, virtutum ipsa commendatione potuit; cujus ipse contuitus sine fructu non fuit, exemplum omnes docuit.

Moritur feliciter. A. C. 1603. Tantum sydus, cœlum Constantiæ nostræ invidens, morari in terris ultra non sustinuit, sed sustulit, incredibili bonorum omnium & Cleri inprimis luctu, apud quem tantum sancto vitæ exemplo potuit, ut multi deinceps ea integritate viverent, qua primævo Ecclesiæ flore, viguisse Christi Sacerdotes memorantur. Mortalitatem deseruit mense Decembri hujus anni, maximo sui relicto desiderio, longiore vita dignissimus, nisi eam libentius deseruisset quam produxisset. *Statura & qualitas.* Fuit corpore procero, at gracili, continuis jejunijs & carnis castigationibus exhausto, & ante mortem in omni vita mortificato, facie pallida, quæ tamen post obitum gratiosissima roseo & constanti colore floruit; *Deiparæ cultor sing.* Magnus revera Pontifex, cultu Deiparentis Virginis & gratia ejusdem singulari felicissimus, de cujus potenti apud Deum patrocinio Constantia dubitare non debeat, & nos totaque ejusdem familia vel pro ipsa necessitudine, plurimum gratulemur.

Iacobus Fuggerus creatur Episcopus. A. C. 1604. Successit inexpectato Electionis successu, juvenis etiamnum & liberioris ingenij Canonicus, Cathedralis Ecclesiæ Præpositus Jacobus Fuggerus Liber Baro de Kirchberg & Weissenhorn: cui (ipsomet sæpius plausibiliter referente Episcopo) mox ab electione sanctæ memoriæ Suffraganeus Balthasar; Principis honorem gratulando: *Nunquid* ait, *Illustrissime Princeps, alius deinceps eris, quam fueris?* promisit stipulata quam primum manu, exosculatus Senis ingenium, novus Pontifex, & præstitit, *tantum mutatus ab illo*, ut sydus ex in præstantissimorum Præsulum celebrari mereretur. *Mira mutatio dextera Excelsi opus.* Cujus gesta, ut & sequentium Successorum, cum in recenti etiamnum Constantiæ nostræ memoria sint, referre ex ordine omnia supersedemus, & obiter pauca, cum anno obitus designamus, ijs qui familiarius convixerant, & penitius omnia noverant, id muneris relinquentes.

Sub

Sub hoc Pontifice Collegium Patrum Societatis elegantiſſimum ejus potiſſimum aliorumque Religioſorum præſulum, & devotorum ope & opera à fundamentis, ad ſupremum apicem conſurrexit. Idem Monaſterium Patrum Capucinorum proprio ſumptu totum condidit. *Collegium PP. Societ. Monaſter. Capucin.*

Idem anno Chriſti 1611. Synodum ſolemniſſimam ſummo boni publici fructu, in Cathedrali Conſtantienſi Baſilica celebravit, diſciplinamque Eccleſiaſticam, pulcherrimo exemplo immortali merito præclare reſtituit. Eo denique ſacri fervoris proceſſit, ut abdicare omnino ſeſe Pontificatu conſtitueret, & ſub Georgio Præſule Weingartenſis Monaſterij reformatius Divi Benedicti complecti Inſtitutum. Verum religioni ſibi ducens prudentiſſimus ſimul & religioſiſſimus Abbas, tam utilem ſuæ Eccleſiæ ampliſſimoque Epiſcopatui Pontificem à dextertima boni publici procuratione, ad privati ſtudia ſuo adſenſu converti nullis non prius rationibus & argumentis à propoſito avocare fruſtra conatus, ſimulato denique conſenſu, & obedientiæ religioſæ, juxta propriæ voluntatis, & ſenſus proprii omnimodam abnegationem declarato & commendato merito, pio dolo inadvertentem induxit, ut dum de inſtituendo quod propoſuerat, & in actum redigendo, uberius conſultaret, manu data alieno victurum arbitrio, neque aliter quam jam ſolemniter devota Numini voluntata Abbati obtemperaturum; juſſus primo obedientiæ experimento, ſtatum perfectiſſimum Epiſcopatus retinere, & ex ſimplici obedientia Epiſcopus eſſe, cum obloqui, porro non præſumeret, nec poſſet, non potuit tamen quin altum ingemiſceret, & ſupplantatum, non ſupplantantem Jacob ſeſe faſſus, ſuæ obedientiæ Magiſtro illud ſæpius deinceps exprobraret. Solitus exin quotannis ferè ad Monaſterium, quod tantopere exambierat, inviſcere, ad primum contuitum Aſcetarum, quaſi fratrum plus quam germanorum, chorique tam chari exauditis vocibus, in uberrimas effuſus lachrymas. pavimentum, ex quo ab alto deſpexerat, largè irroravit; certus eſſe juſſus, obedientiæ ſe mercedem, etiam ſub infulis reperturũ, ſub quibus proprij capitis ſenſum, alieno arbitrio devoverat. Divo Benedicto ex in plurimum addictus, plura paſſim ſui filialis affectus argumenta edidit, aliaque inter, proventus ſeu redditus annuos ex Augienſi Cœnobio cum ſibi obvenientes, tum ab Anteceſſore Joanne Georgio, eo quoque fine intactos ad uſus ejuſdem Monaſterij convertit, quod à fundamentis novum exſtruxit, & diſciplinã pro virili revocari curavit. Magnificus omnino Pontifex, & qui, quæ Dei cultũ præcipuè & proximè attinent, ſpectatiſſima voluit; quâ ipsâ intentione, multa ſine exemplo molitus, exemplum primus ipſe dedit, eaque inter altare majus Cathedralis Baſilicæ argenteum voluit, totamque ejus machinam ſtatuis argenteis pretio non minus quam arte magnificis inſtruxit, tabulamque majorem, arte Apellæâ aliàs repræſentari ſolitam, ſolido ex argento confici curavit, in eademque Deiparam auro pretioſiſſimisq; *Synodus Provincialis.* *Propoſitum Epiſcopi*

miri ſplendoris gemmis coronavit, quas inter adamas ratæ magnitudinis multis millibus æſtimatus eminet; ut nihil de aliis memoremus muneribus, quæ Eccleſiæ eidem & Illuſtriſſimo Capitulo moriens conſignavit.

Tantum lumen annus Chriſti 1626. dies 6. Martij abſtulit, cum Princeps optimus, maxima ſe animi præparatione ad mortem comparaſſet, ſummaq; devotione Sacris munitus eſſet, mirificè ſemper ad SS. Euchariſticum Sacramentum affectus, uberrimis ſæpius lachrymis diſſluens, cum ſacris ad aram operaretur, corpus demortui in condito à ſe RR. PP. Capucinorum Conſtantienſi Cœnobio & Eccleſia, inteſtina Marieburgi in Parochiali ſunt condita.

Sub ejus regimine Balthaſar quoque Aſcalonenſis Epiſcopus, ipſius Suffraganeus, naturæ debitũ ſolvit, inter magna ut vidimus luminaria totius Diœceſeos referendus, Deiparæ ut ſupra diximus ſingulariter addictus & charus, cui haud impari ſplendore Virtutis Joan. Jacobus Mirgelius ſuffectus eſt, Epiſcopus Sebaſtenſis, Jacobo Fuggero Canonicorum votis ſucceſſit Sixtus Wernherus Vogt ab Alten-Summerow de Praſperg, Princeps maximè induſtrius, religioſus & pius, longiore vita dignus, cujus magnos dignoſque egregio Pontifice conatus annus 1628. morte intercepit, ſuccedente Canonicorum ſuffragiis Joanne S. R. I. Dapifero Hæreditario de Waldpurg Comite de Wolffeck &c. incomparabilis modeſtiæ & integritatis Principe, qui à teneris unguiculis ab Illuſtriſſimis parentibus Henrico Dapifero, & Maria Jacobea è Principibus Zolleranis, ad omnem vitæ ſanctimoniam inſtitutus, neminem non ipſos quoque Acatholicos ſolo contuitu, mirifico quodam virtutum ſplendore, in admirationem rapuit, & ſacro quaſi horrore perſtrinxit.

Obſidio Conſtantiæ.

Contigit ſub tam dilecto Numini Pontifice, memorabilis illa, & ſumma contentione ſuſcepta Suecorum expeditio adverſum Urbem noſtram, & repentina ejuſdem obſidio; patente per Helvetiam aditu, unde ſolemni Sacramento & fœdere, tutior omnibus munimentis, vallis & foſſis ſibi videbatur, cum per oppidum Stein, nemine non tantũ non reſiſtente, ſed plauſum dantibus, qui fide, & ſæpe, & non multo antea, datâ, pro virili hoſti reſiſtere, & Amicis omni ope adeſſe tenebantur, & per pontẽ Suecicus exercitus traduceretur; nulloque vel campanæ, imminentis periculi ſigno, ſeu tubæ ſeu tympani dato, hoſtilia agmina, Gottliebam, Creutzlingam, Münſterlingam loca circumquaque omnia occuparent. Sed & Gottliebæ comparata ad pontis Rheno imponendi ſtructionem trabes & ligna reperiret omnia, Helvetiis Catholicis rei inopinatæ nuncio haud leviter territis, & quid agerent planè ignorantibus; Conſtantia ab omnibus niſi à Deo & ſeipſa deſerta, ſibi conſtanter conſtante, & illius, ſuæque Tutelaris Deiparæ (cui anno jam exacto Sacellum Lauretani conſimile, tanquam Urbis Protectrici voverat, & jam recens abſolverat) opem ac cœleſte ſubſidium confidentiſſime invocante, & mox indubiis ſignis atq; experimentis, ſentiente.

Hoſtis in Helvetia admiſſus.

Conſtantia B. M. V. credita.

Fauſti

Fausti ominis loco dies ipsa obsidionis prima est habita, Natali ejusdem Magnæ Matris solemnis (sexta Iduum Septembris anni M. DC. XXXIII.) quæ inter sacrorum solemnia, animos civium, è magno metu in spem maximam erexit. Nec magis in armis parandis & expediendis, quã notis & precibus congeminãdis, laboratum, & collaboratum universi, non tam virorum, quam puerorũ imbellius animis mira generositate concitatis, quin & mulierum quasi Amazonum Virtute ex alto indutis, his inter infinita tormentorũ bellicorum & bombardarũ fulmina ignitosque imbres & grandines imperterrite, viris viriliter assistentibus, & necessaria, arma, lapides, aliaque suppeditantib⁹ animos excitantib⁹. Eram tum forte apud non minimi nominis & prudentiæ Principẽ quoeũ etiam non nemo factionis Gallicæ Colonellus juxta consederat, exanimato pẽe ad subitum adeoque triste nuncium illo, hoc in plausum & risum erumpente, hæc ipsa inter: Edocendum nunc denique Cæsarem & Austriacos esse, cui rei oportuna Constantia sit: quæ si jam olim se junxisset Helvetiis, opulentissima nunc ageret & securissima; Tiguro primatum invidisse, quæ etiam secunda splenduisset glorioſissime. Fore tamen hodierni diei angustias, initium deinceps fortunæ ejusdem melioris, quæ sive Regi, sive Confœderatis obtingeret, ita excolendo deinceps, formanda & firmanda sit, ut Occidentis insimul & Orientis Cæsarum assultus eluderet, ipsosque juxta conspirantes Inferos exsufflaret. Exhorruit ad voces tantæ insolentiæ Princeps, & taceri ejusmodi ad mensam suam rogavit, neque plus tamen effecit, quam ut satur ille homo, vera dixisse sese assereret, & mox verbis suis fidem, ipso experimento astruendam.

Faustum omen.

Devotio populi.

Generositas Civiũ.

Colonelli Gallici assertum.

Constantia primatus.

Hostium intentio.

Obsidionem non describimus, peculiari libro luci datam, &, in recenti omnium memoria: quæ uti ipso Deiparæ, uti jam dictum, natali cœpit Septembri mense, ita sequenti Octobri Festo ejusdem Rosarij (cujusmodi Rosariorum multa millia diesque noctesque in urbe irremisse cœlo transmissa; & globuli horum globis cutulium longe prævaluere) desit, ut facilè appareret, cujus auspicijs res geretetur. Cecinere triumphum ante victoriam hostes, & poculis votivis gratulati mutuo sunt in orbem, qui simul ante urbem consederant hoc ordine, digni qui memorentur: 1. Gustavus Hornius Suecorum Generalis. 2. Dux Wirttenbergius. 3. Dux Saxoniæ Weinmarius. 4. Comes Palatinus Princeps Birckenfeldius. 5. Dux Holsteinius. 6. Dux de Rohan Borbonius. 7. Junior Comes, Hornius Generalis ex fratre Nepos, qui ante urbem globo ictus interijt. 8. Comes quidam Wallsteinius. 9. Major Ruttvveio. 10. Scafelitzkius. 11. Comes Maximilianus Pappenheimius. 12. Dominus ab Oepffingen. 13. Legatus Tigurinus. &c. Horum de victoria nec unus quidem dubitavit. Tiguro alijsque Helvetiæ Acatholicorum ex locis certatim spectatores occurrere; & propius etiam consistere aliquot ausi sunt, donec re animadversa liboratorum aliquis ex urbe, junctis catena globis duobus majoribus, insignem spectatorum stragem ederet, reliquos dissiparet. Cujusmodi etiam salutatio, convivantibus in conclavi quodam Creützlingensi Colonellis & Capitaneis, evenit, & funalia juxta vitam aliquorum extinxit. Compertissimum oculato, præsentissimo tunc rei teste, est, eoque fidei indubitatæ: exprobrasse iis, qui invitaverant & induxerant ad obsidionem urbis Hornium, cum re desperata vasa colligeret & fugam acceleraret; persuasumque se turpiter, quasi neglecta Constantia, ac sine sudore & sanguine facile superabilis esset, quæ tamen, etiam ubi Potamico lacu & Rheno non cingeretur, aquis nihilominus præmunita esset, & has si vel pedis profunditate, terram eruas, statim proderet, neque uspiam tegendo & hac illacque dirigendo militi, fossas ductiles nedum cuniculos, nisi solo in tumulo, & aggesto Creützlingensi admitteret; ut nullo sic loco honor coronæ Suecicæ & fortuna in discrimen adducta viderentur. Ita inglorius abiit, glorioſissimus cæteroquin exercitus Succici Imperator, & Constantia

Obsidionis initium.

Principes ante urbem.

Spectatores curioſi.

Pessimè luunt.

Soluta obsidio.

Exprobatio

Horni fuga.

tia ab alijs prodita (uti insignia in instrumentis & machinis bellicis inter trepidationem & fugam relictis, usque hodie docent) ab alijs desperata, de tot millibus, Dei & Deiparæ prodigiosa ope, glorioſissimè triumphavit; & gratiam agnoscens gratias solemnes retulit. De cæsorum numero hostium modestius in obsidionis relatione Typo vulgata, Constantienses, qui ultra quinque millia non extenderunt. Habui autem ab æquissimis censoribus, si Wirtenbergenses & alios auxiliarios cùm milites, tùm fossores accenseas, ad septem millia occubuisse, quod statim soluta obsidione præsens à magni nominis viris intellexi, cum pro facie urbis Regi Catholico commendandæ, exoratus, totam aliquot supra triginta quaternionibus, ex Ichnographicis linea mentis, uti tunc apparebat conspicuam erigerem.

Cæsorum numerus.

Gloria Gubernatoris.

Meruit proximam à Deo & Deipara servatæ urbis gloriam Illustrissimus Comes Maximilianus Wilibaldus Waldpurgius Dapifer. Comes Wolfeccius Joannis Episcopi germanus longe amantissimus: qui toto obsidionis tempore, supremum loci & rei militaris Imperatorem egit: Lindovij deinceps non minus se probans & commendans, cujus generositas & fideliras inter busta avitorum palatiorum & arcium, interque invidiam & odia hostium tanto illustrior eluxit, quanto pauciora exmpla, spectatores plures habuit, extantibus è contra detestandis simul & erubescendis omni posteritati tantæ barberiei hostium monimentis, quæ Hornius honestissimæ vitæ Heros, & prudentissimus indigna se duxit, & laude digniora, quam ultione, in urbis nostræ Gubernatore & Duce fidem & generositatem mirificè extulit & celebravit, quod utrique vivis erepto, in hoste æque virtute æstimantes pro Monimento & Trophæo statuimus.

Indigna merces.

Hornij laus.

Elogium utrinsq; ducis.

